ITINERARIVM HIEROSOLYMITANVM ET SYRIACVM;


IN QVO VARIARVM GENTIVM MORES ET INSTITVTA; Insularum, Regionum, Vrbium situs, vnà ex prisci recentiorisq́ sæculi vsu; vnà cum euentis, quæ Auctori terrâ mariq́ acciderunt, dilucidè recensentur.

Accessit Synopsis Reipublicæ Venetę

AVCTORE

IOANNE COTOVICO

Vltraiectino I. V. D. & Milit. Hierosolymitano.



ANTVERPIÆ,

Apud Hieronymum Verdussium, in via vulgò de Cammerstraet, sub signo rubri Leonis. M. DC. XIX.

D. IOANNI COTOVICO
IVRIS V. DOCTORI EQVITI HIEROSOLYMITANO.

Hodœporicon ſuum edenti

GERARDVS SANDELIN NOB. BAT. ET IC.

Diuitias alius fuluo vt ſibi congerat auro,
Et niteat celebri cincta adamante manus
Carpit iter, ſulcátue fretum: nec territus Auſtro
Currit ad Eoos, currit ad Heſperios.
Alter, Pellæo Iuuene immoderatior ipſo,
Armis pacatum nil ſinit eſſe ſuis;
Et populos mouet innumeros, genteſque peragrat,
Non vno vt regni terminet Orbe decus.
Mole graui ſic vana paret dum præmia feruor
Improbus, infami deficit exodio.
Diſpare tu multum ſtudio COTVICE relinquis
Excîtus patriæ gaudia tuta plagæ:
Illuſtrem Italiam luſtrans, vrbeſq; Pelaſgas,
Et pia SACRATI tot monumenta SOLI.
Quàm iuuat adſpectus STABVLI, quod Diua ſubiuit,
Virgo parens hominis; Virgo parenſq; Dei!
Quàm ſtupet ad Sacri Montis ſignacula ſenſus,
Quo terræ exangui palluit ore SALVS!
Trux licèt ipſe Schytes duris nutritus in armis,
Huic tamen indulget flectere genua loco.
O nimium tanti fælix COTVICE laboris!
Nuſquam alibi longæ præmia plura viæ.
Quæ modo ne ſeros lateant obſcura nepotes,
Adjicis æterno perpetuare ſtylo:
Ergo & Opus NOMENQVE tuum tantum vſque v
Quanto Auro & ſceptris celſior eſt Pietas.

ADMODVM REVERENDO
DOMINO

ARSENIO SCHAYCK,

PRIMARII BELGICÆ
MONASTERII S. PETRI
ARCHIMANDRITÆ.



VANTI prisco æuo, ac nostro etiam sæculo fuerit R^me. D. peregrinatio, & quæ laus ex eâ semper promanârit, nouit R. P. V. nouerunt prudẽtes omnes magnorũ & doctissimorum hominum exemplis edocti: qui non contenti scientiâ & domesticâ eruditione, aliam apud exteros quæsiuerunt; quâ multis remotissimis barbarorum prouincijs perlustratis, exculti, celebriores apud suos reuersi haberentur, & variarum nationum moribus ac studijs imbuti, suæ reipublicæ ac patriæ magis prodessent. Neque enim longè peregrinandum est vt cœlum solùm quis mutet,

——— Ceu grus, quæ Strymona pennis.
Quod fuerat, tranat, quod fueratq; redit.

Sed vt solertior euadat, Vlyssis exemplo: quem poëtarum princeps non sine causa πολύτροπον appellat, & quod multorum mores & oppida viderit, vehementer commendat. Nec immeritò. Prudentiam namque & iudicium non vulgaria diuersa illa gentium instituta, ritus, moresq; hominum, & formæ ciuitatum, diligenti indagatori, ac peregrinanti sagaci cõciliant: maximè si non per nebulam visa, & libata leuiter, sed

in animum ſeriò admiſſa, retenta, & iuſta quadam examinis lance inter ſe collata fuerint. Tunc enim ex ijs, ceu apes ex diuerſis floribus mel ſugunt, quid maximè reipublicæ profuturum ſit, colliget. Adde quòd ritè inſtituta peregrinatio hominem cautum, circumſpectum, gratum, beneuolum omnibus reddit. Quæ omnia cùm de profana peregrinatione verè dici, & prędicari poſſint, quis non plus emolumenti & fructus ex ſacra HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIONE exſpectari debere libens aſſerat? quâ non ſolùm gentium multarum ritus diſcuntur, monumenta heroum ac veterum Regũ ſepulchra conſpiciuntur; ſed ſummi illius Motoris, ac Seruatoris noſtri IESV CHRISTI Incunabula, ſacra plantarum veſtigia, & Sepulchrum eius, quo nihil celebrius, nihil antitiquius vſquam locorum eſſe poteſt, oculis objiciuntur. Videre adhęc loca illa, vnde ſalutis noſtræ primordia emanarũt, terram illam, quam nudis pedibus Dominus IESVS calcatam proprio profuſo ſanguine conſecrauit, Vrbem illam toto terrarum orbe clariſſimam, fama & multorum ſcriptis inclytam Iſraheliticę quondam gentis Dei electione ſedem eximiam, tot miraculis, tot tantiſque myſterijs celebratam, tantorum denique Regum patria dominio, gloria & in primis Seruatoris noſtri prædicatione, conuerſatione, morte, reſurrectione, & ad cœlos adſcenſione illuſtrem, quis non inde priſcę hiſtoriæ & ſacris codicibus intelligendis maximam lucem addi libens fateatur? quis nõ his viſis delectetur? quis in laudem omnipotentis Dei non erumpat? ſummam eius benignitatem, & erga genus humanũ amorem non admiretur, & prędicet? Siue ergo quis ſacra ſpectet, ſiue profana reſpiciat, habet hic viator quo animum pariter paſcat, & oculos.

Nam vt cætera omittam, facile eſt in hac ſacra HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIONE variarum gentiũ Venetorum, Illyricorum, Albanenſium, Græcorum, Mauro-

rum,

rum, Turcarum, atque Arabum mores, ritus, studia, & instituta inuestigare, ac perscrutari. Quorum omnium notitia quantum ad acquirendam scientiam politicam, rerum agendarum peritiam, reipublicæ administrationem iuuet, promoueatque, nemo est qui nescit: Illi certè nouerunt, quibus constans & vera semper fuit opinio, nihil vtilius, nihilque optatius in publicâ administratione esse posse, quàm scire quâ religione, quibus moribus, quâ regiminis forma, quibus denique legibus, institutisque aliç per orbem nationes viuant. Profectò si quis rectè iudicet, omnem politicam scientiam in rerum vsu consistere, nullamque Philosophiæ aut politiæ regulam fore certiorem, quàm quæ vsu & experimentis addiscitur, mecum fateri cogetur. Cui rei vel maximè fidem facit Antigoni Regis, imperatorijs artibus, & rei bellicæ cognitione instructissimi, ac longo vsu & rerum experientia docti, celebre exemplum. Is enim cùm librum de re militari à quodam Philosopho sibi oblatum benignè excepisset, sic eum alloquutus est: Ego præceptis tuis nihil egeo: multis enim magnisque rebus gestis rei militaris vsum iamdudum explicaui. Quare etiam qui rerum experientiam longâ peregrinatione sibi collegerunt, non immeritò omni ætate aptiores ad rerum grauium tractationẽ habiti sunt, quàm illi, qui extra primos vrbis aut patriç suæ agros ad secundum vix lapidem vnquam peruenerunt; quantumuis alioqui iudicio, facundiâ, solertiâ, alijsque fortunæ ac naturæ dotibus longè alios antecedant, & præpolleant.

Quod ad me attinet, fateor ingenuè animum meum ab ineunte ętate ardore peregrinandi accensum fuisse, nec quicquam magis in votis habuisse, quàm diuersas orbis prouincias perlustrare. Quod certè re ipsa adultus iam præstiti. Nam & vniuersam Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Dalmatiam, Croatiam, Epirum, adiacentesque mari Adriatico

 & Me-

& Mediterraneo insulas, Corcyram, Zacynthum, Cephaleniam, Cretam, Cyprum, aliasque, atque omnem ferè Syriam peruasi. quo fructu, non dixerim, iudicent alij, desideraui saltem: magno, si labor omnis & studium responderit, benè mecum actum putabo, sin minus, sustinebo. Verum vt sit, post tot sali pericula, tot soli incommoda, tot exhaustos labores, cùm ad paterna limina redijssem, præteritarum ęrumnarum iucunda recordatione illectus (iucundi enim sunt acti labores) quæcunque potissimùm in itinere Hierosolymitano præclara & relatu digna iudicaui, in ordinem concinnare visum fuit, vt esset mihi aliquando laborum anteactorum aliquod inde oblectamentum, & periculorum ac molestiarum præteritarum dulcis recordatio, aut saltem non ingrata memoria, haberemque præ manibus, quo amicis satisfacerem, & cum ijs tolerata olim pericula conferrem. Et certè dormitabat ac in tenebris iacebat hæc à me relicta Hierosolymitani & Syriaci itineris descriptio; quando amici vrserunt, & perfecerunt, vt eam pręlo mandarem, arbitrantes me posteritati etiam aliquo modo profuturum. Quorum precibus hanc qualemcunque opellam, ac verè magis, quàm comptè descriptam in lucem protuli, vt quæ hactenus in obliuione iacuerant in assidua esse commemoratione possint.

Quia verò constans vsus nec illaudatus omnino iamdudù inoleuit, vt scripta aliqua edituri de Principe aliquo viro, patronóve, cui ea dedicent, circumspiciant: ego eundem sequutus morem, de R. P. V. patrocinio cogitandum existimaui, ne incauti hominis, aut planè desipientis notam incurrisse videar. Quis enim non putet eum temerè audere, qui omni prorsus tutelâ destitutus in hominum lucem adspectumque quid promat? *Nam qui scribit* (vt ait Hieronymus) *multos iudices sumit: si non adsit qui defendat, qui patrocinetur, labitur scriptoris fama*. Quare statim R^me. D. mentis aciem & obtutum in R. P. V. direxi,

V. direxi, nihilque satius esse duxi, quàm vt hosce libellos meos tui nominis auctoritate munirem, quo magis hi te velut redemptore sarti tecti habeantur, ac tanquam suspensa hederâ commẽdabiliores prostare queant. Quod si impetro, tam sanè præsidij satis paratum eis esse cognoscam; eoque tutus nullos aduersos flatus, nullas maledicorum linguas pertimescã. Sub amplissimi itaque Nominis tui tutela opellam hãc meam in lucem prodeuntem R. P. V. consecratum, tuoque patrocinio commendatum venio; nec enim alibi auspicatiùs, quàm sub tui Nominis præsidio hanc euulgaturum spero. Tu enim es qui Patriâ vrbe à prima adolescentia Religionis ac Peregrinationis sacratioris intuitu relictâ, in Cliuijs, Vbijs, Grudijs, Aduaticis, Gallijs, Hesperijs, studiorum arcanis diligenter excultis, ac instar antiqui *Arsenij*, aulâ, tametsi piâ, desertâ, ad tutissimum Montis Blandinij Benedictinorum cœnobium, ex consilio Belgij Principum tandem es delatus: ibidemque dictorum Dynastarum fauore Abbatiæ culmen conscendisti: vnde non solum Flandriæ Pietatis lumine irradiares; sed etiam Patriæ nostrę splendori & decori existeres. Verè Peregrinationis laudatæ Admirator eximius, adeoque Cultor obseruatorque primarius: qui tametsi Spartam Sponsamque, quam nactus es, egregiè adornes: Hierosolymitanam tamen peregrinationem animo maximè deuoto non rarò visitas, ac frequentas: quam ad oculum hoc nouo nostro conatu, ac opere sæpiùs repetere poteris, more Maiorum: qui ex omni ordine Traiectinorum eandem piissimè frequentarunt; quos ne omnino silentio prætereamm, iuuat hîc honoris causâ nominare *D. Reinoldum de Bredenrode, D. Suederum de Culenburgo. DD. Ioannem, Ludouicum, & VVilhelmum de Montfoort, D. Ioannem de Suylen, DD. Henricum, & Stephanum de Niuelt, D. Ioannem de Reneße, & D. Iacobum Taes ab Amerongen*, Viros & nominis claritate eximios, & equestri dignitate illustres. Omitto cęteros,

teros, quorum nomina hîc velle recensere, longum foret. Id saltem omnibus constat, nullam in totâ ditione Traiectensi esse vrbem, nullum oppidum, quod ciues non habeat HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIONE insignes. Cùm verò R V.P. quá maximè inter ciues suos eluceat ac splendore nominis sui Patriam illustret; quis non videat hoc tibi munus meritò deberi. Opto itaque vt gratum sit; precorque vt hunc meum laborem, tibi tot nominibus debitum, apud te esse patiaris, ac patrocinio nominis tui amplissimo tuearis; meq; inter Clientes admittas. Traiecti ad Rhenum Kalend. Martijs. CIↃ. IↃC XIX.

PRAEFATIO
ad Beneuolum Lectorem.



Rgebar iamdudum, Beneuole Lector, crebris & quasi violentis amicorũ precibus, & suasionibus, vt PEREGRINATIONIS *meæ* HIEROSOLYMITANÆ *tenuem fructum, & qualemcũque laborem in lucem proferrem, atque in commune consulens, literis, memoriæq; mandarem. Id cùm diu, multúmque recusaßem, veritus ne quos ingratiore scriptione offenderem, plus tandem iustæ eorum (sic enim ipsis videbatur) preces valuerunt, quàm seuera mea tergiuersatio. Inuidorum quidem tela perhorresco, & eruditorum limam timeo; amicorum tamen fomentis erectus, malui eorum petitionibus obsequi, quàm inhumanitatis vitio culpari; nec volui propter paucorum sugillationes desinere bene agere. Profectionis itaque exemplaria archetypa, quæ lituris obsita in angulum abieceram, tanquam rem nudè compactam, nec debitè elimatam, aut excultam, nunc tãdem in lucem reuocaui, in quinque libros distributa: in quibus quæ terrâ mariq; à me conspecta, & obseruata, quæ præclara, quæ item rara, vel notatu digna mihi visa sunt, quæq; in ipso itinere acciderunt, breuiter attigi. His paucula quædam addidi, quæ ad sacram profanamq; historiam accommoda putaui. Fateor, longior esse potuissem, sed nolui longiore oratione pium Lectorem onerare: viam aperui, reliqua ab authoribus petat, aut per se inuestiget. Genere porrò scriptionis vsus sum facili, humili, & ad rerum narrandarũ vsum accommodo, nec dedi operam vt reconditis verborum sententiis narrationem obscurarem, vel ad ostentationem stylum exornarem; sed præcipuam curam in scribendo duxi, vt ab omnibus, qui vel linguam Latinam à limine salutauerint, intelligar, prosimq; potiùs plurimis quàm paucis. Nõ enim vt laudem aliquam aucuper, susceptus est à me hic labor: sed eo dũtaxat animo, vt quod Patriæ, Pietati, Catholicæ religioni officium debebam, id quoquo possem modo dissoluerem. Cæterùm vereor maximè fore nonnullos, quibus hæc mea non satis arridebunt, quod sacra Romana, ritusq; fastidiant. Sed meminerint me hoc Fidei meæ debuiße, nec decuisse celari, quod eiusdem antiquitatem non parum confirmaret, Lectoremq; certiorem redderet, quid per vniuersum Orbem sparsæ Ecclesiæ, etiam Romano Pontifici non subiectæ, in negocio religionis sentiant. Scio etiam his obloquuturos plurimos, & religiosum hoc iter superstitionis damnaturos: quibus ego nihil respondeo, sed ad Sanctorum Patrum monumenta & exempla remitto. Constat enim à multis iam seculis, atq; omni ferè ætate, ex Oriente & Occidente, immo ex remotißimis Orbis partibus infinitos Christianos feruore spiritus ductos in Palæstinam abiiße, vt veneranda loca inuiserent, & in iis Deum Seruatorem suum adorarent, in quibus ste-*

Epist. ad Desider.

Epist. 11. ad Seuerum.

Epist. ad Marcell.

bus steterunt pedes eius. Adorasse enim (*ait D. Hieronymus*) vbi steterunt pedes Domini, pars est Fidei, & quasi recentia Passionis & Crucis vidisse vestigia. *Et Paulinus:* Non aliter (*inquit*) affectus hominum ad Hierosolymam rapit, nisi vt loca in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, & contingant. *Quod statim à Christi adscensu infinitos Christianos factitasse testis est idem Hieron.* Longum est (*inquiens*) nunc ab adscensu Domini vsq; ad pręsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam (vt dicitur) manum accepisse virtutum, nisi Christum in iis adorassent locis, in quibus primùm Euangelium de patibulo coruscauerat. *Nec immeritò: Oculi namq; viatori soli & nudi sæpè ad scientiam non vulgarem, immo ad sacram & diuinarum rerum notitiam duces existunt; maximè si ad mentem & salutē ea quæ viderit referat; quod vel maximè peregrinanti commodum fore nemo negauerit ijs in partibus, in quibus nusquam non quod sit admirandum omnibus, venerandumq; immo oculorū lacrymis rigandum, sese offerat. Hîc enim Christi Incunabula cōspicias, illic vbi cælos adscendit, alibi vbi voluntariæ morti sese dedit, vbi sepulchro conditus est; adhæc vbi educatus, vbi transfiguratus, necnon vbi captus, vestibus exutus, carceri mancipatus, flagellis & alapis dirè cæsus, iniuriis & contumeliis affectus, spinis coronatus, Crucis pōdere oppressus, baiulans ad montē Caluariæ perrexit. Omitto cætera, quæ ferè innumera sese offerunt loca, Christi oratione, frequentatione, miraculis, mysterijsq; diuinis illustrata. Quanti verò & quàm arcani gaudij, quantæq; consolationis ista sit visio, illi imprimis norunt, quibus ea videre datum est: cùm non animo solùm, sed pænè oculis sese inferant hîc à Christo celebrata mysteria: quæ mirâ sanè luce mentem lustrantium perfundunt; trepidantesq; per Hebræorū scripta, ac sacros codices, cum veteris tum nouæ Legis ducunt, docent, atq; erigunt: quinimmo & animus ipse tantarum rerum, & sacrorum locorum adspectu attollitur, & grandior seipso fit. Quis verò vana Cæsarum ethnicorum sepulchra, ac Regū monumenta, breui collapsura, templa, theatra, arcus, porticus, & quæ quidā maximi faciunt, rebus his sacris postponenda non ducat? Fatuus profectò sit, aut ethnicus, qui contra sentiat; maximè cùm hæc hominū mortalium, Deumq; nescientium, illa ipsius Dei & hominis, vniuersi conditoris, ac humani generis Redemptoris, eiusq; Matris sanctissimæ, atque inter mulieres maximæ, memoriam referant: quæ vel ideò intuentium oculos in stuporē rapiunt, quòd summam & ineffabilem Dei misericordiam, & in nos mortales amorem vel maximè testentur; adeoq; præsentes, eaq; conspicantes pæana Altissimo concinere, laudibusq; diuinum celebrare numen cogant; ita vt visa saluti hominum quodammodo proficiant. Sanè qui mentis oculis sacra hæc loca rectè cernat, voluatq; animo, quanta hîc Deus pro homine passus est, ad altiora & cælestia adspiret, terrena hæc, verè terrea spernat, despiciat, abijciat, anheletq;*

anheletq́, totus ad supernam illam sedem, & beatorum spirituum patriam necesse est. Atqui hæc non sic ex aliorum locorũ intuitu & peragratione posse consequi quisque prudens facilè mecum arbitrabitur. Vtique si prudentiam, scientiam, aliaq́ commoda consideremus, quæ tacitâ quadam vi ac viâ ex profanâ peregrinatione nasci constat, minora sanè, nec conferenda cum his, quæ HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIO *pariat, fatebimur. Hæc siquidem non solùm prudentiam humanam, quæ plerumque cæcutit, & stultitia est apud Deum, sed diuinam generat, Fidem instruit, nutantes confirmat, pietatem & charitatem in Deum ac proximum adauget, vitia dissuadet, suadet virtutes. Quod si ita est, vt reuerà est, merito* HIEROSOLYMITANAM PEREGRINATIONEM *longè aliis anteferimus, atque illum beatum dicimus, cui illa loca adire, atque id videre datum est, quod hoc præsertim sæculo adeò paucis contingit. Neque hæc à me dicuntur vt laudem inde aliquam aucuper, laboremq́ meum magnoperè extollam, vel meipsum prædicem; sed solummodò vt peregrinationum comparatione quantum inter illas intersit, patefaciam, ostendamq́ toto eos errare cœlo qui Peregrinationem Hierosolymitanam iniuriâ damnant. Nam (vt cætera prætercam) offert etiam* HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIO *percommodam occasionem multas Europæ peragrandi prouincias, nominis claritate eximias, & rerum gestarũ gloriâ inclytas; insulas item & Maris Adriatici, & Mediterranei, veterum scriptis vel maximè illustratas, & celeberrimas, opibus item, atque omnium rerum copiâ affluentes: quarum omnium cognitionum plurimum lucis veterum historiarum lectioni adferre neminem esse puto qui dubitet. Absque locorum enim cognitione cæca est omnis historia. Hinc verè Hieron.* Quomodo Græcorum *(inquit)* historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucatem, & Acroceraunia ad Siciliam, inde ad ostium Tiberis nauigarint; ita sanctam scripturam lucidiùs intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus sit; & antiquarum vrbium memorias, locorúmque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerit. *Non mirum igitur, si Catholici Zelo fidei & feruore spiritus ducti in Palæstinam abeant, venerãda loca inuisant, & in ijs Deum Seruatorem suum adorent, in quibus stetisse pedes eius Christiana religio docet; vt inde vel beneuolam animi propensionem & studium erga suum Seruatorem ostendant, vel discendi desiderio se ardere demonstrent. In eo quidem errant plurimi, qui ideo à Catholicis ad loca sancta peregrinationes suscipi credunt, quòd ipsi Diuinitatem certo loco circumscriptam putent, cùm Deum de se dixisse sciant,* Cœlum & terram ego impleo: *Et de Deo Prophetam:* Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. *Sciunt in omni loco Deum adorari, vbique orantium preces ab eo audiri: corda hominum eum intueri, non loca respicere. Scriptum est enim à Ioanne:* Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem in omni loco. *Et à Paulo ad Timotheum:* Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus

In Præfat. ad lib. Paralip. ad Dom. & Rogat.

Hier c. 23. Psalm. 23.

Cap. 4. 1. Cap. 2.

manus sine irâ & disceptatione. *Volunt his laboribus & itinerum difficultatibus dignos pœnitentiæ fructus facere, Deo grati animi obsequium præstare, Crucis & Paßionis vestigia lambere, suum erga Deum amorẽ testari, oculos re adamatâ pascere, nec animum solùm oblectare. Est enim amantium ingenium non solum eius, quem amant, contemplatione frui, sed & domum, vestes, calceamenta, & si quæ minutiora sunt, cum admiratione spectare. Futurum quoque auguror, vt simulatq́; nasutior aliquos viderit hos* ITINERARII HIEROSOLYMITANI *libros, tetricâ & corrugatâ fronte eos aspernetur, repentem stylum accuset, & me bonas horas malè collocasse subsannet, quod ijs describẽdis tempus consumpserim, quæ alij fœcundiori ac facundiori stylo descripserint. His vulgato isto respondeo*

οὐ παντὸς ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς.

Condire scitè non cuilibet datum est.

Scripsi pro meo modulo quæ viderim, obseruauerim, experimento didicerim, addidi pauca ex aliorum relatu: quæ singula à nullo authore hactenus tradita, vel scriptis mandata, aut obseruata putauerim: an verum dicam, candidus Lector iudicet. Esto quoque, sint scripta ab alijs, multa tamen rerum vicißitudine, vetustate, ac bellorum turbinibus mutata, sublata, mutari, ac sustolli indies plurima nemo non nouit. Quare, quod æquus iudex minimè negaturus est, illorum scripta nouo delectu relatuq́; quandóque indigere necesse est. Non damnandus igitur, aut arguendus acrius, qui aliorum scriptis, ob varias rerum metamorphoses, aliquid addat, aut ampliet, vel ea nouo aliquo scripto elucidet. Interim cum Momis, & obtrectatoribus, veluti scorpijs, venenata linguæ arcuato vulnere contra me insurgentibus, nihil mihi negotij est. Nasutorum quoque satyricos sales nihil vereor; modò pijs & beneuolis opellam hanc meam non sentiam sordere: quibus si satisfaciam, si grata fuerit arriseritq́; mea scriptio, bono euentui me litasse existimabo. Cæterùm Beneuole Lector, si quid in hoc meo HODOEPORICO *boni reperias, si commodum aliquod ex eo percipias, nam*

——— cuncta legenti

Forsitan occurret, vacuas quod mulceat aures,

Pœniteatque minus suscepti in fine laboris.

Deo (à quo omne datum optimum) acceptum feras: si quid verò neglectum, perperam, aut minus cultè dictum offendas, humanæ imbecillitati adscribas, piè corrigas, ac veniam largiaris. Nosti vetus illud: Molâ litat salsâ, qui thura non habet. *Accipe igitur hunc meum qualemcúnque laborem fronte exporrectâ, & quâ soles humanitate complectere; & si pius es, lege, fruere, boni consule, ac vale.*

INDEX CAPITVM LIBRORVM QVINQVE HODOEPORICI HIEROSOLYMITANI.

LIBER PRIMVS.

Maritimum iter à Venetijs Iaffam vſque continens, habet capita viginti.

LIBER SECVNDVS.

Peregrinationem enarrans in Palæſtinam, capita habet viginti.

IV. Sacr

LIBER TERTIVS.

Syriacam profectionem Alapiam vsque elucidans, capita habet viginti quinque.

LIBER QVARTVS.

Sacra, ritus, mores, & instituta, habitus, & consuetudines Mahometæorum, itemq; Christianorum in Syria commorantium comprehendens, Capita habent nouendecim.

Accessit in Calce Synopsis Reip. Venetæ.

FINIS.



AD LECTOREM PEREGRINANTEM PARÆNESIS.

THEOCRITI consilium est optimũ sanè ac salubre, ne quis nudis pedibus montem perrepat, qui rubis tribulisque sit obsitus. Quo exemplo haud obscurè admonet, nihil temerè aggrediendum: sed eum qui vel genus aliquod vitæ nouum suscipere, vel rem arduam aggredi proponit, armatum esse debere aduersus occursura incommoda: ea ratione, ne postea suscepti eum laboris pœniteat, néve in opere deficiat. Eodem quoque pertinent exempla à Christo adducta, quibus insipientiæ eum tacitè arguit, qui vel turrim volens ædificare, non prius sumptus computet ad perficiendum opus necessarios, vel qui bellum initurus aduersus inuadentem se cum viginti millibus, non priùs cogitet an cum decem ei occurere possit. Luc. 14. Sanè quemadmodum temerè illum audere iure dixeris, qui imparatus cum parato, inermis cum armato congredi audeat: sic eum quoque temeritatis notam incidere non negaueris, qui illotis (vt aiunt) manibus, nullis acceptis admonitionibus, nullis instructus rebus necessarijs, aut ignarus prorsus eorum, quæ sibi vel vitanda, vel sequenda fuerint, *Hierosolymitanum iter*, varijs casibus & difficultatibus obnoxium ingrediatur. Hac igitur in re vt Peregrinanti aliquo modo prosim, consilioque eum iuuem, operæpretium duxi, priùs quam itineris nostri rationem atque ordinem prosequar, pleraque eorum hîc recensere, quæ ad *profectionem Hierosolymitanam* instituendam cognitu necessaria putauerim: rem illi non ingratam me facturum arbitratus, si quæ vitare, quæ curare, de quibus sibi prospicere debeat præmittam: vt æquiori animo, quæ occurrunt pericula, incommoditates, labores & molestias ferre, euadere, superare, aut ex ijs sese extricare commodiùs possit, adeoque faciliùs itineris sui scopum attingere, & ad finem optatum institutam profectionem perducere queat. Nam si quis viam initurus priùs secum meditetur, quo pacto aduersam ærumnam ferat, occursura incommoda superet, normamque sibi præscribat, quâ se in rebus gerendis regat, atque etiam se plurimis periculis, ærumnis, necessitatibus fore obnoxium sibi certò persuadeat, quæcunque tandem euenerint, imò quemcumque casum fortuna inuexerit, quietè atque æquo animo feret: nihilque ei inopinatum, nihil nouum erit: certè minori cum angore & molestiâ omnia sustinebit, quàm si horum ignarus, ac planè securus ea sibi ex impro-

uiſo ingruere ſentiat: reque ipſa demum experietur, verum eſſe quod vulgò fertur, iacula præuiſa minùs ferire: & quod ille ait:

Proſpice qui veniunt hos caſus eſſe ferendos:
Nam leuiùs lædit quicquid præuideris ante.

Illud autem in primis itineranti ſcire oportunum fuerit, quo portu ſoluendnm, atque vnde maritimum iter aggrediendum ſit: quod vt explicem, hæc præmittenda erunt. Solent Chriſticolæ *Hieroſolymam* profecturi quotannis circa dominici Corporis feſtum ex omni ferè Occidente Venetias confluere, ac feruore ſpiritus rapti; neglectis omnibus, ſuæq; vitæ periculis contemptis, concito gradu turmatim accedere, vt inde ſacram profectionem, pietatis intuitu inchoatam, maritimo itinere peragerent. Veneti enim Chriſtiano quodam zelo in peregrinantium commodum & vtilitatem, pro eorundem copiâ triremes circa idem tempus expedire conſueuerant, quibus recto expeditoque itinere ire, redire, atque ipſam peregrinationem facili negotio abſoluere omnibus dabatur. Verum annis abhinc circiter triginta, ereptâ illis ab Amurathe Cypro inſulâ, à tam ſalutari inſtituto deſtiterunt: ea fortaſſis (vt opinor) ratione, quòd nullos ferè poſthac, aut paucos ſacro huic ſeſe accingere itineri cognoſcrent. Quare qui nunc Venetias veniunt, non ſtatim nauem Iaffam Palæſtinæ portum nauigaturam inueniunt: ſed onerarię ſe committunt, quæ vel in Cyprum, vel Alexandriam Ægypti, aut Alexandriam Syriæ, in ſinu Iſſico poſitam vrbem, vulgò *Alexandretam*, vel Tripolim nauiget: poſtea altero nauigio conducto, reliqunm iter ad Iaffæ portum abſoluunt, & *Hieroſolymâ*, ac circumiacentibus locis perluſtratis, eodem nauigio ad locum vbi illud conduxerint, reuertuntur; vbi quandoque in tertium & quartum menſem ſedere debent, dum onerariâ naue oblatâ in Europam renauigent. Hinc ſumptus hac tempeſtate ampliores, caffarra Turcis Mauriſque ſoluenda, ac cętera vectigalia auctiora ſunt: quinimò moleſtiæ, labores, & difficultates grauiores; quibus omnibus plurimi ab itinere deterrentur. Quem verò huiuſmodi cauſæ non morantur, ſed iam firmiter decreuerit viam ipſam ingredi, cogitet in primis non profanum, non voluptuarium, ſed ſacrum ingreſſurum ſe iter. non lucri, non vanæ gloriæ, nec ambitionis cauſâ ſuſcipiendum: ſed ſolo pietatis intuitu, gratum diuino numini obſequium vt præſtet, & Crucem cum Chriſto ferat. Antequam verò ſe in viam det, res ſuas domi diſponat, teſtamentum condat, vxori & liberis (ſi quos habet) de neceſſarijs proſpiciat: denique ita ſe habeat, quaſi nunquam ad proprios lares rediturus. Vbi Venetias venerit, nauem non conſcendat, niſi animæ viatico munitus totum ſe diuinæ cuſtodiæ commiſerit, & veniam proficiſcendi à Pontificis Legato Venetijs commorante obtinuerit.

nuerit. Nam Pontifex pœnâ anathematis decreuit, ne quis eo inconſulto illuc proficiſcatur: à quo anathemate, niſi ab ipſo Pontifice, vel eius Vicario aliquo, vel Guardiano Hieroſolymitano nemo abſolui poteſt. Legatus autem veniam liberè impartitur, literas etiam teſtimoniales, quas ſecum ferat, concedit. Solet is peregrinantem interrogare, an ſumptibus itineris ferendis par ſit; qui niſi centum aureos vt minimùm ſe habere iurauerit, ad profectionem non admittetur: quod ea ratione inſtitutum arbitror, ne quis temerè itineri huic ſumptuoſo ſeſe committat, néve, cum in Palæſtinam venerit, Franciſcanorum monaſterio (cui potiùs emolumento eſſe debeat) damno & nocumento ſit. Minoritæ enim, aut itineris comites, ſi quis vacuâ crumenâ Palæſtinam accedat, ac conſueta vectigalia, ſeu caffarra, Hieroſolymis & Ramæ ſolui ſolita, penſitare nequeat, illius ſupplere vicem, atque eius nomine ſolutionem Turcis præſtare coguntur. Suo itaque quiſque ſe pede moduloq; metiatur, antequam itineri ſeſe accingat: videatque in primis anne tantum ſibi pecuniæ ſuppetat, quâ neceſſarijs ſatisfacere ſumptibus queat. Sanè ſi commodè proficiſci quis, nec incommodare alijs velit, minori nequaquam ſummâ, quàm centum aureorum tutò confici maritimum id iter poſſe certò ſciat, atque hac in re experto credendum haud dubitet.

Vt verò Lectori præcipui ſumptus innoteſcant ordine eos hoc loco recenſere non abſonum viſum eſt.

Pro naulo in primis Cyprum vſque, aut Alexandriam Syriæ, aliáve, quæ ſuprà memorauimus loca, quiſque ſex ſoluat oportet ducatos Venetos argenteos, vel ad minus quinque.

Pro victu menſtruo, ſi Nauarchi menſa frui quis velit, Ducati decem; ſi Architriclini, ſex ſoluendi ſunt.

Pro naulo actuariæ nauis, quâ Cypro Iaffam nauigatur, Cechinos aureos triginta, aut quadraginta, plus minuſve expendere neceſſum eſt. Ad quam ſummam ſinguli ratam ſuam portionem, pro numero peregrinantium, conferre debent.

Pro caffarris Iaffæ Maidini triginta quinque, aut quadraginta; & Mucharis pro vecturâ aſinorum Maidini totidem perſoluendi ſunt.

Ramenſi Subaſſio pro commeatu, aut ſaluo conductu, vt vocant,

 Hieroſoly-

Hierosolymam vsque, Cechinos sex aut septem: Pro introitu vrbis Hierosolymæ Cechinos duos: Pro ingressu basilicæ Sepulchri Dominici Cechinos nouem: Pro cereis sesquicechinum: Pro iuribus Curialium semicechinum quisque pensitare cogitur.

Si quis verò secundò ingredi Sepulchrum Dominicum expetat, siue vnus, siue plures fuerint, duos Cechinos soluant oportet.

In reditu Ramensi Subassio, Caffararijs Iaffæ, ac Mucharis tantumdem soluendum est, quantum in aditu quis soluerit.

Interpretibus Cyprio, Ramensi, & Hierosolymitano, quod quisque pactus fuerit, præstandum est.

Minutulæ expensæ Arnicæ, Iaffæ, Hiorosolymis, & reliquis in locis terrâ, marique, vel victus, vel vecturæ occasione, vel liberalitatis ergò fieri solitæ, quæque ab Arabibus itinera obsidentibus exiguntur, cum incertæ sint, exprimi hîc nequeunt. Hierosolymis, Bethleëmæ, atque Arnicæ, vel Tripoli Minoritarum monasterijs victus occasione eleëmosinæ fiunt, pro cuiusque conditione, vel arbitrio liberæ. Cæteras expensas, terrâ marique extra ordinem fieri solitas, vel victus, vel valetudinis ergò, aut vestium, aliarumq; rerum necessariarũ causâ, vti inincertas discreto Lectori indagandas relinquimus. Cæterùm de Cechini Ducatiq; Venetorum valore, deque Turcicæ monetæ æstimatione posteà suo loco dicemus.

Animæ verò, cæterarumque rerum quas diximus, curâ habitâ, corporis nequaquâm negligenda est: quinimò vel maximè eius procuranda sunt commoda, ne in itinere viator deficiat, aut quo minus voti cõpos fiat, impediatur. Primò itaque vnde commodiùs maritimum hoc iter inchoetur explicabimus. Sunt qui Massiliam Galliæ vrbem maritimam eligant, atque inde Tripolim Syriæ vrbem adnauigent: sunt qui Venetias accedant, atque illinc Cyprum, vel Alexandriam Syriæ petant. Ego etsi Massiliam præcipuum Galliæ portum sciam, Gallis in primis cõmodissimũ, nauibusq; instructum, quibus cum in Cyprum, & Tripolim præsertim tutò nauigetur: Venetiarum tamen portum, vt longè frequentiorem, cõmodiorem, & vtiliorem altero, deligendum suaserim. Consultiùs enim Peregrinanti fore nemo negauerit, si eam adeat vrbem, in qua maiori comitum frui copiâ datur. Cõmodiùs siquidem multis quàm paucis comitibus nauigamus. Curet itaque Viator, si salutis, si crumenæ consultũ velit, vt circa finem Aprilis, vel Maij initium Venetias se conferat: eò namque tempore, qui iter illud instituere

tuere proponant; confluere illuc ſolent. cum his ſe coniungat: quanto enim plures fuerint itineris comites, tanto ſecuriùs minorique diſpendio iter inſtituetur. Caueat autem ne leuioris conditionis onerariam, aut malè cõpactam, aut veterem adſcendat, ſed ex maioribus benè inſtructam, cui præſit Nauarchus non imperitus, quæque rectà Cyprum, vel Tripolim, aut Alexandriam Syriæ petat: alioqui vel maximè verendũ eſt, ne naufragio obnoxium ſe reddat, vel in piratas incidens (qui maria illa hac maximè tempeſtate ſummopere infeſtant) vitæ ſuæ periculum incurrat; atque ita priùs vitam quàm viam finiat: néve ſi merces alicubi exonerentur, & Nauclerus ſuis negotijs impeditus tardiùs ſoluat, nauigandi oportunitatem perdat, maioribuſque ſe diſpendijs oneret. Hac autem in re vel Minoritæ, Procuratoris Terræ Sanctæ nuncupati, Venetijs in monaſterio Diui Franciſci (cui cognomen à Vinea eſt) plerumq; degentis, vel mercatoris alicuius operâ conſilioq; vtatur. Vbi verò onerariam pro voto nactus fuerit, cum eius tabellione ſeu ſcribâ agat. Huic enim mercium recipiendarum, & à vectoribus nauli exigẽdi cura cõmiſſa eſt. Nauem tamen non adſcendat, niſi ſcribam in procinctu eſſe comperiat, ne ante tempus nauis incommoditatibus ſe exponat. Solent etenim Nauarchi, etſi aſſerant ſe proximo quoque die vela facturos, differre abitum in plurimos dies. Mox cum Nauarcho de victu conueniat: propriâ namque viuere quadrâ, niſi plures ſimul victitent, eademque vtantur menſâ, permoleſtum eſt. Præter hanc victus rationem de cęteris in itinere neceſſarijs ſibi proſpiciat; eaque in primis curet, quæ contra nauſeam, & vomitum ex maris agitatione oboriri ſolitum, atque ad corporis ſordes & immunditias euitandas, aut depellendas, aliaque effugienda incommoda, vel maximè requiruntur. Non enim temerè, vel imparatè, aut neglectis ijs, quibus indigere quis poſſet, iter hoc, tot periculis, tantiſque laboribus & incommodis obnoxium, inſtituendum quis putet. Nam quantamcunque etiam adhibuerit quis in perquirendo diligentiam, re ipsâ demùm comperiet ſemper ſibi aliquid deeſſe, quo vel maximè indigeat: cognoſcetque nequaquam ſibi pro voto ſatisfactum eſſe. Vt verò Peregrinanti conſilij optimi copiam faciam, eumque rectè inſtruam, pleraque eorum quæ ſcitu neceſſaria putauerim, recenſebo, ad minutias & leuiſſima quæque etiam deueniens.

Culcitram igitur, quiſquis es, ſi commodè proficiſci velis, corporis tui longitudini conuenientem, lanâ vel floccis fultam, cum ceruicali biniſque linteis: capſam item ligneam, ac ferâ munitam, longam pedes ſex latam tres, cui vt fulcro culcitram imponas, quæq; cęteris tuis recipiendis rebus ſufficiat, mercari ne negligas. Quatuor adhęc vel ſena tecum feras induſia, abſque collarijs, aut ſi nauis, ſimplicibus tantum

tum nequaquam rugatis. Tegumentum capitis, quo in naui vtaris, laneum ſit more nautico. Duo item linea, duoque lanea paria caligarum; duo calceorum: ſudariola quoq;, linteola, mappulæ, & mantilia aliquot haud negligenda ſunt: quo faciliùs aduerſus pediculos, aliaſque ſordes tueri te poſſis; quæ ſi ſemel adhæſerint, non facilè excuties. Saponis etiam libram vnam atque alteram emito; quo ipſe, ſi opus fuerit, lauare induſia, linteolaque cętera poſſis. Etſi verò victum à Nauarcho emeris, niſi habeas quo ſtomacho faſtidienti quandoque cibos, opituleris, non eſt quod ab eo alióve exſpectes quicquam, qui laboranti tibi ſubueniat: quiſque enim hîc quæ ſua ſunt quærit, ſibique commodare mauult, quàm alteri. Proinde biſcocti panis optimi libras viginti, vaſculum vini melioris, quod ſtomacho conducat, liba aliquot Veneta, vulgò *Bozzelai* dicta: cinamomi, gingiberis conditi vncias duas, aut tres, nuces myriſticas, caryophylla aliquot, aliaque ſtomachũ corroborantia emere ne omittas: iiſque neceſſitate tantùm exigente vtendũ ſcias. Punica quoque mala, aurantia, citrea (quæ in Corcyrâ. Zacyntho, Cretâ, Cypro, ac Tripoli abundè proueniũt, atq; ad ſitim extinguendã in primis oportuna ſunt) cõpares. Quia verò ſępenumerò nauigationi non aſſuetis, & maximè cœliacis, ex ventre laborare contingit, huic morbo niſi in tempore medelã quis adhibeat, in vitæ diſcrimen ne incidat vel maximè verendũ eſt: neceſſe igitur erit, vt de pharmacis, quæ aluũ mouent, tibi proſpicias. In primis verò Saccari librã vnam, vuarum paſſularum, quas pharmacopoei Veneti ad laxandũ aluum cõponere ſolent, libras duas, itemq; iolapij violati vncias tres, aut quatuor, quod aquâ mixtum aduerſus febres, atq; æſtum ſolis corpori ſummopere conducit, coëmas: quę quidem omnia in arcâ tuâ condere poteris. Vinum tamen architriclino, ſi fidum putaueris, committere licebit. Capſam verò vel ſcribæ vel nauarchi operâ loco commodo collocari curabis: quam naui egreſſus, ſiue Tripoli. ſiue Arnicæ, Minoritarum cuſtodiæ relinquere tutum erit. Cum enim reliquum itineris Iaffam vſque actuariâ naui conficiatur, capsâ nihil opus eſt: ſed vbi in Cyprũ, vel Tripolim redieris, relictam in nauem inferre licebit. Quia tamen Venetæ pleræque naues in reditu vt plurimum adeò mercibus onuſtæ ſunt, vt vix Peregrinanti commodus pateat locus, ideoq; in patulo ipſi quandoque hærendum ſit, è re tuâ futurum puta, ſi Arnicæ capſam venundes; aut ſi in nauem recipi mauis, te duplo plus ſoluturum ſcias, quàm antea ſolueras: quinimò à nautis (quorum ſinguli deſtinata & præſcripta habent in nauibus loca, quibus ipſi proprias capſas collocant) locum aliquem, quo capſam reponas, conducas neceſſum erit: eâ conditione, vt eâ tibi ad libitum

vti li-

vti liceat; aut si locus non erit, capsæ alicuius vsum redimas, quo cubare desuper, ac morari interdiu noctuque liberum tibi sit. id enim nisi feceris, nullibi locus tutus erit; & tu acceptus nemini. Exulat quippe apud nautas plerumque omnis humanitas; nec vel tantillum commoditatis Peregrinanti concedendum putant, nisi pecuniâ redemerit. Si verò capsam nullam habeas, locus tibi à nautâ conducendus erit, quo collocare culcitram, illiusque capsâ condere cæteras res tuas, ac cubare desuper possis. Gausapinam seu stragulum habeas, quo te nocturno præsertim tempore tegas, & aduersus frigus noctisq; incommoda tuearis. Etsi enim in aditu ob Solis ardorem, æstumque nimium, vix eo indigeas; in reditu tamen, qui Hyeme plerumque contingere solet, carere eo nequaquam commodum erit: cùm frigus, pluuia, ventique vbique ingruant: & nisi habeas quo te aduersus tot ærumnosi sali incommoda tuteris, facilem in morbum incides. Si cum Gallica naui Tripolim perrexeris, Venetæ siquidem hoc tempore rarò eam vrbem petunt, etiamsi in aditu comparare tibi Gausapinam neglexeris, poteris iam eâ in vrbe eam tibi mercari, & Massiliæ cum lucro venundare.

Vestis superior sit vilis, sordida, ac pannosa planè; aut si placet, obsoleta, stricta, non laxa, & ad talos vsque demissa, coloris cineracei, quo plerique Seraphici vtuntur. Cinctura etiam, ac capitis tegmen eiusdem conditionis. Ab interiori quoque, subligaculis puta, thorace, caligisque absit omnis ornatus, siue sericus, siue argenteus, aut aureus: omnia rudia sint, & vilia. Si enim ornatum aliquem vestium Turcæ, Maurive animaduertant, principem te virum, aut diuitem rati, insidijs & auanijs Turcicis obruent, quærentq; quo noceât, & pecuniã extorqueant. Etsi verò in naui quibusvis vti vestibus liceat, cùm tamen adsint plerumque Armenij, Græci, Turcæ, aut Hebræi, qui ex vestium ornatu occasionem captare possent, vt te criminis alicuius apud iudices insimulent (inuident siquidem, atque odio habent Orientis populi vt plurimùm Occidentales) nequaquam è re tuâ futurum arbitreris ornatum aliquem vestium admittere: quinimò quo humiliùs, vestiaris, quóve sordidioribus vtaris pannis, securiùs iter perages, minusque periculi tibi conciliabis. Viridis verò coloris vestimentis, limbis, fulcimentísve nequaquam vtaris: eiusmodi enim vestiri Christianos nefas esse putant Turcæ: cum solis Mahometæis, qui genus ad Mahometem referant, quíve Mechanam Peregrinationem peregerint, id lieat.

Arma nulla tecum feras: cultello apud Turcas Maurósve in publico non vtaris: nam si ab ijs cum cultro conspectus fueris, per vim tibi eâ auferent; & si recuses, resistásve, verberibus, pugnisq; te excipiet.

 Pecuniam

Pecuniam ſecreto loco conde: quãtum habeas indices nemini: nec niſi noto, aut, quem tibi redditurum certò ſcias, pecuniam mutuò des; aliàs enim & amicum, & pecuniam perdes.

Teſſeras collybiſticas, vulgò literas cambij, vel ſaltem cõmendatitias, ad mercatorem aliquem. ſiue Italũ, ſiue Gallum, aut Anglũ. Arnicæ vel Tripoli cõmorãtem, tibi procura: quibus, ſi res exigat, vti queas: ſi nullis indigeas, oneri ſaltem, nec damno vlli tibi futuras exiſtimâ.

Vbi iam Venetâ exceſſum naui, atq; in Cyprũ ventum erit, de nauigio, quo in Paleſtinam transfreteris; ſuſcipienda cura eſt. Hîc Lectorẽ admonitũ velim, ſi plures fuerint itineris comites, aliquem vt eligant, qui acri iudicio ſit, Græcũ item, Italicúmve idioma calleat. Is ſi deſit, qui ingenio ac rerum experientiâ præſtet cæteris; quò rebus gerendis aptior eſſe poſſit. Si verò ſolus ferendo oneri par eſſe nequeat, collega illi detur, qui conſilio iuuet, & operâ. His pecuniâ expendenda cõmittatur: Hi acceptum ferant & expenſum referant: eâ ratione ne Turcæ, Mauríve, ac cæteri Orientales, ſi ſingulos in marſupiũ immittere manus videant, pecunioſos arbitrentur; adeoq; Turcicis auanijs vexent, pecuniã ſcilicet vt extorqueant. Mahometæi ſiquidẽ, atq; Orientales ferè omnes Occidentaliũ pecuniæ inhiant: ſtudentq; per fas & nefas eorũ euacuare crumenas. Electus præterea Iudiciariũ cõſulem, ſiue Venetũ, ſiue Gallũ adeat, ac Minoritarũ cõmendatione eius patrocinio in cõducẽdo nauigio vtatur. Is enim cũ auctoritate eniteat, atq; omnibus & Chriſtianis, & Mahometæis notus ſit, de Nauarchi & nauigij cõditione ſecuriùs inquiret & faciliùs de pretio nauli cũ nauiculario cõueniet. Animaduertat autẽ Peregrinans, ne cũ Græco nauarcho cõtrahat, cũ fidẽ pleriq; fallant, & Latinis in primis inſenſi ſint; ſed cũ Syro potiùs, aut Mauro, Cõſuli noto: qui ſi Italicã calleat linguã, vti pleriq; ſolent, pro interprete eſſe poterit: ſin minus, interpres adhibendus erit, qui in itinere, quouſq; in Cyprũ, vel Tripolim redieris, comitetur, rebus cæteris opem ferat, neceſſaria procuret, ſingula diligenter cõponat, cũ Caffararijs paciſcatur, & omnium nomine, vbi opus fuerit, reſpondeat.

Pactum cum Nauarcho hac conditione fieri conſueuit, vt peregrinantibus Iaffam deductis, ipſe in portu eorum reditum in diem decimum ſeptimũ, aut decimum octauum exſpectet: ſi in plures reditum differant, in ſingulos dies Cechinũ Venetum exſoluere habeant: Reuerſus cum rebus omnibus incolumes eò reducere, vnde eduxerat, teneatur; aut ſi quod damnum acceptum ſit, ſuâ id culpâ non accidiſſe probare: quâ de re etiam fideiuſſorem dare, & inſtrumento iudiciario obligare ſe ante profectionem nonnunquam ſolet.

Nauli dimidium, vbi Iaffam ventum eſt. Nauarcho ſoluitur; reliquum cùm eò reuerſus erit, vnde ſoluerat; niſi cum eo egeris, vt te Iaffam

fam

sam solùm vehat: tunc enim integra solutio præstanda est. Nauli ratione expeditâ, cibaria si desint, aut non sufficiant, ab Electo in quindecim dies pro numero comitum comparanda sunt. puta carnis salsamenta, lucanicæ, oua, cocta omnia: nam coquere in nauigio nihil licet. Oleum item & acetum, vinum quoque, & aqua recens, dulcisq́;, ac fructus recentes. Etsi verò Iaffæ portus à Salinarum statione, vnde plerumque onerariâ naui exceditur, ducentis tantum miliaribus, aut eo circiter distet, si rectà nauiges; nonnunquam tamen, nisi secundo vento vela facias, decem, quindecim, viginti, aut pluribus diebus captare terram non licebit. cùm non rectâ viâ altum petere, sed obliquâ ire necesse sit. In Cypro siquidem æstiuis temporibus vt plurimùm Corus & Africus dominantur: quapropter retrocedendum est ad Caput felium, seu Gauata promontorium vsque, si tutò Iaffam nauigare velis.

Annonam omnem, ne à nautis absumatur, capsę inclusam, & reliquas res in itinere vsui futuras, nauiculæ inferri Electus curet: maximè si cum Nauarcho pactum sit vt te reducat, vnde eduxerat. Cætera verò quibus ad necessitatem non indigeas, nec vsui tibi futura putaueris, comitum capsis (si tua nauigio illata sit) includere poteris: capsam tamē non in naui, etiamsi cum eâ te in Europam rediturum speres, sed apud Minoritas (apud quos cum in aditu, tum in reditu morari, victum emere, domicilio vti licet) relinquere tutiùs erit.

Caueas autem, cùm alicubi stubsistis, ne fructibus te ingurgites: nam damnosi sunt, & dysenteriam generant; ficus præsertim, anguriæ, & pepones: modicè autem sumpti non officiunt; maximè si haustum vini superaddas. Ab aquæ etiam nimio potu, Tripoli præsertim, itemq́ue vini, omnino abstineas: nihil enim in his regionibus est periculosius. Itaque si saluti tuæ consultum velis, sobrium assiduò te exhibe, atque omnem cibi potusq́ue excessum caue.

Itineri iam accinctus, præter annonam & summè necessaria, vt indusium vnum atque alterum, cum collarijs aliquot, & sudariolis, nihil cura: nam si plurimis onustus sis rebus, summam in terrestri itinere senties molestiam. Hîc demum te præmonitum velim, innumera ferè in maritimo itinere, quo Iaffam pergitur, toleranda fore incommoda: præter nauis enim agitationem, quæ nauseam parit, ac cibos potumq́ue stomachum continuò fastidire cogit, sub dio interdiu noctuq́; cubare necessum est. Nulla hîc quies, nulla commoditas, nullum solatium: dolor, labor, & horror iugiter adstāt: sentinæ grauis putor, vomitantiū & ructantium fœtor, ac postico crepitantiū malus odor spiritū tibi præfocant: æstus diei, solisq́; ardor vehementissimus, frigus item, ros, humiditas nocturna te excruciant. Nauticum genus, asperū

nimis & rigidum, neque ægris aut languidis amicum, sed inhumanum prorsus assiduò te vexat, affligit, opprimit. Immanes namq; barbari, & immites planè, quantumuis pręægritudine loco te vix mouere queas; attamen modò huc modò illuc discursitare, ac mutare sessionis locum sæpiùs compellunt: in imam carinam nonnunquam detrudunt, pedibus calcant, cõuicijs & iniurijs lacessunt, deridēt, cibaria eiam te inuito absumunt, & deglutiunt: quæ omnia æquo animo sustineas oportet.

Iaffam vbi veneris, in portu hærendum erit, donec Ramensis accedat interpres: qui si absit, Bethleëmiticus aliquis aduocetur, linguæ Italicæ peritus, qui è nauigio te educat: quo nondum præsente, caue exeas, ne Maurorum, Arabúmve insidijs (quorum plurimi in vicino littore iugiter hærent, & quotidie suas exercent mercaturas) te temerè cõmittas. Facilè enim, si non adsit, linguæ Arabicæ gnarus, qui te comitetur, laboranti opem ferat, reprimatq; barbarorum insultus, in discrimen incidas, quo te difficulter exemeris. Interpres hîc Mucharos (hoc est, asinorum atque animalium sarcinariorum actores) itemque milites qui te Ramam vsque comitentur, adducit, de Caffarrorum solutione, deq; cæteris in itinere obeundis curam gerit, eoq; comitante terrestre carpitur iter. Quisq; Peregrinantium asino hîc vehitur: pedibus incedere nulli licet. Asinis nulli sunt stapedes, nullum frænum, nullæ habenæ, nec sella, sed clitellæ tantùm prorsus incõmodæ: stapedes igitur sibi quisque conficiat, qui plerumq; ex asseribus fune adaptatis cõponuntur: quos asino non accõmodet quis nisi adscensurus iam: & vbi descenderit, receptos custodiat: id enim si negligat, surrepturos Mucharos, neque reddituros nouerit. Mucharis præter vecturæ pretium, quemadmodum & nautis, qui te Iaffam vsque deduxerint, gratuitum donum (vulgò cortesiam vocant) vltrò præstandũ est: quod si quis recuset, vel inuitum fustibus cogent vt soluat. Eadem & cæteris Mucharis (quorũ operâ posteà in conducendis asinis, in Bethaniâ, Bethleëmâ, alijsque vrbi circũiacentibus locis inuisendis vteris) ratio est. Caue autem ne in itinere à reliquo comitatu longiùs te disiungas, néve præcedas: sed ducem, vel interpretem sequaris, eiusq; adhæreas lateri. Mahometæorũ quoq; cœmiteria equitando ne transeas. Santono aut Seripho obuio in itinere ex asino descendens honorem exibeas. Vrbem equo aut asino insidens ne ingrediaris, nisi vapulare à barbaris malis. Hoc præterea moneo, hoc amicè obtestor, humilẽ, modestum, cautũ circumspectum vbiq; te exhibeas. Hierosolymis, aut alibi Turcarum in ditione solus ne incedas, aut diuageris, sed comitem tibi adhibeas Arabicæ linguæ gnarum, qui te vbique gradientem defendat, instruat, atq; opem ferat. De Christianâ religione cum Mahometæo nequaquã dispures, nec in eos eorúmve sectam inueharis; nullũ verberes; si

res; si illi te, vindictam ne sumito, sed æquo fer animo: secus enim si faxis, manifestum vitæ periculū incurres, aut magnâ pecuniâ salutem redimes. Nullum deride: cauillari cum aliquo caue: iocos & sales fuge; ad contumeliam enim omnia accipiunt, magis quàm ad leporem, vel vrbanitatem. Neminem aperto capite saluta; sed vulgarem illorum in salutando morem obserua; capite ad ventrem inclinato, manibusq; ad pectus appositis reuerentiam honestioribus exhibe. Messitas eorū non ingredere: fœminarum consortiū vita; easq; vel publicè incedentes, vel subdialibus sese pauimentis cōtinentes, nequaquam saluta, aut diligentiùs obserua: nictare etiam, aut eas notare digitis omnino caue. Si quos ebrios obuios habeas, de viâ decede. Curiosius mœnia, arces, munitiones, locaque publica lustrare noli: pedem nullibi firma, vt denotes aut describas quicquam quod publici iuris sit; suspiciosi enim cùm sint Turcæ, Maurique, emissitium te rati in vincula illicò rapient. Tripudijs, festisve eorum publicis ne te intermisce, nisi Genizaro comite. Conditionem tuam nulli Orientalium aperi; præsertim si nobilis, aut diues sis; sed plebeium vbique hominem te simula: seruum si tecum adduxeris, tanquam fratre & comite vtaris; nec vllam operam ab eo in publico exigas. Liberalius nummos ne eroges: pecuniam enim profundere in partibus illis cumprimis periculosum est. Nam si quis id faxit; illi Turcę cæterique Orientales spe lucri (cui vel maximè inhiant) magis insidiantur. Hispanum Germanúmve, aut Italum ne te dixeris: sed si Italicam calleas linguam Venetum: si Gallicam, Gallum: si Anglicam, Anglum. hos enim ferunt; reliquos non item. Hinc etiam vel maximè tibi cauendum puta ab Hebræorum cōsortio, ne ex loquelâ tuâ cuias sis cōjiciant: nam cùm varijs imbuti sint linguis, & Christiani nominis osores maximi, facilè fiet, si te nec Gallū, nec Anglum, nec Venetū sentiant, vt te pro coriphæo, & Osmanidarum hoste pessimi delatores suo cum emolumto denuncient. Venetis, Gallis, Anglisque, in onerariâ si adsint, beneuolum te præbe: quorum verò magis arridet conditio, quósve in itinere profuturos tibi arbitreris, horum amicitiam demerere, ac fide, officio, humanitate tibi deuinci. Orientis etiam Christicolis, si qui fortè in naui fuerint, vt plerumque contingit, facilem & benignum te exibe: neminem eorū iniurijs lacesse, aut opprobrijs irrita. In eorum quoque contemptū de religione, ritibusque eorum sermonem ne misceas, ne quandoque tibi vbi in Cyprum, aut Syriam veneris, par pari referant, deq; illatâ iniuriâ acrem vindictam quærant: quinimò eorum potiùs tibi conciliare animos, ac captare beneuolentiam modis omnibus stude; vt si auxilio, aut adiumento tibi esse nequeant, damnum saltem non inferant, aut aliquo modo noceant. Orientalium Christianorum familiar[illegible]e in

Cypro aut Palestinâ licitè, quidem vti poteris; nequaquam tamen eorum te fidei temerè committas, eorúmve suasionibus facilè ne pareas; & si vt Turcarum templa adeas, vrbium mœnia munitionésve lustres, extra vrbem deambules, suadeant, hortentúrve, nequaquam obtempera: subdola siquidem gens est, & ad fallendũm nota atque astu plerumque id faciunt, vt vitæ Peregrinantium insidientur, incautos obruant, criminis apud iudices insimulent, deferantque innocentes; pecuniam scilicet vt eliciant, & aliorum malo lucrentur. Fateor quidem non omnes esse eiusdem conditionis: sunt enim qui faueant Occidentalibus, qui iuuent consilio, quique vbi opus esse cognouerint, opitulentur aduenis: vt plurimùm tamen inhumani sunt, & infidi, barbaro potiùs, quàm Christiano nomine digni.

Quod si vniuersam Palæstinam, Syriamque lustrare, atque vnà cum Christicolis Orientis sacra inuisere loca, & in primis Paschalis festi ceremonias, Orientalibus consuetas obseruare, varijsque eorum sacris, ritibusque ecclesiasticis intercesse desideres, in Augustum differre abitum licebit, nec opus est vt cum primâ discedas naui, quæ in Syriam nauiget. Cùm verò Venetæ pleræque onerariæ Alexandriam Syriæ in sinu Issico sitam vrbem petant, ibidemq; merces suas exonerent, illuc te conferas: inde verò terrestri itinere Genizaris comitantibus Aleppum pergas: quâ in vrbe hiemandum est, atque in proximum quadragesimale tempus differendus abitus. eo namque tempore innumeri pænè Orientales vndequaque Aleppum confluunt, sacro sese vt accingant itineri, ac Hierosolymam pergant; Pascha ibidem suo quisque ritu celebraturi, eo præsertim intuitu, vt ignem sophisticum cœlestem ab Orientalibus creditum, à Græcorum Patriarchâ enundinentur. Quo quidem comitatu tutò proficisceris, si habitu mutato, Armeniorum vel Syrorum more vestiaris, Armenioque vel fido alicui Maronitæ, qui tutelam tui patrociniumque suscipiat, commenderis. *Syriæ* præcipuæ vrbes hoc itinere, Apamia, Emesa, Damascus, aliæque, ac Palæstinæ regiones omnes, viginti plerumque dierum spatio lustrantur. Vbi Hierosolymam eo comitatu veneris, tribus vltimis sacræ hebdomadæ diebus Dominici Sepulchri Templum, aliaque vrbis Hierosolymæ sacra loca penetrare, & inuisere vlla absque tributi solutione licitum erit: quinimo ad ripam Iordanis fluuij, in quo Christus à Ioanne baptizatus est, cõcurrentibus vndiq; Christianis Orientalibus, liberè accedere poteris, cùm aliàs sine maximis impẽsis, & Genizarorum comitatu nequaquã liceat. His ad sua redeuntibus, Aleppum repetere cõmodè licebit. Eodem pænè modo, & tempore, si cum Gallicâ naui, aut Venetâ è Cy-

è Cypro Tripolim accedas, terrestri inde pariter itinere in Orientalium Christianorum comitatu Hierosolymam pergere; eademque quâ ventum est viâ, redire Tripolim commodè poteris. Si verò hîc comitatus tibi non arrideat, nec è re tuâ futurum arbitreris, Orientalium fidei te committere, primam è Veneto portu Alexandriam Syriç nauigandi occasionem ne negligas: inde verò Alapiam pergas: mox reliquum terrestre Hierosolymam vsque absoluturus iter. Solus tamen viam ne ingrediaris: sed Genizaros tibi adhibe comites, qui te ducant, reducantque. Hi nocturno plerumque tempore, Arabum grassationes æstumque diei veriti, iter hoc conficiunt: quod quidem maximè dispendiosum est, & periculis plenum, Arabumque excursionibus (quorum manus raro equidem effugere datur) in primis infestum. Hæc sunt, Amice Lector: quorum te præcipuè admonitum volui: quæ æqui bonique consulas. Plura adferre potuissem: sed ne nimius videar cætera tibi indaganda relinquo. Vale.

IOANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARII HIEROSOLYMITANI ET SYRIACI

LIBER PRIMVS.

Maritimum iter à Venetis Iaffam vſque continens.

CAPVT I.

Ex Venetijs diſceſſus. Primùm mari diſcrimen maximum. In onerariam adſcenſus; eiusq́ conditio, ac horrida mox procella.



NNO à partu Virgineo CIↃ.IↃ.XCVIII. quarto Nonarum Sextilium, qui dies erat Dominicus, ſummo manè, cœleſtibus primum refectus dapibus, & ſalutari ſumpto in Diui Marci Baſilicâ Viatico, ex vrbe diſceſſi Venetâ; cymbamque meritoriam, vulgò *Gondolam* vocant, quatuor inſtructam remis, conſcendi, quæ ad onerariam duceret, quâ cum Cyprũ petere propoſueram. Hæc (cui nomen *Nanafarra*) inter cęteras maxima, quippe quæ cuparum ſexcentarum ſupra mille pondus deportare aſſerebatur: cupas vero ſingulas ponderis mille librarum computant Veneti, Cyprum & Alexandretam Syriæ profectura, Metamanci portum non ita pridem exierat, atque anchoras iecerat in ſtatione, quam vulgus Italûm *Pel'oroſſo* appellat. Diſtat is locus à portu circiter ſex millia paſſuum: vbi omnes præcipuę magnitudinis naues, quò commodius mercibus onerari queant, ſtatiuum locum habent. Diui itaque Nicolai portu, aliàs à duabus arcibus vtrimque poſitis Caſtrorum dicto, egreſſi, vbi ad quartum milliare ventum fuit, iam um- onerariæ naui: ecce vehementi eoque ſubitario ex adu[...] parte

pente vento, progredi vlterius prohibemur. Obluctantur nautæ ac vel inuitis ventis pergere, ac iter cœptum perficere conantur. Vbi verò iam nimium intumescentibus vndis frustra desudare se vident, nec quicquam proficere; cedere tandem, & auersa prora portum repetere, non sine summo discrimine sunt coacti. Terrebat nonnihil infaustum adeò principium: neque tamen despondebam animum; quinimo meliora sperans, diuinoque confisus numini, quærebam occasionem maioris nauigij, quo rursũ me mari committerem, ne incassum eo die tererem tempus. Cogebar tamen per horam vnam atque alteram, cum ventorum interim fremitus furiosus augeretur, nec esset qui se aduersantibus ventis committere auderet, in portu subsistere. Tandem lembo (Peotam dicunt Veneti) octo instructo remis, atque ad onerariam properanti, me credidi: de naulo cũ Nauarcho cõueni; rebusque meis è cymbâ in nauigium transpositis, remis iterum portu egredimur. Vix autem miliario à portu peracto, dum furibundo obnitimur Æolo, tumentesque sulcamus vndas, in nouum discrimen incidimus: rupto namque præ nimio ventorum fremitu ferro temonis, fluctibus pęnè obruimur: tantumque haurimus aquæ, deficiente gubernaculo, vt vix euadendi naufragium superesse spes videretur; ac nisi summâ industriâ & diligẽtiâ temonem iam quasi amissum nautæ recuperassent, actum erat de nobis. Perterriti idcirco nautæ de reditu cogitant, ferri in primis reficiendi causa: temonem interim funibus ligant, & firmant, aquam exhauriunt; ventoque in puppim capto, portum secundò repetimus: Vbi toto eo die, ventis interim furẽtibus, & impedientibus abitum, hærendum fuit. Mediâ verò nocte subsequenti, cum iam ventus aliquantulum conquiesceret, tranquillumque se redderet mare; rursum iter suscipimus, ac remis mare ingredimur, fęliciori quidem euentu: sub ipsum namque diei crepusculum ad onerariam peruenimus.

Erat Nauarchus (quem Patronum Veneti nominãt) *Baptista Tagierus*: tabellio autem seu scriba *Alphonsus Zilius*, vterque Venetus. Scribæ quidem apud Venetos merces omnes assignantur, qui eas in codicem redigit; de naulo mercium, ac nauigantium respondet, estque secundus à Nauarcho, eoque inuito nemo in nauem recipitur. Hic igitur statim, vbi nauem conscendi, de naulo quærit; vt soluam expetit: ego quantum alij se daturos promiserant, soluturum polliceor. Ille verò nil mihi cum cęteris, velle se decem Cechinos aureos, quos nisi pendam, naui exire iubet: putabat etenim, quòd alienigena essem, me metu concussum, iniquæ suæ obtemperaturum exactioni; sua tamen ipsum fefellit opinio: syngraphum siquidem, quod à Clarissimo viro IOANNE NA-[illegible] nauis auctore seu domino acceperam, quo cum antea de naulo sex [illegible] Venetorum conueneram, ipsi obtuli: id vbi vidit, obstupuit; [illegible]deri tam vilipretio me pepigisse ait: dominũ quidẽ donare suum

ſuum cuilibet poſſe: ſibi autem hoc non licere. Ego verò è re meâ futurum ratus, ſi me homini inſinuarem, verbis eum demulcendum ſtatui: captare id circo beneuolentiam, addere officia, & prædicare ipſius fidem cœpi: quippe quem ſuo functum munere, nec humanitatis prætermiſiſſe officium, ac ſui heri, non aliorum inuigilare commodis oportuiſſe dicerem. Hiſce alijſque blandis verbis hominem adeò deuinxi, vt benignum deinceps & beneuolum omnino ſe mihi toto itinere exhibuerit; ſtatimque loco ſatis commodo capſam, measque res omnes à nautis collocari iuſſerit.

Primum atque illuxit dies, qui tertius Nonarum Sextilium erat, Peregrini, vt ex habitu me itineris comitem futurum cognôrunt (tunicâ etenim cinerea ad talos vſque pendente indutus eram) gratulati aduĕtum, ſalutarunt humaniter. Præter Franciſcanos numero decem, duo aderant Peregrini, viri religioſi, alter Luſitanus præſbyter, alter Italus, ex Marcâ Anconitanâ, ordinis Eremitarum Diui Hieronymi monachus. Cum Luſitano ante aliquot dies forte fortuna Venetijs in Marciano foro mihi obuio amicitiam contraxeram: ceteri ignoti prorſus, excepto Vicario Hieroſolymitano, Minoritarum duce: qui vt erat vir ſummæ humanitatis, de rebus in itinere neceſſarijs paulo ante benignè admodum me inſtruxerat. Aderant quoque in naui præter Italos, & Dalmatas, ac nautarum cateruam numeròſam, variarum gentium mercatores plurimi, Turcæ, Perſæ, Syri, Armenij, Indi Græcique: dixiſſes te vrbem non nauem videre; tanta quippe aderat hominū multitudo, tanta gentiū diuerſitas. Videre ibi erat & viros, & fœminas nobiles, & plebeios, ſenes, & pueros, ſua quemque lingua ſermocinantes, in varias claſſes & cubicula diuiſos.

Hæſimus autem ea in ſtatione toto biduo, Venetos quoſdam patritij ordinis in Cretam magiſtratus ineundi cauſa à Senatu ablegatos, expectantes. His tertio demum die in nauem receptis; nautarumque mox habita recenſione, cum ſol iam ad occaſum vergeret, vela præparari iuſſit Nauarchus: ventus ſiquidem ſe noſtro itineri non alienum exhibere videbatur.

Horâ itaque primâ antelucanâ inſequentis diei, ipſis nempe nonis Sextilibus, anchoras eruimus, vela ventis damus; ac ſpumas ſalis naue ſecantes, iter aggredimur, flāteque Vulturno altum petimus. Ad quintam tamen inde horam tanta repentè malacia extitit (quam nautæ *Bonazzam* vocant) vt in alterum nos vſque diem retineret ocioſos; vix enim quicquam proficitur, placidum ventis cum ſtet mare. A Meridie rurſus Euro-auſter à prorâ inſurgit: vnde non ſine ingēti moleſtia obliquādo curſum, reliquum diei, noctemque proximam tranſegimus. Orto iam ſole, Pyranum Iſtriæ oppidum eminus ſe nobis conſpiciendum præbet. Nautæ ſe nihil aduerſantibus ventis poſſe proficere cum

viderent, Istriam versus iter capiunt; haud procul à Pyrano anchoras iaciunt: ibidemque per noctem (cum ventus magis ac magis intumesceret) subsistimus. Interim ex Franciscanis quidã febre correptus, scaphâ in Continentem trajicitur, & ne aliis impedimento sit, ac suæ magis saluti consulat, in proximum Istriæ monasterium, vt se conferat, à Vicario, literis additis, iubetur. Primo diluculo sublatis anchoris velorum iterum pandimus alas; ac zephyro leniter spirante, Istriæ littus legimus; ventoque licet exiguo, secundo tamen, velificamus.

Sexto Id, Sextil. Ciuitatem Nouam, & Parentium, Istriæ vrbes maritimas, itemque Orsarium oppidum, vento vtcunque placido prætergredimur. Mediâ nocte subsequenti horrida procella oboritur: erumpunt nimbi, tonitrua, fulmina: aberamus autem à continenti non plus vndecim millibus passuum: vnde & maius instare periculum videbatur. Verebamur enim, ne vis procellæ ex improuiso subortæ in vada cæca, scopulosque propinquos impelleret nauem: & nisi summâ celeritate vsi fuissent nautæ, vix vela collegissent. Sequiebant ab alto rabidi fluctus, mugiebat à profundo pelagus, vndarum cumuli spondas interdum superabant; modo à puppi, modo à prorâ tumidissimâ procellarum rabie concutiebamur; omnia plena metu, horrenda omnia. Nauis quoque, licet velis contractis & demissis, adeò vi ventorum in latus dextrum ferebatur, in quam partem etiam malus procumbebat, vt nonnunquam à tumescentibus vndis superari videretur: quapropter Nauarchus veritus ne ventorum rabie malus disrumperetur, atque inuerteretur nauis, secures præparari à nautis iussit, quo instanti periculo præsto essent, & si opus foret, malum præciderent. Quartâ tandem horâ, languescente paulatim vento, periculum euasimus: velis tamen demissis, totâ eâ nocte nauigauimus. Dura quidem hæc nobis nauigandi visa initia: verum spes diuini auxilij nos pascens, ad hæc & maiora ferenda & subeunda accendebat animos.

Postero die pleno sulcantes æquora velo, ventis vbique propitijs, Ruignum, Polam, & extremos Istriæ meridionales scopulos, vulgò Phanatica promontoria à tergo reliquimus: totoque Istriæ littore abraso, Phanaticum ingredimur sinum. Priusquam tamen institutum prosequamur iter, paucula, quæ de Istriæ situ, fertilitate, & conditione nobis innotuêre, cum aliàs eam perlustrauerimus, annotare non absonum duximus.

CAPVT. II.

Istriæ Prouinciæ, vrbiumq; in eâ & oppidorum descriptio.

EST Istria Italiæ Prouincia Plinio decima, à Neotericis decima nona & postrema habita, ab Istro duce, à Iano Italiæ rege illuc misso.

vt auctor est Cato, vel vt alij volunt, Plinium sequuti ab Istro flumine Lib.3.ca.18.
hodie Danubio, nomen sortita. Incipit à Formione amne *Risanum* ho- Lib.3.ca.17
die vocant Itali, pertinetque vsque ad Arsiam flumen, & tanquam peninsula, inter duos posita sinus, Tergestinum, & Phanaticum, in Adriaticum excurrit mare. Latitudo, auctore Plinio 40000. passuum, ambi- Lib.3.ca.18.
tus 122000. continet, à septentrione habet lapides, seu Alpes; quæ diuidunt Carniam & Pannoniam ab Italia: ab occasu Firmio est, & pars maris Adriatici: à meridie finitur Adriatico: ab oriente Illyrico iungitur; à quo Arsiâ flumine dirimitur; qui in Phanaticum sinum, hodie à multitudine cadauerum, quòd frequentibus ibi tempestatibus plurimi submergantur, Carnarium vel Quarnerium dictum, labitur. Venetæ reipublicæ maiori ex parte subdita est; pars Austriacis paret. Quæ Veneti iuris est, annuis magistratibus à magno Consilio (vt appellant) eò missis, administratur. Regio est fertilissima, in vberes amœnosq; colles, ac mitia montana, planitiesque amplas culturæ aptissimas distincta. Siluis quoque cæduis, maximè apud S. Vincentium, copiosa. Ferax vini, & olei, vtriusque præstantissimi, præsertim olei, quod cum Venafrano, vel quocunque alio laudatissimo conferri possit: pascuis vberrima, & armentis diues. Fructuum hic omnis generis maxima copia. Mare etiam piscibus abundat; cùm maritimæ oræ sinuosissimæ, & tourtuosæ pleræque sint. Sal quoque magna quantitate in maritimis colligitur, non modico reipublicæ emolumento. Frumentum non omnino nanscitur multum, vtrum soli naturâ, an hominum negligentiâ, atque incuriâ, certi quicquam quod asseram, non habeo; putauerim tamen hominũ inertiæ, vel infrequentiæ potius, quam soli conditioni adscribendum; vel eo magis, quod inculta pleraque & deserta iaceant maritima præsertim loca, amœna licet & feracia. Incolæ in aëris intemperiem, continuos morbos, & febres, quibus debilitari se aiunt, quo minus agriculturæ operam dare valeant, rejiciunt. Id quidem re ipsâ comperi, cum illic agerem, omnes ferè, maximè maritimos, liuidos, pallidos, ac macilentos breui tempore effici, ac subeunte morbo maturiùs extingui. Accepi etiam à viris fide dignis, Senatum Venetum exteris quibusque, Reipublicæ tamen subditis, qui colendæ telluris voluntate ducantur, sedem in Istriâ, atque agros ad colendum concedere, & cõcessisse iamdudum gratis: nullos tamen, quod aliorum periculis terrerentur, præter Cyprios, Græcosque perpaucos, conditionem accepta sse: maluisse enim his emolumẽtis carere, quàm immaturæ mortis præsentissimo periculo se objicere Multa oppida ac ciuitates continet prouincia; infrequẽtes pænè omnes, præsertim maritimas, idque ob aëris intemperiem, & inclementiam, vt memorauimus Præ ceteris Iustinopolis, totius Istriæ primaria, & caput, à Formione distans quinque millibus passuum, quam Istri populi, Illyrico tumultu, ex

Continenti in insulam olim Ægidam, postea Caprariam, vel vt alij volunt Pullariam nomine, fugientes, condidere, & in gratiam Iustini secundi Imperatoris Iustinopolim dixere. Cuius rei vel maximè fidem facit insigne vetustatis monumentum in memoriam Iustini Imperatoris marmori, incisum, his verbis:

D. N. CÆSAR IVSTINVS P. SAL. PIVS FOELIX VICTOR AC TRIVMPHATOR SEMPER AVGVST. PONT. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. COS. IIII TRIB. VII IMPERATOR V. CONSPICVAM HANC ÆGIDIS INSVLAM INTIMI MARIS ADRIATICI COMMODISS. INTERIECTAM VENERANDÆ PALVDIS SACRARIVM QVONDAM ET COLCHIDVM ARGONAVTARVM PERSECVTORVM QVIETEM OB GLORIAM PROPAGANDAM IMP. S. C. IN VRBEM SVI NOMINIS EXCELLENTISS. NVNCVPANDAM HONESTISS. PPP DESIGNAVIT FVNDAVIT C.R.P.Q. ET GENTE HONESTISS. REFERTAM.

HOdie vrbs *Capo d'Istria* vulgò appellatur, & ligneo ponte Continenti iuncta, arce *Leonina* nomine mediocriter munitur. In ea magistratus Venetus titulo Prætoris, quem Potestatem Veneti appellant, residet: estque ciuitas vtcunque frequens, & episcopali sede insignis. Post hanc Pola, dein Parentium, tum Ciuitas Noua, maritimæ omnes, & episcopatu nobiles. Harum vetustissima & nobilissima est Pola, Istriæ, & Italiæ vrbium postrema; à Colchis (vt multi putant) condita Hæc Romana facta colonia, & Pietas Iulia appellata, vt Plinius notat, in eum modum postea excreuit, vt inter primarias Italiæ vrbes annumeraretur: cuius rei testimonium facilè etiamnum præbent præclara multa & illustria antiquitatis monumenta; quæ temporis iniuriâ haudquaquam consumi potuere. Extat omnium, quæ in Italia sunt, pulcherrimum Amphiteatrum, integrum prope & illæsum, solis deficientibus gradibus, quos ligneos olim fuisse multorum opinio est. Vetustissimi item Theatri ampla vestigia, epigraphæ, & epitaphia frequētissima, ac peruetusta: è quibus vnum atque alterum in studiosorum antiquitatis gratiam hic adjicere placuit. Prope Rattam vrbis portum arcus visitur triumphalis, ordinis Corinthij; in cuius fronte supra absidem in ipso nempe zophoro, cui A. pro signo dedi, hæc legitur pedalibus literis inscriptio.

Strabo lib. 5. Lib. 4. c. 15

SALVIA POSTVMA SERGI DE SVA PECVNIA.

Singulis item pedestallis siue stilobatis superioribus sequentes insculptæ sunt inscriptiones, in dextro nimirum B. litera notato.

L. SERGIVS C. F. ÆD. II. VIR.

L. SER

In medio C. litera signato,

L. SERGIVS L. F. LEPIDVS ÆD.
TRI. MIL. LEG. XXIX.

In sinistro, cui litera D. pro nota est,

C. SERGIVS C. F. ÆD. II. VIR QVINQVE.

Iuxta Amphiteatrum sepulchrum visitur tali inscriptione.

MANILIA PAVL. DE PATRIMONIO SVO SIBI ET AVRELIO
COMPATRI SVO DOMVM ÆTERNAM POSVIT.

Aliud ibidem.

VLPIÆ ATHENIA DVL. HERACLI. PA. SOCR. B. M. P.

Iuxta ædes Pontificias.

IMPERATORI CAES. PIO FELICI INVICTO AVG.

In cathedrali Ecclesia.

M. BARVIVS SOTER BAR. ASCLEPIADORÆ FILIÆ
PIENTISSIME.

Apud S. Ioannem.

MARCO LVRIO HIALISSO PATRONO ET LVRIAE LIB.
ET M. LVRIO ZOSIMO M. LVRIVS ZOSIMVS LIB. F.

In sacello Octauiani Augusti.

ROMAE ET AVG. CAES. INVIC. F. PAT. PAT.

Apud S. Germanum.

I. O. M.

C. IVLIVS CHRYSOGONVS EX VOTO FECIT.

Apud

Apud S. Vitum.

AVR. SOTER ET AVR. STEPHANVS AVR. SOTIRIÆ MATRI PIENTISS. RELIG. LVCIF. METVENTI.

In horto apud S. Stephanum.

AVID. MAXIMINA DOMVM ÆTER. V. S. P. SI QVIS ALIVD CORPVS SVPERPONAT DET FISCO CCC. MILL.

In æde diui Matthæi.

POLÆ SEX. PALPELIO P. F. VEL HISTRO LEG. TIB. CLAVDII CÆS. AVG. PROCON.

Iuxta ædem diui Matthæi.

C. HELVIVS IVLIANVS IVLIAE FORTVNATÆ CONIVGI CASTISS. ET INCOMPARABILI SPLENDIDISS. ORDO AQVILEIENSIVM.

Apud S. Martinum.

IVLIÆ CHRYSANTIDI ANN. XXX. MEN. III. D. XXXIX. LVSIDIENVS NESTOR AVG. POL. CON. INCOMPARABILI CVM QVA VIXIT ANN. XVI. SINE VLLA QVERELA B. M.

Iuxta ædes Pontificias.


MAX. TRIB. P. VI. CON. II. P M. AVRELIVS MENOPHILVS ORNATVS IVDICIO EIVS EQVO PVBL. SACERDOS TVSCVLANVS ÆDIL. POLEN. CVM MENOPHILO PATRE LIB. AVG. N. N. EX PROCVRAT. INDVLGENTISS. L. DDD.

Apud Pratum magnum.

DONAT. AVG. LIB. ET ANNIA PRIMITIVA HANC SEDEM FRVCTVM LABORIS SVI VIVI SIBI POSVERVNT.

His addidimus & faciem arcus triumphalis, vt inde eius forma lectori magis innotescat.

Alia



B Alia

ALia præterea multa vetustatis indicia, inscriptiones varias, ac prisci seculi monumenta conspicias, pleraque vel vetustate cõsumpta, vel confracta; quæ studio, ne tædio Lectori sim, prætereo. Cęterum vrbs ipsa Pola situ licet peramœna, promontorio, & sinu ditata, qui portum efficit latitudinis mille, longitudinis duorum millium passuum: ob cœli tamẽ inclementiam infrequens est, ædes vacuæ, viæ quoque publicæ gramine passim obductæ: quæ desolationem facilè testantur. Sæpius autem direptionem & excidium passa, ab Attilâ funditùs diruta, à Genuensibus aliquoties direpta, à Venetis incendio pænè absumpta, ab ijsdem denique restituta in eam formam, quâ nunc cernitur, redacta est. Parentium vulgo *Parenzo* vrbs antiquissima, hac ætate perexigua, portu gaudet satis amplo, & securo; ventis licet meridionalibus obiecto. Aquæ ad hominis potum indigens, nec habitatoribus frequens est, ob aëris intemperiem. Ciuitas Noua vulgo *Citta noua* olim Æmonia, prope quam Nauporti sunt ostia, nunc Quieti, in quem ex Alpibus exorientem, Argon nauim fuisse dimissam narrat Plinius. Vrbs est nequaquam tuta, nec frequens: cœlo namq; subiacet iniquo & inclementi. Hinc incolæ plerique morbosi.

Petr. Iustin. Hist. Ven. li. 5

Lib. 3. ca. 17.

Inter oppida maritima Arupinum, hodie Ruignum, *Ruigno* & Vmagum cæteris pręstant, cùm clementiori cœlo, tum hominum frequẽtiâ. In Arupino agro marmor exciditur, vulgo Istrianum dictum, in multo apud Italos, præsertim Venetos, pretio. Huius oppidi fœminę, quod naturæ arcanum arbitror, ferè omnes claudicant. Accedit adhæc Piranum, cuius supra meminimus, itemque Orsarium, vnicum eâ in prouinciâ Pontificij iuris oppidum, cùm reliqua maritima Venetis pareãt. Id exiguum admodùm & angustum habet territorium, cœlo gaudet satis benigno, & præsidio munitur, Pontificis magistratu Præfecti titulo in eo ius dicente, & rempublicam administrante.

In mediterraneis sunt Buleæ, & Montona, amœna & frequentia satis loca, aëris clementiâ, nec non rerum omnium copiâ valdè præstantia. Relinquo Digranum, Grisignanum, Primontium, Portulã, & Raspum seu Rasponum, non spernenda oppidula. Excellit vbertate soli, & nominis celebritate Raspum; præsertim opimos ob prouentus magistratus Veneti, qui titulo Prouisoris singulis biennijs à Veneto Senatu illuc mittitur, & quotannis tria millia ducatorum aureorum lucrari dicitur. Hinc prouectæ ætatis viris, & senatorij ordinis patritijs, atque optimè de Republicâ meritis, tenuioris tamẽ fortunæ, quo rem auctiorem reddant, magistratum hunc conferunt. Sdrigna quoque oppidum in interioribus habetur, quod multi Stridonem putant, Diui Hieronymi patriam: alij tamen negant, cum Stridonem non Istriæ, sed Dalmatiæ oppidum fuisse velint: quorum opinionem Blondus acriter impugnat. Ruigno paruæ aliquot insulæ adiacent, Brionides appellatæ, lapidum fodi-

Ital. illustr.

fodinis percelebres: qui Istriani dicti, ingentes exciduntur, & Venetias delati, ad publica & priuata exstruenda ædificia, in maximum ciuium vsum, & Reipublicæ commodum cedunt.

Tres pręcipuos habet Istria fluuios, Formionem, Arsiam & Nauportum. Formio nunc Risanus, iuxta Piranum, Nauportus, qui & Ister hodie Quietus, prope Ciuitatem Nouam in Adriaticam excurrunt mare. Arsia vltimus Italiæ terminus, in Fanaticum sinum se exonerat.

Inter Istriæ montes famâ & nominis claritate antecellit Mons maior vulgò dictus, altitudine nubes scindens, & nauigantibus longè conspicuus, rarisq; simplicibus, seu medicæ virtutis herbis percelebris.

Istrorum ingenia mirum in modum mitia, atque ad humanitatem maximè prona sunt, ad literas quasi à naturâ facta, & nisi vt plurimum paupertas obstaret, summi & præclari viri inde prodirent: nam ad quodcunque literarum genus se conuerterint, summam in eo laudem & gloriam consequuntur. Venetis autem legibus viuunt; & à magistratibus Venetis per vrbes atque oppida dispersis reguntur. Crebra eorum apud historicos fit mentio. Liuius gentem feram appellat, & durata laboribus corpora, eorundémque tolerantissima. Lucius Florus castris C. Manlium exuisse tradit: sed dum prædæ opimæ incubarent, vinoque sepulti in ludos verterentur, iam partam victoriam cum sanguine & vino reuomuisse. Strabo pugnaces vocat, & ab Augusto Cęsare tandem expugnatos ad vnum omnes scribit. Sabellicus multa olim cùm aduersus Romanas legiones, tùm Venetos forti & excelso animo gessisse narrat. Sed iam satis de Istria: Iter nostrum prosequamur.

Lib. [illegible]

Lib. [illegible]

CAPVT III.

Phanatici sinus, Vscochæ gentis, insularumq; in Adriatico mari occurrentium, nec non & vrbium maritimarum Illyricæ oræ ad Venetos spectantium descriptio.

PHANATICVS siue Phlanaticus sinus à Phlanatibus Illyrici populis, vt Plinius autumat, nomẽ habet, Melæ Polaticus hodie *Culphus Quarnerius* vel *Carnarius* à cadauerum multitudine dictus: cui priscum nomen respondere aliqui putant, quasi à tempestatum frequentiâ, atq; (vt ita dixerim) insaniâ *Fanaticus* appellatus fuerit. Est siquidem procellis & tempestatibus valde obnoxius, ac nautis idcirco vel maximè formidabilis: longitudine sexaginta millia passuum, latitudine quadraginta continens. Eum vix eramus ingressi: ecce aduerso murmure mox intonant venti: dúmque renitimur, & nunc sursum, nunc deorsum iactamur gurgite vasto, vix tertio demum die periculosissimum illum maris tractum non sine ingenti molestiâ & tædio traiecimus. Interim insulas Niam, & Sansegum, Chersum, item & Orsarum, antiquis Crepsam,

Lib. 3. ca. 10.

Strab. lib. 7.

Plin. lib. 3. ca. 25. psam, & Apsorum, vel vt alij volunt Absyrtides, ab Absyrto Medeæ fratre crudeliter ibi ab eâ necato, appellatas, præterlabimur.

Sunt hæ insulæ Veneti iuris omnes: quarũ duæ priores desertæ omnino, & inhabitatæ, ac pecoribus magis quàm hominibus frequentatę, pro pascuis vsui sunt. Reliquæ duæ & frequentiores & cultiores, sibi contiguæ hærent, solâ fossâ eaque manu factâ diremptę, ponte ligneo vtramque insulam coniungente. Circuitus centum quadraginta millium passuum est. Diues vtraque vberrimis pascuis. Abundant propter eà carnibus, lacticinijs, & lanâ: vini etiam vtcunque feraces, ac syluis cæduis copiosæ: ex quibus materies ad fabricandas triremes commodè Venetias asportatur. Frumento tamen (vti & reliquæ Adriatici maris Insulæ) omnino indigent. Duas tantum continent vrbes, sic satis munitas, eiusdẽ, cuius & insulæ, nominis. Ossarum ob populi frequentiam, & cœli clementiam Episcopali eminet sede, vtriusq; licet vtatur Antistes titulo.

Tertio id. Sextilis, vento in puppim flante præternauigamus insulas Vetiam, seu Vegiam, vel Veglam, veteribus Curcitam vel Curictam, Arbam item, & Pagum, rupemque altissimam à formâ Pomum nuncupatam, falconibus celebrem. Hæc in medio maris Adriatici sita, æquali vtrimque distat spatio. Sunt & hæ insulæ Venetis subiectæ, situ amœno, vino, leguminibus, & armentis abundantes, frumento non itẽ. Cæteris frequentior est Vegla, cuius ambitus octoginta milliaria complectitur; habetque vrbem cognominem, & portum satis commodum, Notho licet subiectum.

Arba triginta milliarium circuitus est: continetq; oppidum sic satis frequens, portu verò caret.

Pagus centum & decem millia passuum ambitu suo continere dicitur, situ oblonga & stricta. Oppidum habet non ita frequens. Salis autem copiâ (qui in ipso littore colligitur) abundat.

Singulis hisce insulis magistratus Venetus Comitis titulo in iure dicundo præest. Quod verò infrequentiores sint, ex eo maximè causari multi putant, quod continuis piratarum deprędationibus obnoxiæ habeantur, & inprimis quotidianis ferè Vscochorum excursionibus infestentur. Sunt autem Vscochi diuersis ex nationibus collecti, Haidones, Morlachi, Martelossij, Chimaritæ vel Chimariotæ à Dalmatis appellati. agreste admodum, & ferox genus hominum, syluis & nemoribus prædandi causa assuetum, durum & velox, indomitique vigoris, aduersus omnes cœli iniurias, & in omne belli facinus paratum. Nudis pedibus, aut tantùm carbatinis, (Itali *Opanchos* vocãt) per rupes & cautes confragosarum vallium, asperrimorumque montium crepidines, caprearum more, mirâ celeritate discurrunt. Sagittis & fundis, aut sclopetis eminus, cominus autem præpilatis quibusdam sparis, paruisque

paruisque ſecuribus in hoſtes vtuntur. Morlachiæ montes & Dalmatiæ ſcopulos paſſim inhabitant. Nobiliores tamen & ditiores (quò ſecuriores ſint) Seniam Illyrici continentis vrbem, Auſtriacis parentem, velut tutiſſimum contra hoſtes propugnaculum incolunt: in quâ & præcipuam belli ſedem hactenus fixere. Piraticam præterea exercent, ſuisque myoparonibus vltrò citroque vagantur, ac prædationibus pelagus omne vicinum, inſulasque adiacentes infeſtant, Turcis & Iudæis in primis infenſi, nec Chriſtianis quandoque parcentes, maximè Venetis.

Inſulis hiſce, ſcopulisque Sancti Stephani, Coronatâ, Liguri, Soltâ, alijsque ſuperatis, Iaderam quoque, & Sicum, ſeu Sebenicum Illyrici continentis vrbes, Venetis pariter parentes faſcibus, eo die præteruecti ſumus.

Eſt autem Iadera (Veneti *Zaram* vocant) ciuitas vetuſtiſſima, Dalmatiæ metropolis, in littore maris ſita, formâ oblongâ quadrangulari, muris lapideis & propugnaculis munitiſſima, marinis fluctibus vndequaque cincta, & ſublicio tantùm ponte, quà Orientem ſpectat, foſsâ ſubtus labente, continenti iuncta; habitatoribus frequens, ſolo opimo, & fertili, ac præ cæteris Dalmatiæ vrbibus rerum omnium copiâ abundans. Venetus magiſtratus Comitis titulo in eâ ſedem habet, atque incolis ius dicit, & præſcriptis legibus iuſtitiam adminiſtrat. Beati Simeonis prophetæ, qui Chriſtum in vlnas ſuas Euangelij teſtimonio accepit, & benedixit, reliquijs in primis clara eſt: quæ in Cathedrali Eccleſiâ honorificè conditæ, in maximâ ab omnibus veneratione habentur. Huius ſancti viri corpus (vt à Iadertinis accepimus) inſigni Dei beneficio, nullo medicamento fucatum, illæſum planè & integrum in hunc vſque diem permanſit. Iohelis quoque prophetæ corpus ſub arâ maximâ ſummi templi hîc conditum ferunt. Vrbs hæc poſt ſeptenam à Venetis ad Pannonas defectionem, à Ladiſlao tãdem Rege, Ludouici Pannoniæ regis ex Carolo filio nepote, dum pecuniarum indigus bellum in Neapolitanos pararet, centum aureorum nummûm millibus, vnà cum toto agro, ac pelago & inſulis, quæ ad eius fines pertinerent, Venetis vendita eſt: atque ſic tandem omnis belli motu ſedato, ciuibuſque in officio detentis, maritima nauigantium ſecuritas reddita eſt. *Petr. Iuſtin. hiſt. Ven. lib. 6.*

Siccum, Plinio Sicum, hodie *Sebenicum*, inſignis Dalmatiæ vrbs eſt, in intimo Sardonici ſinus receſſu, ad radices eminentis cliui poſita, muris turribusque lapideis cincta. Arx in ſummo monte vrbi imminet, ſic ſatis firma, & præſidio munita. Ambitus vrbis milliarij Italici. frequens populo, & rerum omnium copiâ affluens. Agrum habet fertilem, oleo ſuaui, vinoque præſtantiſſimo abundantem. Sinus, itemque portus, piſcibus optimis, auratis præſertim copioſus. *Lib. 3. ca. 21.*

Ad huius ſinus oſtium Arx iacet, muris & propugnaculis ad omnem vim hoſtilem depellendã, & portũ defendendũ munitiſſima, aptiſſimaque; quæ mari circumcincta, à D. Nicolao nomen habet. Præſidiarius in eâ miles publicis Venetorum ſtipendijs alitur: eſtque omni annonâ & bellico apparatu inſtructiſſima. Præeſt incolis, accolisq; in iure dicundo, Veneto nomine vnicus magiſtratus, Comitis titulo clarus, prę-ſcriptis legibus rempublicam adminiſtrans.

Vtriusq; vrbis incolæ homines ſunt ad omnes & neceſſarios vſus accommodatiſſimi, laboris etiam patientiſſimi, & mirificè præ cæteris illius tractus indigenis ad percipiendas diſciplinas naturâ duce instructi. Cæterùm Illyrici omnes (vt author eſt Strabo) latrocinijs olim admodum dediti, hodie etſi paulò manſuetiores, & humaniores effecti, bellicoſi tamen & pugnaciſſimi ſunt, ac durum in armis genus hominum. Hinc plurimos ſemper & ſtrenuos præclarosq; duces, armisque gerendis idoneos aluit prouincia. Chriſtianæ inprimis libertatis contra Turcas terra mariq; propugnatores acerrimos: qui fidelem ſæpiùs & inſignem Venetis contra communem Chriſtiani nominis hoſtem operam nauarunt.

Lib. 7.


Inclinante iam die Liſſam inſulam, quę & Iſſa, vitium, optimiq; vini feraciſſimam, pręterlabimur. Nocte ſubſequenti ventis ſecundis Phariam inſulam, quæ Plinio Pharos eſt, Demetrij (vt quidam volunt) patriam, hodie Lyſnam vel *Lieſenam* ab Italis nuncupatam præterimus. Hæc omnium maxima quæ in Adriatico exiſtunt mari, centum quippe & quinquaginta millia paſſuum ſuo ambitu continet: infrequens tamen, & parum fertilis, ob ſcopuloſum ſolum. Diſtat à Continenti mille circiter paſſus, Salonæ Dalmatiæ vrbi Diocletiani Imperatoris patriæ oppoſita. Portu ditata eſt capaciſſimo, ac ſatis tuto. Piſcium quoque mirâ copiâ abundat. Arx haud procul à portu, milite præſidiario, multisq; alijs modis munitiſſima, eminenti ſita loco, ſuburbio proximo imminet, portumq; ab hoſtibus commodè tutatur. Eius cura cuſtodiaque magiſtratui Veneto ex ordine patritiorum Caſtellani titulo demandata eſt. Præeſt præterea inſulanis in iure dicundo Venetorum nomine (ad quos inſula pertinet) magiſtratus, titulo Prouiſoris. Is in ſuburbio domicilium habet, & inſigni apparatu, plurimis ſtipatus doryphoris in publicum prodit, ac ſummæ auctoritatis eſt.

Lib. 3. ca. 20. Appian. lib. 1. bel. ciu. c 2 Flor. l. 1. c 6.

Primâ luce inſequentis diei Curzulam inſulam, antiquis Corcyram Melenam, *id eſt* Nigram, quinquaginta milliarium circuitu, vento flante leniter, mox Meliten, ſiue Melituſam, vel Meligenam, hodie Meledam inſulam, primâ quaſi poſtmeridianâ horâ præteruehimur. Illa Veneto paret imperio, & exiguum habet oppidum, habitatore frequens, terram vberem, & in primis vini optimi feracem. Hæc verò Raguſeæ ſubiecta Reipublicæ, obſcura omnino, & infrequens, olim (vt fer-

(vt fertur) catellis, qui feminis in delitijs fuere, clara fuit.

Postero die tanta tranquillitas maris (quam vulgus nautarum *Bonazzam* vocat) subitò oborta est, & in serum vsque vesperum durauit, vt nihil ferè eo die proficeremus: quo demum die inclinante, atque ad Euro-austrum vergente vento, nobis omnino cõtrario, in peius incidimus : intonantibus enim aduerso murmure ventis, iactamur vndis, ventisque proram vertentes obluctamur toto triduo.



Interim Diomedeæ insulæ, quæ & Theucria & Trimetus Tacito, se nostro præbuere conspectui. Hæ vulgò hodie *Tremiti* appellatæ & cõtra Apuliam sitæ, haud procul à Gargano monte numero tres sunt; à Diomede rege Tydei Ætoliæ regis filio Diomedeæ olim dictæ; quem ibi casu appulsum sedem fixisse, & è vitâ excessisse, ac sepultum narrant historici: cuius item sepulchrum, eiusq; vxoris, & filij etiamnum iuxta castrum ostendi memorant incolæ. Ad Lateranenses autẽ Canonicos, vulgò regulares dictos, pertinent: qui arcem altâ in rupe & inaccessâ munitissimã, militeq; præsidiario custoditam, inhabitant: in qua cœnobium est, & templum Diuæ Virgini sacrũ, miraculis percelebre, suntq; cœnobitæ (vt ferunt) non tam in insulanos, quàm adnauigantes omnes officiosi & perhumani. Aues insula nutrit fulicarũ similes, Diomedeas vulgò dictas, quas nusquam gentium, præterquam ibi enasci fama est. His color candidus, ignei oculi, ora dentata: noctu volitant, clamoremque edunt humanæ voci persimilẽ. de quibus mira narrant authores.

Strab. lib. 6.

Solin. c. 7. Plin. lib. 10. cap. 44.

Tertio demum die Dalmatiæ rurſum orã conſpicimus. Nauarchus vbi ſe nihil preficere animaduertit, terram portumq; peti vicinum imperat. Ventum itaque in puppim capimus, ac terram verſus nauigamus: dumque turgidis velis rapidas ſulcamus vndas, Anguſtam Raguſæi iuris inſulam, vini atque olei feracem, ac ſardellarum piſcatione nobilem, à læua reliquimus. Mox ad inſulam cognomento Mediam, Raguſæis item ſubditam vela dirigimus: ad quam tandem ſole medio hærente cœlo appulimus.

Hæc Continenti vicina portum efficit ſatis tutum, & capacem; in quo iactis anchoris in tertium vſque diem ſubſtitimus. Etſi verò ſolum habeat vtplurimum ſcopuloſum, & ſterile; arte tamen & incolarum induſtriâ adeò cultum & elaboratum euaſit, vt nihil cultius, elegantiúſve ſpectari vſquam detur. Plurima namque & magnifica ſanè hic viſuntur ædificia: horti item & viridaria varia omnis ferè generis arboribus referta, & in primis Ficubus, Lauris, Oleis, Citreis, Aureiſq; malis cultiſſima. Nec deſunt vineæ, nobiliſſimi vini feraces. Sepes ibidem videre eſt paſſim ex myrtis nullo ramuſculorum diſcrimine artificioſiſſimè concinnatas. Charnubi hîc quoque, quarum fructus ſiliquas, vulgò panem Diui Ioannis nuncupant, mirum in modum dulces, copiosè proueniunt. Vicinum mare, portuſque piſcibus abundant.

Ventis obſtantibus toto triduo è portu ſoluere non licuit: quam nacti occaſionem, plurimi è noſtris commeatus in primis comparandi cauſa Raguſiam ſe contulere, ad duodecimum à portu ſitam lapidẽ: quam cùm aliàs ipſe quoque perluſtrauerim, libet obiter quæ de vrbe hac clariſſimâ, eiuſque ſitu, formâ regiminis, alijſq; notatu dignis obſeruauerim, breuibus adjicere.

CAPVT IIII.

Vrbis Raguſiæ, eiuſq; Reipublicæ breuis deſcriptio.

EST Raguſia à Turcis Dobronica appellata: Epidaurum dixere veteres; celeberrimum & nobiliſſimum totius Dalmatiæ emporium: Vrbs frequentiſſima, muris, turribus, portis, atque arce validâ munita, ad littus poſita, partim plana, partim cliuoſa. à littore enim paulatim per dorſum collis aſſurgit, formamque refert quaſi triangularem: ædificijs verò cùm publicis, tum priuatis, fontibuſque limpidiſſimis, & frigidiſſimis ornatiſſima, vt opulenta, ita luxui, libidini, & faſtui dedita. Portum habet tutiſſimum, ſed manufactum, nec multum amplum: quem ferrea cathena vtrimque extenſa noctu præſertim munit, vt nauibus vel triremibus exteris liber aditus præcludatur, & in expedito ſit, quas velint naues vel admittere, vel excludere. Haud procul

procul à portu è regione arcis scopulus iacet, *Chiroma* vulgò dictus, ad Venetos (vt volunt) pertinens, vrbi portuique multùm infestus; quem maximo pretio à Venetis comparare sæpius Ragusæi, sed frustra, tentauerunt. Eo quippe frenum ijs Veneti injiciunt, prohibentque ne limites extendant, vrbémve munitiorem reddant. eaque de causa venditionem illius recusasse fama est, ne scilicet vrbis locique munitione confisi, ipsis vnquam insultare audeant, aut arcem in eo, si ad illos pertineret, inexpugnabilem construant: id enim si contingeret, non solum vrbem ipsam munitiorem fieri, sed nec classe cingi, aut pati obsidionem, tormentísve bellicis à littore quati, vel lædi vllo modo posse vulgò persuasum est. Territorium vrbis perexiguum est, saxosum, & naturâ sterile, longitudine viginti quinque, latitudine sex, aut octo ad summum millia passuum continens; gentis tamen mirâ industriâ atq; arte adeò excultum, atque ad eam fertilitatem, venustatem, & elegantiam redactum, vt præternauigantium & spectantium oculos in admirationem rapiat, atque detineat. Amœna enim tota ea littoris ora vltrà citraque colles, cuiúsvis generis arboribus vestitos, vineis & viridarijs expolitos exhibet: in quibus myrteta, rosaria, laureta, Hesperidumque plantas nobilissimas, miro odore fragrantes cernas. In excolendis autem cautibus hunc fere obseruant modum. Saxa ingentia excauant, atque in quadratam adaptant formam, ædificijs construendis percommodam; minutias relinquunt, easque, terrâ inter saxa erutâ, & egestâ, obruunt, montesque seu colles graduum instar componunt, saxísque pro fulcimento adhibitis, terram ingerunt aliunde asportatam, quam nauibus saburræ loco impositam aduehunt, & in ipso littore exonerãt, adeoque alienâ tellure paternum solum colunt. Mirum sane & iucundum visu inter vastissimas illas rupes cautesque squalidas arte excogitatum quod natura negauerit. Tot enim egregiæ vndiq; conspiciuntur villæ, superbis exornatæ ædificijs, vineis, atque viridariis, cuiúsvis generis arboribus cultissimæ, vt nihil vacuum reperias: quinimo ob situs elegantiam, ædificiorum pulchritudinem, variumque ornatum, ac pulcherrimum prospectum, miram denique omnigeniûm fructuum copiam, atque eximiam hortorum culturam, odorumq; fragrantiam, nympharum sedem (vt in fabulis est) meritò dixeris. Præter Continentis oram paruæ aliquot insulæ Ragusino parent imperio; Augusta nempe, Meleda, & Media, quarum supra meminimus. His adde & quartam, cui à Diuo Petro nomen est, iam dictis non inferiorem. est namque situ amœna, culturâ, & nobilium ædificijs, villisq; nitidissima. Sunt autem omnes, Meledâ exceptâ, frequentes admodum, nec minùs ac reliquum Continentis territorium, pulcherrimis ædificijs, vineis, hortisque excultæ, ac omni rerum copiâ abundantes. Inter cæteras Continentis oras plurimum emicat pagus littoralis *Cranosa*

vulgò appellatus; portu namque ditatus amplissimo, tutissimoque, hemicycli formam referente, ducentarum & amplius triremium capaci, cui à salutari Cruce nomen inditum est; fontibus quoque irriguus, & splendidis, magnificisque nobilium primatumque palatijs conspicuus; hortis insuper & viridarijs cultissimus, ac populo frequens, situ; ornatu, frequentiâ, & rerum omnium copiâ reliquos pagos longè superat, vt primas sibi partes iure vendicare videatur.

Vrbis Ragusiæ ciues incolæque vt plurimùm opulenti, & mercaturæ in primis dediti, vltra centum & viginti onerarias naues easque caueatas, sexcentorum cadorum aut eo circiter capaces, præter minora nauigia possidere dicuntur. Solertis ingenij homines, ad omnes necessarios vsus, & præsertim negotiationem, ac nauigationem aptissimi, atque ad percipiendas doctrinas naturâ instructi: molles tamē, & effœminati, luxuque nimio diffluentes. Illyrico seu Dalmatico more plerique vestiuntur: penulæ crurum tenus aliam super induunt vestem paulò longiorem, laxis medijsq; manicis, quam vulgò *Croatam* appellant: interiorem zonâ sericâ vel gossypinâ cingunt leuiter, exteriorem incinctam pro pallio ferunt. Nobiles & honestiores ciues Venetum imitantur amictum, tunicâ & pallio, non togâ. Nobiles matronæ gemmis, auroque nitentes, comptæ admodùm & ornatæ incedunt, nudo pleræq; pectore, Venetarum more; suntque proceræ vt plurimum, formâ venustâ, facie, & pectore candidissimis. Idiomate omnes vtuntur Slauonico; Italicam quoque callent linguam, nobiles præsertim & honestiores ciues, sed vocabulis corruptam, & omnino impolitam ac horridam. Liberâ autem ciuitate fruuntur, nulliusq; parent imperio, sed sub tutelâ Pontificis Romani (cui se crediderunt) viuunt immunes, exiguo contenti districtu, limites extendere non student: Malunt enim cum nullius iniuria suos tueri limites, quam cum multorum fraude alienos inuadere. Hinc ab armis securam & quietam ducunt vitam: quo verò terrâ mariq; securiores sint, Turcarum Imperatori viginti millia, Venetis decem millia aureorum tributi loco annuatim pensitare dicuntur. Proprijs legibus viuunt, optimatibus Rempublicam administrantibus, Iuniores vbi vigesimum quartum annum attigerint in patritiorum numerum adsciscuntur. Hi Consilium rogatorum suffragijs constituunt, quod ex centum Senatoribus constat, penes quos omnis Reipublicæ cura & summa rerum consistit. Magistratus siquidem creant, officia muniaque cætera distribuunt, Ducem eligunt, reliquaque & belli & pacis negotia expediunt. Dux, qui supremus est Reipublicæ magistratus, principemq; locum tenet, singulis bimestribus vti (& cæteri magistratus) successorem habet. Veste Ducali purpureâ, seu coccineâ, manicis laxioribus, pileoq; holoserico rubro in publicum prodit; duodenis com-

comitatus Senatoribus; penes quos ſumma eſt auctoritas; Duci enim in gubernandâ Republicâ aſſident, ſententias dicunt, vnaque iuſtitiam adminiſtrant, & comitijs præſident. Publicis autem aluntur impenſis, & in prætorio durante magiſtratu degunt: neque vrbe excedere liberum eſt: quod eâ ratione conſtitutum eſt, vt occaſione poſtulante omnibus horis præſto eſſe, & ſubuenire Reipublicæ neceſſitatibus tutiùs, ac commodiùs poſſint. Arci vrbi contiguæ, quæ & portui imminet, nouus indies præfectus (*Caſtellanus* vulgò dictus) præficitur, mirâ quâdam obſeruatione. A ſolis enim Senatoribus, ſeu ſupremis illis conſiliarijs eligitur; electus inclinante die, publicis miniſtris ad id deſtinatis ſecretò denunciatur, iubeturque, vt quantocyùs hominem, etiam per vim, ſi renitatur, in arcem pertrahant: quem illi quocunque in loco inuentum, pallio capite obuolutum, in arcem rapiunt: quâ egredi in alterum vſque veſperum ſub pœnâ capitis vetitum eſt: interim tamen victus illi ſuppeditatur è publico: poſtero autem die accepto ſtipendio dimittitur, atque alius rurſum in eius locum ſubrogatur. Cæterùm vrbs ipſa Archiepiſcopatu nobilis, inter Illyrici metropolitanas ſedes primas tenet. Metropolita plures ſub ſe habet Epiſcopos, Stagnenſem, Roſſonenſem, Boſſonenſem, Tribunienſem, Catharenſem, Bracenſem, Roſenſem, & Bidnanenſem. In vrbe verò iuxta Ædem primariam Diuo Triphoni ſacram domicilium habet, & ritu Romano ſacra peragit, moribuſque Romanis viuit. Haud procul ab vrbe ortum verſus vetus Raguſia, Epidaurus olim dicta, viſitur, deſerta penè, & ædificijs infrequens. Hæc à Gothis deuaſtata, & diruta, nunquam hactenus reſtituta eſt: è cuius ruinis noua Raguſia ædificata dicitur. Hæc de Raguſia, eiuſque Republica, & territorio dicta ſufficiant: Iter noſtrum proſequamur.

CAPVT V.

Caſtri noui, Cathari, Butuæ, aliarumq; Illyrici vrbium maritimarum, nec non totius Illyridis breuis deliniatio.

TERTIO demum die, qui decimus Kal. Septembris erat, primâ luce ſubductis anchoris è portu ſoluimus, ac flatu ſecundo vela damus læti, mox turgentibus velis Raguſiam, Caſtrum Nouum, itemque Butuam, ſiue Buduam, vel (vt alij volunt) Buluam, Illyrici continentis oppida maritima, eo die præterlabimur. De Raguſiâ iam diximus: de reliquis oppidis, quo ordine in itinere occurrerunt, aliqua referemus; & primo loco de Caſtro Nouo.

Id Turcici iuris oppidum, validis propugnaculis, firmoque Turcarum pręſidio munitiſſimum, ad fauces Rhizonici, ſeu Rhizici, aut Rhizeorum ſinus in ſiniſtro oſtij cliuo ad Occaſum poſitum eſt, eâ formâ *Strab. lib. 7.*

& naturâ, vt tutissimum & ingentem præbeat portum. turritam verò instar arcis munitionem habet, & per dorsum collis, ædificia ab infimâ oppidi parte, quæ mari alluitur, assurgunt: in summo castellum naturâ & arte munitum sedet. Chersego Dalmatiæ quondam regulo à Turcis ademptum, postea ab Hispanis, Venetisque Andreæ Doriæ & Vincentij Capelli ducum auspicijs Turcis ereptum; denique ab Ahenobarba seu Barbarossa archipirata & Turcarum supremo duce circa annum à Christo nato 1538. Hispanis denuo ablatum (qui duce Sarmiento viro impigro in eius expugnatione ad vnum ferè omnes conciderunt) in Turcarum permansit potestate. Sinum ipsum hodie Culphum Cathareum (*Golfo di Catharo*) Itali indigitant, ab vrbe Catharo, cui Ascriuium & Rhizinium & Rhiso olim nomen fuisse putatur. Eius ostium præcludere Turcæ sæpius conati sunt, vt Venetis aditum ad interioris sinus vrbem Catharum prohiberẽt: frustrati tamen conatu ab opere destiterunt.

Est autem Catharum in intimo Rhizonici sinus secessu oppidum, Veneto imperio subditum, firmum aduersus Turcas præsidium, validis fortissimisq; propugnaculis & munitionibus, ac milite præsidiario munitum: quod mare ad Orientem sese intorquens placidè alluit. Regio vicina apricis cultisque collibus peramœna est: sed Catharum obstantes ad dextram montes ita opacum reddunt, vt incolæ brumali tempore paucis horis videant solem. Hinc cœlo inclementiori, & assiduis pluuijs obnoxium est.

Butua siue Bulua extremum Illyrici Continentis, quod ad Venetos pertinet, oppidum maritimum, exiguum quidem, nec multũ frequens est, muris, turribusque non admodum firmis, agrum habet amœnum, & feracem, vitibus in primis cultissimum. Fœminæ ob summam constantiam, animique fortitudinem passim commendantur. Hæ siquidem vltimo contra Turcas bello, viris omnibus Turcicæ classis in propinquâ statione hærentis metu oppido effugientibus, arreptis armis, mœnia, patriamque aduersus barbarorum iniurias fortiter tuentes, perpetuum muliebris fortitudinis, atque inauditæ audaciæ exemplum posteris reliquerunt.

Sole ad occasum vergente, Antibarim vrbem vel Antibarrum vulgò *Antiuari* Archiepiscopatu quondam nobilem, infrequentem tamen hodie, & parum munitam ventis secundis prærerlabimur. Hæc Venetis adempta, & à Turcis vltimo contra Venetos bello capta etiamnum Ottomanici iuris est.

Mediâ nocte subsequenti rursus segnes nos adoriuntur venti, ludũt, ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant toto biduo.

Tandem lento pede secundum litrus nauigantes, Olchinium superamus. id Romanorum olim oppidum, antea Colchinium à Colchis eius

eius conditoribus(vt Plinius vult) appellatum, hodie Dulcinium, *Dolcigno* ab Italis appellatur; estque ad sinus Lodrini situm ostium, quondam Venetis, nunc Turcis subiectum, à Selimo secundo vltimo contra Venetos bello armis expugnatũ; infrequens hodie & immunitũ. *Lib.3.ca.21.*

Olchinio à tergis relicto sinum ingredimur, cui vulgò culphi Lodrini nomen est, *Golfo di Lodrin* in quem Boliana & Drino amnes, Scodram oppidum præterfluentes, atque ambientes, influunt.

Est autem Scodra insigne Illyrici oppidum, hodie *Scutari* ab Italis appellatum, Romanorum quondam colonia, Venetis postea subditum, nunc Turcici iuris, naturâ munitissimum. Sedet enim arduo montis supercilio, circumque excelsæ & præcipites rupes; in proximo habet lacum vulgò *de Penta* nomine, octuaginta millium passuum circuitus, ex quo Boliana amnis oritur, oppidum ab austro alluens, à quo ortum versus haud procul abest Drino. Inter hos amnes planicies latissima iacet, campique miræ feracitatis, vbi tam læta sunt pascua, vt ab his pecora depelli quandoque necesse sit, ne nimiâ saginâ pereant. Cæduas item ad maritimam oram iuxta Drini ostium siluas habet, ex quibus materies ad fabricandas naues commodè exportatur.

Hic vltimus Illyrici ab Ortu terminus est. Tota siquidẽ regio (vt author est Ptolomæus) ab Histria, seu Arsia flumine ad Macedonię vsque confinia, secundum maris littora iuxta Scardum montem, ac Drinum, seu Drinonem, vel Drilonem fluuium producitur. Mediterranea eius ad Pannones, & Misiam superiorem, hodie Bossinam, sese pandunt. Pomponius Mela tamen & Dionysius Alexandrinus multo ampliorem eam statuunt. Totam enim maris Adriatici oram à Tergesto Histriæ oppido ad Ceraunios vsque montes Illyrijs adscribunt, eosque vltra Danubium habitare docent. Contrà Plinius eam inter Arsiam & Titium fluuios constringit. Hodie Illyricum communi vocabulo *Sclauonia* vocitatur, à gente Sclauonia, Germaniæ olim populo, nunc Boëmos appellamus; qui(vti Blondus refert) eam expulsis indigenis occuparunt, diuiditurque à Neotericis in Dalmatiam, Albaniæ conterminam, & Liburniam, siue Croatiam; quam alio nomine Comitatum Iaderæ nuncupant. Sunt tamen qui Illyricum in Sclauoniam, Dalmatiam, & Albaniam diuidunt, constituuntque Sclauoniam ad Occidentem, Albaniam ad Orientem, mediamque inter eas Dalmatiam. Longitudo iuxta *Ptolomæi* eiusque sequacium opinionem ab Arsiâ ad Drinum, vel Bolianam amnes 480. millia passuum colligit, latitudo 120 millia: cùm alij contrà eius latitudinem 325. millium passuum statuant, longitudinem ad 800. millia extendant. Vniuersus autem oræ Illyricæ cursus maritimus plurimos portus habet, optimos & capacissimos; quod ex sinuoso eius littore, frequentibusq; & adiacentibus insulis (quas supra numerum millenarium adscendere narrat Plinius)

Lib. 2. Geograph. c. 17. *Lib. 2. c. 3.* *Lib. 3. c. 20.* *Lib. Ital. illustr.*

 euenit.

Lib. 3. c. 25. euenit. Sinuum Illyricorum Virgilius meminit.

Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus.

Quia verò (vt diximus) Illyrici maritimæ oræ sinuosissimę, & tortuosæ pleræq; sunt; mare idcirco, portusque omnes, & sinus optimis piscibus abundant, & Sardellarum in primis piscatione celebrantur. Regio omnis Illyrici calida est, vt Italia, & (vt Strabo scribit) frugifera, bonisq; Lib. 7. feracissima fructibus, oliuetis, vinetisque speciosa; nisi sicubi horridæ & asperæ rupes iacent. Lacubus quoque & fluuijs irrigua, ac pascuis vberrima, minuta licet producat animalia. Quæ supra hanc sita est regio, montosa est, tota frigida, & niuosa, maximè qua ad septentrionem vergit. Ciuitates Illyricum habet plurimas, & insignes: præstant cæteris Iadera, & Ragusia, quarum suprà meminimus. Maritima regio populo frequens est, cuius vrbes vt plurimum Venetis parent, Seniâ flumine & Bucari exceptis, quę Austriaci iuris sunt; itemque Scardonâ Salonâ, Castro Nouo, Scodrâ, Antibari, & Olchinio, quæ ad Turcas pertinēt, & infrequentiores sunt. Quatuor in eâ numerantur Archiepiscopatus: Iadrensis, Ragusinus, Antibarensis, & Spalatrensis. Iadrensis, & Spalatrensis ad Venetos spectant, Ragusinus ad Ragusæos, Antibarensis sub Turca latet: quibus singulis plurimi subsunt Episcopi.

Augustus Cæsar hanc primus bello afflixit, armisque domitam Ro- Strab. lib. 7. mano Imperio adiecit: in qua quidem expeditione duo ipse vulnera accepit, vnâ acie dextrum genu lapide ictus, alterâ autem & crus, & vtrumque brachium ruinâ pontis sauciatus. Plurima verò oppida in eâ pessum dedit, & funditus diruit. Nec minorem postea cladem, vrbiumque depopulationem, & excidium à Gothis passa est. Nostrâ hac tempestate ab armis necdum libera, sed assiduis quotidianisque Turcarum, & Vscochorum excursionibus, & deprædationibus obnoxia.

Incolæ Illyrici latrocinijs olim supra modum dediti, atque ex raptu viuere soltiti à Liuio idcirco gens fera, & latrocinijs infamis; à Strabone Lib. 7. quoq; agreste genus hominum, gensq; piratica appellantur. Primi etenim naues Liburnicas, siue myoparones, Italis hodie *Fregatas* appellatas, mirum in modum veloces, ac leues, ideoque piraticæ exercendæ aptissimas, inuenere. Nostrâ ætate paulo mansuetiores effecti, ligneis plerique habitant ædificijs, culmo contectis, præter paucas littorales vrbes, in quibus humaniùs degunt: suntque omnes Latinorum sacris imbuti, & Romanæ Ecclesiæ obseruantissimi. Corporis autem staturâ proceri vt plurimum, tam viri, quàm fœminæ, neruosi quoq;, robusti, & laborum tolerantissimi, atque durum in armis genus hominum, nauigationi vel maximè assuetum, & ad omnia accommodatissimum. Latissimè eorum idioma patet, quod vulgò Sclauonicum appellatur: ab Adriatico enim pelago ad mare vsque septētrionale extenditur, vtunturque

turque eo Bossinenses, Poloni, Boëmi, Lituani, Russi, & Bulgari. His de Illyrico dictis, ad institutum reuertamur iter.

CAPVT VI.

Albania, eiusq; vrbes, Ceraunij montes, atq; accolarum eorundem ad Turcas defectio; insulæq; & scopuli Corcyræ adiacentes describuntur.

DECIMOQVINTO Kal. Septembris circa vesperum fera ex improuiso cum nimbo impetuoso procella oboritur: mox venti voluunt mare, magnaque surgunt æquora, & inhorruit vnda tenebris. Vela idcirco quantocyùs contrahunt, ne vis procellæ nauem in vada cæca impelleret, néve contra votum aliquò abriperemur. Adeo verò validi fluctus, ingentesque procellæ intumescebant, vt nauem sæpenumerò supergressi operirent vasa. Quassati igitur hoc modo insanis vndarum cumulis, totam insequentem noctem duximus insomnem. Postridie tandem ventorum cessante rabie, quietum paulatim se reddidit mare. Circa tertiam diei horam in puppim leniter vento insurgente, fæliciter progredimur, fluctusq; Adriaticos commodè sulcamus, relictis eo die à tergis Lisso, Epidamno, & Aulonâ oppidis maritimis, itemque Saxone, siue Sasone scopulo, coralli piscatione celebri, ac piraticâ statione (vt Plinius scribit) noto. *Lib.3.ca.25.*

Hucusq; Hadriaticum mare, quod & Adrianum, & Superum, hodie Culfus Venetiarum (*Golfo di Venetia* id est Sinus Venetus) appellatur, extendi autores volunt: totumq; eum maris tractum à Venetijs Sasonē vsque, & Hydruntem Italiæ oppidū maritimū, quod è regione est, 646. millib. passuū dimetiuntur. Latitudinē variā statuunt: maior ducentorū millib. passuū censetur. Hoc autē loco minor & angustior est hic Sinus, quàm alibi vspiam: nam sexaginta tantum millia passuum cōplectitur.



Lib. 3. c. 10. Freti huius angustias (vt scribit Plinius) pedestri continuare transitu, quo Græcia Italiæ iungeretur, pontibus iactis primùm Pyrrhus Epiri Rex cogitauit, post eum M. Varro, cum classi Pompeij piratico bello præesset: vterque tamen opus infectum reliquit.

Iacet autem Sasonis scopulus ad fauces sinus Aulonam vrbem alluentis, habetque ab Ortu Aulonam, ab Occasu Hydruntem, à Septentrione Dyrrachium, ad Meridiem Acroceraunium promontoriū, Albaniam ab Epiro dirimens. Albania namque, quæ pars Macedoniæ est, & Illyrico atque Epiro contermina, ab amne Drino vsque Ceraunios montes secundum maris littora extenditur, ab Ortu strateos, & Camelos montes, à Meridie Epirum, ab Occasu Adriaticum, ab Aquilone Illyricum habet. Insigniores maritimæ vrbes Epidamnus, siue Dyrrachium, Aulon, Lissus, mediterraneæ Apollonia, hodie Pyrgo, & Croia. Regio partim montosa, partim plana, ferax frumenti, vini, & olei. Incolæ bellicosissimi, originem à Scythis ducere dicuntur, proprioque vtuntur idiomate, à Græco & Illyrico planè differenti. De vrbibus, oppidisque, prout in itinere occurrerunt, pauca addere placuit.

Lissum oppidum ad Drini ripam iuxta littus maris situm, Romanorum quondam colonia, hodie Sancti Alexij, *Alessio* nomen habet: estq; locus exiguus, & infrequens, celebre tamen ob Alexandri reguli, vulgò *Scanderbegi*, patriam; qui peritiâ armorum clarus, & Turcarum hostis acerrimus, res præclaras bello gessit, ac paruâ sæpe manu ingentes barbarorum copias fudit; cuius martia virtus multorum scriptis celebratur.

Lib. 7. *Epidamnus* ad littus maris oppidum à Corcyræis (vt Strabo vult) vel
Lib. 2. ab Epidanno barbarorum rege (vt Appianus censet) à quo & nomen sumpsit, conditum, antiquitate & nominis claritate percelebre, Romanorum postea colonia, propter inauspicatum nomen Epidamni,
Lib. 3. ca. 22. quasi à damno dictum, à Romanis (vt Plinius scribit) Dyrrachium,
Lib. 7. appellari cœpit. Strabo ab Chersoneso, vbi situm est, sic dictum putat. Fame Cæsaris contra Pompeium pugnaturi, & Ciceronis exilio inprimis clarum. Hodie exiguum, semidirutum, & parum frequentem refert locum.

Lib. 3. ca. 22. *Aulonia*, quam veteres Aulonem dixêre, Plinius Oricum vocat, à Colchis condita, ab Italis hodie *La Vallona* appellata, celeberrima Albaniæ vrbs est, in littore maris ad interioris sinus secessus ad radices altissimorum montium posita, duplicique arce firmissima, quarum altera *Canina* dicta, eminenti rupi imposita, vrbem ab omni parte optimè tuetur, altera in ipso littore extructa, vulgò *Il Torrazzo* dicta, portum nauiumque stationem sic satis securam reddit. Picis abundantiâ, salisq; fodinis, quibus vicini scatent montes, ditissima, & habitatore Turcâ Hebræoque vtcunque frequens.

Croia

Croia vrbs quæ & Antigona olim in montis crepidine, iugis, aquæ fontibus illustris, inexpugnabilem situm habet; Lisano amne iuxta fluente: estque totius Albaniæ regia, quondam Clarissimi Principis Scanderbegi sedes, qui duas, easque arctissimas, in eâ perpessus obsidiones, contra potentissimos infensissimosque Christiani nominis hostes Amurathem, & Mahumetem secundum, strenuò vrbem tutatus est; eamque prius quàm vitâ excederet, sponte Venetis donauit, ne tantæ Reipublicæ destituta præsidio Turcarum in manus mox à morte suâ veniret: qui haud multo post eam tertiò oppugnatam, tandem fame acerbâ domiti, amisere, & in hunc vsque diem Turcis reliquere. Ab hac vrbe Croiæ familiæ Belgij proceres nobilissimos nomen tulisse, eamque aliquando possedisse quidam putant. Paucula hæc de Albania sufficiant: nunc iter prosequamur.

Nocte proxima, aurâ secundâ crebrescente, felicissimo sanè cursu, turgidisque velis, Ceraunia, seu Acroceraunios montes (quos vulgus Italûm *La Cimera* vocat) Merleras, Corcyram, Paxum, & Antipaxum insulas superauimus. Pargam quoque Epiri oppidum à tergo reliquimus, ac tantum eo die profecimus, quantum antea nunquam. Coro etenim spirante (quem vulgus Italûm *Maestrale* vocat) nil nobis feliciùs, nil optatiùs accidere poterat: cùm in Orientem nauigantibus omnium secundissimus habeatur.

Sunt autem Ceraunia siue Acroceraunij vulgò *di Chimara* vel *Cimera* montes Epiri altissimi, à crebris sic dicti fulminibus: qui à littore maris vasti & præcipites attolluntur, & protensi ab Occidente in Orientem, continuo & longissimo tractu Epirum intersecant, ac longè lateq; in mediterranea sese extendunt. Circa hos Adriatici maris finem, & principium Ionij Strabo ponit: cum tamen Ptolomæus contrà sentiat, & à monte Gargano Ionium mare initium sumere scribat.

Plin. lib. 4. cap. 21.

Lib. 7.

Lib. Geograph. 3. c. 1.

Horum montium accolæ Cimeriaci vel Cimeritæ vulgò *Chimarioti* appellantur, agreste & ferox genus hominum, rapinis & latrociniis assuetum, nomine tenus Christiani, ac Græcæ Ecclesiæ subditi: qui licet Christianis studiosiores sint, quàm Turcis, ac re ipsâ compertum sit, vltimo præsertim Turcarum contra Venetos bello, Turcis, non Venetis fuisse infestos, tamen vbi prædæ occasio se offert, parcunt nemini. Etsi verò liberi hactenus fuerint, adeoq; nec Venetos, nec Turcã, quamuis vicinum, & potentiâ formidabilẽ, aut quemuis alium (rupium asperitate confisi) dignati fuerint dominũ, tandẽ tamen anno à Christo nato 1590. (quo Corcyræ eram) Turcico iugo colla dare sunt coacti. Grassante siquidẽ tunc tẽporis per vicinas circũquaq; regiones fame, & peste, cũ eorũ plurimi fame ferè enecati Corcyrã fruges emendi causa

(vti consueuerant) confluerent, non solùm fruges denegatæ, sed & portu prohibiti, & à triremibus Venetis profligati sunt: publico addito magistratuum edicto, ne quis Corcyrensium Cimeritam aliquem sub pœnâ capitis in insulam admitteret, reciperétve. Veriti enim magistratus ne insulam contagione pestiferâ infectarent, vt publicæ saluti consulerent, omnino arcendos eos statuerunt: quocirca miseri hac spe frustrati, omniq; ope destituti, Turcis sese vltrò dediderunt, datis obsidibus, pactoque inito cum Saniacco Epiri, vt cuique eorum Osmannidarum vti solo, & per vicinam regionem annonæ comparandæ causâ excurrere tutò liceret.

In cursu lateris aquilonaris adiacent Corcyræ octo paruæ insulæ, Merleræ communi nomine appellatæ: quarum nomina antiquitus *Lib. 4. c. 12.* fuere (vt Plinius scribit) Ericusa, Marathe, Elaphusa, Malthace, Trachia, Pytionia, Ptichia, Taracia. Distãt autem à septentrionali Corcyręo angulo seu Cassiopæo promontorio millibus passuum decem & octo, vbertate soli vel maximè commendabiles, & pascendis gregibus aptissimæ: hodie tamen desertæ omnino, commodam piratis stationem & latibula præbent.

CAPVT VII.

Corcyræ insulæ descriptio.

Plin lib. 4. cap. 12. CORCYRA in Ionio mari sita, vicina Adriatico Epiro adiacet, nomen pro temporum diuersitate nacta varium, Corcyra namque dicta ab vna ex filiabus Asopi, ibi sepulta; quam Neptunus rapuit, & in hanc detulisse scribit Diodorus: ex quâ natus est Phæacus, Alcinoi iustissimi Phæacum regis pater, à quo deinde Phæaciæ nomen obtinuit, cùm prius Scheria, Homero teste, diceretur, *Odyss. lib. 6.* hodie *Corfu* ab Italis Græcisq; appellatur. Hanc alij Ephyrã, & Corfiniũ, nec non Corinthũ à Corinthijs nuncupatã volunt: nam & Corinthiorum & Samiorum aliquando colonia fuit. Nominis occasionem dedisse fertur Bacchiadum familia: quæ à Corinthijs in exilium acta, pars Siciliam, pars Corcyram duce Chersicrate adnauigauit, eamque pulsis indigenis occu- *Strab. lib. 6.* pauit. Vlyssis naufragio, & Alcinoi hortis pendulis, qui biferi fuisse *Odyss. lib. 7.* putantur, eiusque magnificentissimâ, regiâ auro & argento fulgente apud Homerum vel maximè celebratur. Distat autem à Continenti, freto Corcyræo nomine interiacente, ferè duodecim millibus passuũ: quâ tamen Butrotum Epiri regiam spectat, duobus tantum abest milliaribus. Formam habet oblongam, & obliquam, instar falcis, vnde etiã Drepanum (vt Callimachus vult) dixere veteres: quod quidem nomen

ante-


CORCYRA
CORPHV.
EPIRO PROVINCIA
CANALE
Formiche
Fanaro
Laqudia Isola
Saline
Leuchimos
Potamo fl.
Euripo fl.
Gomeaizi
Cardachi
Paipoli
Necro Talassa
Saline
Pauiza f.
C.S.Angelo
Barbara f.
Bastia
Condilonisi
Isola di S.Vido
Potamos
Acheronto fl.
Saline
S.Maria de Casopo
P.Si dari
P.Casopo

 antequam

antequam Corcyrâ diceretur sortita est, atque à falce quâ Iupiter Saturno patri virilia amputasse, & in insulam proiecisse legitur, originem cœpit, licet alij ab illâ falce, qua Saturnus Cœlo patri genitalia abscidit, nomen sumpsisse putent. Meminit huius falcis Apollonius:

Lib.4. Argonaut.

Insula cæruleo nemorosa Ceraunia ponto
Cingitur, hæc celat falcem (mihi parcite Musæ
Inuitus nam prisca cano hæc) vt fama, parentis
Saturnus quâ olim genitalia membra cecidit.

Ambitus secundum quosdam 150. millia passuum continet. Alij 120. quidam 97. nonnulli 80. tantùm milliaria computant. Diuersimodè etiam de longitudine sentiunt, variantq; authores. Plinius passuum 97. millium statuit, neoterici 54 milliaribus constare dicunt. Maior latitudo (quæ ab vrbe veteri Epirum spectante ad Angelocastrum in vlteriori situm littore protenditur) viginti quatuor millia passuum complectitur. Quà Italiam respicit, vt plurimum montosa est, ab Ortu verò quà Epirum spectat, & in mediterraneis in fertilissimos pulcherrimosq; distincta colles vallesq;, amœnissima est. Benignitate soli nulli terrarũ secunda, vini & olei feracissima: densæ etenim oleis syluæ nullâ ferè cultorum operâ proueniunt, & propagantur; citreis, aureis, alijsq; varij generis arboribus abundat: melle quoq; & cerâ copiosa est: frumento non item. Vastata siquidẽ anno 1537. à Chiradino Ahenobarbâ Turcarum archipiratâ immanissimo, ac sexdecim & eo ampliùs omnis sexus & ætatis hominum millibus in captiuitatem abductis, ita infrequens reddita est, vt longo post annorum curriculo deserta & inculta magna ex parte iacuerit. Fluuius in ea nauigabilis nullus, sed quatuor duntaxat riuuli seu torrentes potiùs, vulgò *Paniza*, *Barbara*, *Euripos*, & *Potamos* dicti. Vnicus lacus, *Corizi*, nomine, duorum millium passuum circuitus, atque optimis anguillis abundans. Portubus insuper plurimis *Gipsoo*, *Cassiopeo*, *Sidareo*, *Timonco*, & *Euripo* accommoda est. *Sidareus* & *Timoneus* ad occiduum insulæ latus Italiam spectant, reliqui in interiori sinu seu freto contra Epirum iacent. Vrsos autẽ aut lupos nequaquam producit; feras tamen syluestres, apros, damas, ceruos, lepores, cuniculosq; alit quamplurimos: omnis quoq; generis volucrũ copiam habet. In quatuor verò regiones (*Baronias* vulgò vocant, quarum tituli ad nobiles quosdam Venetos pertinent) tota insula diuiditur. Harum prima ad Ortum vulgò *Leuchimos*, altera Occiduum spectans *Argiros*, reliquæ ad Meridiem & Septentrionem positæ *Mesos* & *Loros* appellantur: habentq; singulæ octo sibi subiectos pagos (quos vulgus *Casalia* vocat) infrequentes pænè omnes, & ignobiles. Planities seu valles præ cæteris duas habet præcipuas, fertilissimâ glebâ insignes, & culturæ aptissimas; derelictas tamen hactenus, & incultas: quarũ altera à Diuâ Catharinâ, altera

altera à Diuo Georgio nomẽ ſumpſit. Hanc anno à nato Chriſto 1591. cùm Corcyræ degerẽ, Itali aliquot ex Marcâ Anconitanâ Senatus Veneti auctoritate, auſpiciisq; Illuſtris viri Guidi Aſcanij, ex Marchionibus Montis S. Mariæ, qui tunc temporis militum præſidiariorum nouæ arcis Corcyreæ præfectum ſeu gubernatorem agebat, ad culturam redegerunt. Lacum ſiquidem, qui in mediâ erat valle, atq; aërem ab cœnoſos vapores inclementiorẽ reddebat, deductâ ad mare vſque per abruptas crepidines perq; confragoſas rupes foſſâ, exſiccarunt, vallemq; totam ſalubriorem reddiderunt: quam demum omni extirpatâ zizaniâ, ſoloq; aratro ſciſſo, frumento conſueuerunt, Pagum etiam in eiuſdem vallis ad ortum cliuo condiderũt, cui Caſtri Franci (quaſi à Francis, quo nomine Italos Græci denotant, conditum) nomen inditũ eſt: quem & vineis, & hortis, viridarijsq; breui tempore excoluerunt. Anno verò ſequẽti vberrimâ & copioſâ collectâ meſſe, in publicę letitiæ ſignũ gratũ populo edidêre ſpectaculũ. Quotquot enim huic agriculturæ initium dederant, atq; operam nauauerant, ruſticis inſtructi inſtrumentis, ad ſonitum tympani ordine militari ſummâ ciuium incolarumq; congratulatione ac plauſu vrbem intrârunt: cẽturio falcem, ſignifer pro vexillo ſpicarũ falcem geſtabat, ac varia reliqui: eoq; ordine totam circũeuntes vrbẽ incolas omnes rei nouitate & inſolito ſpectaculo detentos, mirũ in modum exhilarârunt. Oppida ſeu caſtella muris cincta duo in inſula viſuntur: quorum vnũ haud procul à littore, iuxta aquilonare promontorium colli inſidet non multum eminenti, Butrotũ Epiri olim regiam ſpectãs. Id Caſſiope veteribus appellatũ, & Iouis Caſſij templo inſigne, hodie collapſum planè, deſertum, & ruinis plenum, nil præter muros, turreſq; aliquot ſemidirutas oſtẽdit, diciturq; vulgò *Caſopo:* à quo haud procul abeſt vetuſti operis templum, muſiuo opere ornatũ, D. Virgini ſacrum, & nautarũ votis percelebre; quod ab oppido vicino S. Mariam Caſopæam vulgò nominant. Templum vnà cum oppido à Turcarũ piratâ Ahenobarbâ, dum inſulam deuaſtaret, ac depopularetur, flammis abſumptum & dirutũ, multo tempore ſqualidũ, collapſum, & ruinoſum iacuit: donec tandem opere & ære Ioannis Paſqualici viri Clariſſimi ac Veneto nomine maris Adriatici quondam præfecti anno ſalutis 1598. inſtauratũ, & reſtitutũ fuerit, monaſterio addito ſic ſatis cõmodo, quod muro vndiq; ſeptum (quo tutior cõtra prædonum & piratarũ incurſiones eſſet locus) Calogeris Græci ritus monachis, ſecurum pręſtat habitaculum, ac nauibus, & triremibus, vicinũ portum Caſopęum nomine, appellẽtibus, ſummo vſui eſt. Promontoriũ, quod in proximo eſſe diximus, à vicinâ ſyrti, ſeu arenarũ cumulo, qui velut anguis in aquis latitat, vulgò Serpæ nomen obtinuit: eſt namq; mare ibidẽ vadoſum, nec ſupra 5. aut 6. pedes profundũ: ideoq; nauigantibus vel maximè periculoſum,

 vt non

vt non incongruenter ab angue latente nomen sumpserit. Alterum huius insulæ oppidum seu castellum ad occiduum positum latus, Italiam respicit, Angelo-castrum vulgò dictum. Id arcis speciem præ se ferens, in rupe eminenti, atque vndique præcipiti fundatum, situ munitissimum, & loci asperitate inaccessum, contra piratarum deprædationes, & hostium insultus tutum insulanis præstat refugium. Vnicam præterea insula vrbem cognominem habet, ad interius littus (quâ Bastiam Epiri vicum non ignobilem spectat) sitam, & duabus arcibus præaltis in rupibus positis, quas mare circumfluit, non solum situ, sed etiam opere munitissimam, nihil (vt equidem viderim) aduersus omnẽ vim hostilem firmius, nihil inexpugnabilius: quæ vt lectori magis innotescant, paucula hæc à me de situ earũ obseruata subnectere visum est. Tota machina in quinque arces, seu distinctas munitiones diuiditur. Inferior, quæ cæteras suo ambitu ac mœnibus complectitur, formã ferè triangularem efficit, constatque (præsertim qua mare spectat) ex asperrimis, & altissimis rupibus, quas mare alluit. His nihilominus validissimæ munitiones, & propugnacula superstructa, ab ea parte inexpugnabilem reddunt quà verò vrbem respicit, duo muniunt vasta propugnacula, *Bellouarda* ab Italis nuncupata, fossis profundissimis, latissimisq; septa. Muri crassitudinis stupendæ fulciunt aggeres latissimos, & meatibus concameratis peruios. Tres hæc continet portas, quarum vna, quà ad mare itur, & meridiem spectat, vulgò *Portella Castradi* dicitur: altera quæ ex opposito latere pariter ad mare ducit, à proximâ triremium statione *Mandrachij* porta appellatur; tertia quæ ad vrbem ponte sublicio accessum præbet, vulgò Regię nomen habet. Cùm autem, vt diximus, tota arx solidis rupibus imposita sit, duo rupiũ cacumina cæteris altiùs eminent, quæ singula arcem continent: quarum altera mare, altera vrbem spectat, vtraque longè lateque in vicinum omne solum ac mare dominante. Priusquam verò ad supremas has arces detur accessus, altera atque in ordine secunda in ipso rupis adscensu occurrit arx, quæ medias ferè rupes occupat, vulgò *Cittadella* dicta, munitionibus & propugnaculis adeò munita, vt nihil ad eius defensionem desideretur. Hæc vnicâ portâ ab arce inferiori separata, arctâ angustâq; semitâ aditum admittit. Arce mediâ superatâ, ad summitatem rupium supremarum arcium sedem peruenitur. Res equidem visu admiranda, tormenta bellica inusitatæ magnitudinis in eam altitudinem, præruptasq; rupes (penè dixerim) inaccessas, inuecta esse. Adeò enim arcta est semita, quà ad summitatem itur, vt vix singulis per gradus rupi incisos pateat adscẽsus: quẽ vel duo milites tuto tueri possint. Harum vna quæ mare spectat, diuiditurq; ab alterâ quasi centum passuum interuallo, scalâ ligneâ, eaque angustâ aditum præbet, &

assiduis

assiduis militum vigilijs custoditur. Tormentario quippe puluere referta, qui in abdito eius ventre reconditur, atque ad nouem millia cadorum adscēdere dicitur, quasi tota pensilis est. Ad hanc nulli hominū, siue ciuis sit, siue inquilinus, aut alienigena, datur aditus, solis exceptis magistratibus, militumque præfectis, ac cohortium centurionibus, cæterisque præsidiarijs militibus; quorum fidei concredita est; qui quotidianas inibi agentes excubias, alternis diebus mutantur, ac mutuâ vicissitudine sibi succedunt. Altera quæ vrbem respicit, cæterisque supereminet, ac tanquam regina caput inter nubila cōdit, aërea idcirco à Virgilio non immeritò appellata, omni apparatu bellico, ac milite præsidiario instructissima est. Ex eâ rursum ab occasu scalâ subterraneâ rupi incisâ, ad quintam descenditur munitionem; quæ vrbi opposita, à formâ, Semiluna, vulgò *Melaluna* appellatur, estque tormentis bellicis instructa, & per se munitissima, & inaccessa. Hic arcium situs, hæc facies. Ex quibus facilè colligi potest, non vnam, sed quinas arces, vno tamen eodemque ambitu, muro licet quintuplici, varijsque propugnaculis cincto contineri: adeoque admirādam hanc molem inexpugnabilem reddi. Cæterùm præter situs asperitatem, & propugnaculorum firmitatem, non solum milite præsidiario satis valido, & numeroso singulæ arces munitæ sunt, sed & omni annonæ copiâ, bellicoque apparata instructissimæ, vt nihil ad longissimam etiam cuiusuis potentissimi hostis perferendam obsidionem desideretur. Ad hæc alia ab occiduo vrbis latere arx prærupto in scopulo, atque vndique præcipiti, mari, vallibusque ab omni parte cincta, superioribus annis extructa est, prioribus non infirmior, nec immunitior. Muris siquidem fossisq; profundissimis in ipsâ rupe incisis, propugnaculis item varijs, ac duplici vallo, cuniculisque (quos Itali *Casamattas* appellant) longè munitissima, tota ferè subterraneis cauis & meatibus quasi pensilis est: qui eâ ratione in ipsâ rupe excisi sunt (tota enim arx rupes est) ne si vrgēte necessitate eam derelinquere defensores cogātur, hostis eâ ad libitum potiatur; vtque tormentario supposito puluere, in aërem agi, ac funditus euerti subitò possit. Est autem arx ipsa ad occiduum (vt diximus) vrbis posita latus, eiusq; muris contigua, ac D. Georgij monti opposita, vrbem ipsam à latere occidentali, & septentrionali optimè defendens, ac muniens, diciturque ab incolis (quod recens condita sit) Arx Noua, in differentiam alterius, quæ Arx Vetus appellatur. Inter has media vrbs iacet, per se quoque opere & situ munitissima, quæ nec propugnaculis caret, & à mari vndique ferè alluitur. Eius situs ita se habet: Formam refert penè quadrangularem, efficitque peninsulam: vnico siquidem duntaxat latere Occidentem versus terræ cohæret; reliquum mare lambit. Quia verò à latere occiduo Saluatoris, & *AEneid. lib. 3*

Georgij

Georgij montes oppositos habet, qui vrbi imminent, & vel maximè infesti sunt, fossâ idcirco ab eâ parte altissimâ, & tribus validissimis munitionibus cingitur: quarum duæ extremæ, altitudine, murorum crassitie aggerumq; latitudine vel maximè cõspicuę sunt. Harum altera ad meridiem posita; à loci propinquitate *Castrado* vulgò dicta, vrbis angulum constituit, respicitq; ab vno latere Meridiem, ab altero Occidentem: altera, quæ ex aduerso est, *Foscarena*, à Iacobo Foscareno, D. Marci Procuratore amplissimo, ac maris quondam pro Venetis Architalasso, eius auctore sic dicta, Arci nouæ adiacet, licet inferior, spectatq; Occidentẽ & Aquilonẽ. Has media interiacet tertia, à formâ planâ ab Italis *Piatta forma* vocata, opere, & aggeribus prioribus haud infirmior: cui à Septẽtrionali latere proxima hæret vrbis porta primaria, ex candido & durissimo saxo eleganti opere constructa, cui regiæ portæ nomen est. Hæc demum suis muris ad Foscarenã munitionem protenditur, quã deniq; sequitur arx noua occiduum vrbis angulũ (vt diximus) constituens, quæ & ipsa rursum vrbis mœnibus Aquilonẽ spectantibus coniungitur. His centũ fere passuum interuallo porta *Spilea* nomine, ordine secũda, quę ad mare ducit, annectitur, à quâ denuò continuato ordine, inflexo tamẽ & incuruo, prout rupiũ situs & defẽsionis ratio postulat, mari eas vndiq; alluente, ad vsq; tertiũ vrbis angulum mœnia ipsa extenduntur. Aquilonare id vrbis latus paruam insulam oppositã habet, ducentis fere passibus ab vrbe diremptam, vulgò *Maripetri* scopulum dictã. Nominis occasionem dedisse fertur nobilis quidam Venetus, ex patritij ordinis familiâ Maripetrâ ortum ducens, ad quẽ hæc insula priuato iure pertinet, cũ prius *S. Viti* diceretur. Est autẽ oliuetis referta, varijsq; arboribus instar nemoris opaca. Hinc apros quamplurimos nutrit, ac domino suo summo emolumento est. Fretum verò, quod mediũ interiacet, ac loco portus est, à ventis aquilonaribus percõmodè munit, ac nauibus tutam reddit stationẽ. Post angulum ordine tertium sequitur orientale vrbis latus, in cuius initio D. Nicolai porta est, ad mare ducẽs, sic dicta à fano proximo, in ipso littore extructo. Hæc *Mandrachion* è regione habet. Locus is est viginti quatuor triremium capax, earumque stationi destinatus, qui iuxta veteris arcis muros positus, & à reliqua statione seiunctus, latissimo aggere ex prægrandibus saxis in præalto mari fundatis, atque paulatim in crassissimũ murum, & supra vndas maris eminẽtem, exurgentibus, cingitur, & tutissimum contra vndarum impetum triremibus præbet receptaculũ. Totum id ad ortum latus muris haudquaquam munitum, sed apertum, *bellouarda* arcis veteris opposita habet solaque fossâ profundissimâ ab arce dirimitur, ad quam ponte sublicio ab eâ parte ex vrbe patet accessus. Hinc rectâ id latus ad quartum vrbis angulum porrigitur, cui à meridionali latere

cohæret

cohæret propugnaculum Molinum nomine, mare & ipſum ſpectans, atque à Marco Molino, viro clariſſimo, & inſulæ quondam Præfecto, eius auctore, ſic appellatum: quod quidem ad portam vſque Erizam ſuis muris protrahitur: inde verò vi bis mœnia propugnacula *Caſtrado* demum coniunguntur. Atque hic hodiernus vrbis eſt ſitus, quem quidem ſæpius mutatum ferunt: vbi enim hodie viſitur, tertia eſt, quam habuit ſedem. Olim ſiquidem vbi nunc ſuburbium, quod Palæopolin, vulgò *Paiopoli* id eſt vrbem veterem Græci vocant, ducentis circiter meridiem verſus ab vrbe paſſibus primùm fuit: poſtea vallem illam omnem, quæ à radicibus Saluatoris, & Georgij montium ad mare vſq; protenditur, occupauit: demum contractis plurimùm pomœrijs, inter arcem veterem & nouam conquieuit: cuius iacta fuere fundamenta anno 1572. bello tunc contra Turcam mirum in modum graſſante. Hodie autem omnibus numeris abſoluta, in eam (quam diximus) formam munitiſſima euaſit. Diuiditur autem in tres regiones, ſeu tribus, *Spileam*, *Vriouonam*, & *Spianatam* vulgò appellatas, Spilea ad Occidentem, Vroiuona ad Aquilonem, Spianata ad Ortum & Meridiem adiacentibus. Spianatæ ædes ex aſſeribus ſeu tabulis ligneis pleræque confectæ à nouâ vrbe conditâ initium habuere: cum enim plurimorum ciuium ædes magnificæ, quo loco prius vrbs ſteterat, Veneti Senatus edicto dirutæ, & ſolo æquatæ eſſent (nam contrahi vrbis pomœria, ſitumq; mutari, ob defenſionem faciliorem, quo ciuium ſaluti, & ſecuritati aduerſus barbarorum incurſiones, deprædationesq; magis conſuleretur, Senatus decreuerat) poſt tot & tantarum ædium ruinam, damnum, quod quisque fecerat, meritò reſarciendum putauit. Hinc verò totum illud ſolum, quod longitudine ſuâ à portâ Eriza ad Vriouoni vſque collem alterum ex aduerſo vrbis latus occupantem, protenſum interiacet, ſuaque latitudine ad Diuæ Mariæ fanum vſque dilatatur, eiuſdem Senatus conſulto magiſtratuumque Corcyrenſium operâ, ciuibus pro cuiusque iacturâ æquis proportionibus diuiſum eſt. Ligneas inter has ædes, & arcem veterem ampliſſimus patet campus, vulgò *La Spianata* dictus; in quo (vnico excepto prætorio) nullum cernas ædificium. ſolo autem omnia æquata eſſe vel eâ ratione putauerim, ne facilis, vrbe occupatâ, ad arcis mœnia detur acceſſus. Cæterùm vrbs ipſa Archiepiſcopatu nobilis, plurimis ſacris ædibus ornata eſt: præter Cathedralem enim Eccleſiam, Diuo Arthemio primo Corcyræo Epiſcopo ſacram, quæ in arce veteri loco eminentiori ſita eſt, in quâ & Archiepiſcopus ſedem habet, tria viſuntur Romani ritus templa, Diuis MARIÆ, Iacobo, & Franciſco dicata. His, Iacobi æde exceptâ, monaſteria ſatis cõmoda addita ſunt, in quibus monaſticæ vitæ homines Minoritæ & Auguſtiniani religiosè degunt, templisque inſeruiunt,

seruiunt,ac sacris,& orationibus vacant. D.Iacobi parochialis Ecclesia est,cui duo sæculares præsunt præsbyteri.Huic adiacet Xenodochium insigne, à D.Iacobi sodalibus,Italis pænè omnibus,vnà cum templo in mancipiorum vsum iampridem erectum. Hi quotidianis ac largis eleë. mosynis,alijsque pijs operibus locum commendant, & in eos maximè exercent,quos Turcicâ seruitute elapsos, & in insulā delatos nouerint. Hos enim humaniter suscipiunt, per dies aliquot victum suppeditant, ægros curāt;mox etiam dato viatico ad sua remittunt. Post Latinorum templa,plurima quoque Græcorum sunt delubra, angusta pleraque, & sordida, nonnulla etiam ex tabulis ligneis ruditer compacta. Præstat cæteris D.Spiridionis fanum,lapideum totum, & recens elegāti formâ instauratum; Id singulari deuotione à Grçcis æquè ac Latinis frequentatur; maximoq; hominum vota soluentium concursu celebre est. Sacrum namque Spiridionis corpus miraculis clarum summâ in veneratione inibi habetur,populoque & Latino & Græco statis diebus ostenditur,cucullo & tunicâ,quibus,dum viueret,vtebatur,integris & illæsis indutum. Porrò fontibus vrbs caret, aquæ salubrioris indiga, putealis crassa est,& putrida. In vtraque tamē arce & nouâ & veteri pluuialium aquarum cisternæ aliquot sunt, ad militum vsum percōmodæ. Adsunt præterea qui ex fonte vicino *Cardaceo* nomine iuxta Palæopolin mille circiter passibus ab vrbe dissito,aquis optimis, & copiosissimis,quæ vel ingenti classi sufficerēt, vberrimo,lintribus aquam aduehant,hydriasq; eâ plenas plateatim diuendant: quâ in re ciuium & incolarum necessitati abundè satis subuenitur. Nec procul inde alius erumpit fonticulus,quem vulgò *Tetradi* indigitant,saluberrimis aquis percelebris. Adiacet vrbi Occidentem versus ducentorum ferè passuum interuallo villula,quam vulgò *Paiopoli* vocant,præcipua quondam(vt supra etiam memoraui)totius insulæ vrbs,in planitie iuxta littus cōdita, loco amœnissimo, & fructifero: cuius adiacentes campi varijs arboribus consiti, & in primis oliuetis,vineisq; exculti sunt.Hodie tamen (vt est omnium rerum vicissitudo)exiguus est locus: in quo præter domunculas aliquot ligneas, easq; humiles, & vnius tantum contignationis, nihil est quod cernas.Haud procul inde vallis iacet amplissima,cui vulgò Sanctorum vallis nomen est, salinis nobilis, ex quibus maxima salis copia ingenti cum lucro,ac Venetæ Reipublicæ emolumento quotannis colligitur, & publicis horreis conditum postea Venetias nauibus asportatur. Duas insuper valles amplissimas in insula videre est, sali conficiendo destinatas, quarum altera *Alcsimos* ad extremum meridionale insulæ posita latus,omnium maxima,altera *Potamos*,in primo ad Occasum ab vrbe sita lapide, cæteris minor est. Singulis Senatus Veneti auctoritate præest Præfectus, itemque Architectus, hunc Prothum, illum Capitaneum

neum vulgus appellat: quibus vallium operarij ſali coquendo deſtinati, parent omnes. Id vero ſummoperè curat vterque, ne ſal (quod publici iuris eſt) à quopiam auferatur, néve operarij in colligendo ſale fraudem aliquam committant: deprehenſi capite puniuntur. Salinarij omnes Græci ſunt, publicis ſtipendijs conducti, multisque priuilegijs, & immunitatibus à Principe donati; rerum tamen omnium egentiſſimi, ſuisque plerique creditoribus obnoxij: quos, dum in ſale coquendo occupantur, quod fit à Kalendis Aprilis ad Kalendas vſque Nouembris, in ius rapere nulli fas eſt. Ad ducenta autem millia modiorum ſalis & ampliùs æſtate ſiccâ quotannis colligitur; qui horreis vicinis inuectus, pòſt à certis magiſtratibus vendendus Venetias aſportatur. Nulli enim priuato id licitum eſt, niſi à magiſtratibus comparauerit. Principis ſiquidem monopolium eſt ſalem vendere: quod antiquitùs inſtitutum fuiſſe refert Alciatus. Porrò ſalis conficiendi modus ita ſe habet: Valles (quas diximus) mari adiacent, è quo deductâ foſsâ, facilè marinis aquis vndequaque irrigantur: In plurimas autem areas, easque quadrangulares tota vallis diuiſa eſt: hoc ordine, vt ternæ ſibi inuicem cohæreant, atque vna aliam ſubſequatur: Quæ verò foſſæ proxima hæret, lata per quadrum pedes viginti quinque, aggere vnius pedis circumquaque munitur: hanc ſequitur ſecunda, dein tertia, vtraque quâ prima & formâ & magnitudine. Diuiduntur autem ſingulæ vallo, eâ ratione, ne aqua marina priori areæ immiſſa, vlterius dilabatur, aut diffundatur. Hæ purgatæ coæquatæ, ac glabræ redditæ, cylindro conſolidantur, vti ijs in locis videre eſt, in quibus frumentum teritur. In primâ areâ, quæ *Vas* appellatur, foſſæ vicina, aqua per diem relinquitur, in eaque paulatim Solis ardore purificatur: Poſtridie vicinioris areæ vallo perforato, in ſecundam, *Caldare* dictam, dimittitur, atque inibi quoque per diem integrum calore Solis coquitur. Tertiò dein die, vbi ſatis cocta eſt aqua, facto inſuper in vallo foramine, in tertiam aream *Salinam* nuncupatam deriuatur: in quâ item per diem integrum relinquitur: qui ſi apricus fuerit, vnico in ſal duriſſimum congelatur; ſi nubilus, in alterum vſque diem permanet: quod ſupernatat, vel in ſuperficie hæret, candidum eſt, diciturque Flos ſalis: quod ſubiacet, fuſcum colorem habet. Flore priùs detracto, mox & reliquum inſtrumentis admotis extrahitur, & vehiculis impoſitum in horrea publica (quæ in proximo ſunt) inuehitur. Aleſtini vallis ducentas Salinas, totidemque Caldaria, & Vaſa continet. Sanctorum vallis centum. Potami quadraginta. Vt autem planiùs, lucidiusque lectori innoteſcat Salinarum ſitus, earum formam, ac faciem appoſuimus.

Ad l. inter publica 17. ff. de verb. ſign.

Via regia

Pons
Fossa
Pons

Via | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Via
Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus
Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus

Pons
Regia
Pons

Via | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Via
Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus
Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus

Pons
Fossa
Pons

Via | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Iter | Vallus / Vas / Vallus | Via
Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus — Vallus / Caldare / Vallus
Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus — Vallus / Salina / Vallus

Ab occidentali vallis latere, cui Sanctorum nomen eſt, ſinum efficit mare, ſeu portum ampliſſimum, cuius oſtij medium in ipſis faucibus ſcopulus occupat, Calogerorum monaſterio inſignis, atque vberis ſoli. Profundiſſimum quandoque, & tutiſſimam ſtationem, ac ducentarum & amplius triremium capacem fuiſſe ferunt incolæ: hodie arenarum cumulis magnâ ex parte vadoſus, nullius vſus eſt: piſcibus tamen optimis abundat, & piſcinæ loco habetur, ac priuati iuris eſt; diciturque vulgò *Necrothalaſſa*, id eſt Mare mortuum.

Diximus de vrbis atque inſulæ ſitu, & fertilitate: ſupereſt vt de magiſtratibus vrbis, eiusq; incolis, ac eorum moribus, cæteriſque eodem ſpectantibus aliqua addamus. Vrbs atque inſula tota Veneti iuris eſt. Poſt expugnatam namque à Venetis Galliſque Conſtantinopolim, illorum armis ceſſit: qui ſtatim veluti in nouam coloniam ex Vrbe viros aliquot patritios, plebeiosq; eò miſere; quorum operâ in officio hactenus perſiſtunt Corcyræi, & longâ pace cuncta refouente, multiſque priuilegijs aucti quieſcunt. Summa rerum penes magiſtratus eſt Venetos, qui Senatus auctoritate in vrbe reſident, populoq; in iure dicundo præſunt, & rempublicam adminiſtrant. Horum alter Baili dignitate præfulget, & ciuibus, cæteriſque & vrbis & inſulæ incolis iudex conſtitutus eſt. Alter Præfecti Generalis ſeu Prouiſoris titulo, vniuerſæ militiæ, beneficiarijs, & reliquis ſtipendia merentibus imperat; ſolusq; ius dicit; quod Bailo nequaquam licet: neque enim ſolus iudicat, aut in reos animaduertit, ſed in ſententijs ferendis aſſeſſorem habet; qui & ipſe patritius Venetus pari poteſtate & ſuffragio, Senatus auctoritate Conſiliarij titulo in inſulam ablegatur, & in iudicijs Bailo aſſidet. Sic enim conſtitutum eſt, vt duo patritij præter ſupremos illos magiſtratus ſingulis biennijs Corcyram à Senatu mittantur, ea ratione, atque hoc illis iniuncto onere, vt alter quæſturam apud Præfectum Generalem exerceat, alter Baili aſſeſſorem agat, & per vices alternis bimeſtribus in hiſce magiſtratibus ſibi inuicem ſuccedant; ita vt qui Aſſeſſor Baili fuerit, iam Quæſtor euadat; qui verò Quæſtorem egerit, iam Baili Aſſeſſor fiat: qui ſi in dicendis ſentẽtijs à Bailo diſſideat, cauſa ad Quæſtorem remittitur; & cuius ille ſententiam ſecutus fuerit, ea demum, vti debitis ſuffragijs lata, rata habetur, vimq; ſententiæ obtinet: ita tamen, vt ab eâ prouocare ad Quadraginta virûm Conſilium Venetum parti grauatæ liberum ſit. Quæſtor hic publicæ pecuniæ curam & cuſtodiam habet, quam oportunè Prouiſoris iuſſu, & in ſcriptis mandato diſpenſat, ratione de expenſis redditâ. Huic publico nomine Scriba adiunctus eſt Corcyræus: qui acceptum & expenſum ad calculum reuocat, & in codicem refert. Conſiliariorum alter in eâ parte Arcis veteris cui *Cittadella* nomen eſt, domicilium habet, alter in vrbe

iuxta Bailum: quod eâ ratione constitutum est, vt commodiùs die noctuq; ciuium & incolarũ necessitatibus subuenire, sibiq; mutuo præsto esse faciliùs queant. Ad hæc arcium custodia penes alios duos patritij ordinis viros est: quorũ alter Præfecti titulo, Arcis Nouæ curã habet, alter Veteri supremâ in rupe positę pręest, *Castellanus* vulgò dictus. Vterq; verò Præfecti Generalis auctoritatẽ agnoscit, eiusque per omnia paret imperio. His egredi Arcibus sibi creditis toto magistratus sui tempore, sub pœna capitis vetitum est. Omnes autem hi magistratus biennales sunt: & præscriptis legibus rempublicam administrant.

Primarij vbi in publicum prodeunt, magnificam sanè, nec respuendam, ostentant pompã: vestibus enim induti holosericis, ad talos vsq; pendentibus togati & purpurati incedunt; plurimâ lictorum, satellitũ, ac famulorum præeunte turbâ; quos illi sequentes medium tenent: magnâ eos ciuium, militumque comitante cateruâ. Sunt prætereà in vtraque Arce singuli militiæ supremi duces, Gubernatores militiæ vulgò dicti; quibus id muneris iniunctum est, vt de armis, excubijs, cæterisq; militaribus officijs curam habeant, militibusq; imperẽt, ac pacem inter eos componãt: ad Prouisorem insuper, si quid hi præter officium egerint, aut si ad bellicum apparatum quicquam in arce, cui præsunt, desideretur, referant. Equestri itẽ militiæ, seu leuis armaturæ militibus, ad littus tutandum destinatis, quos Itali Albanos, Græci *Stratiotas* vocant, suus quoq; supremus dux est, Gubernatoris & ipse titulo insignitus: qui in vrbe moratur, atque vnà cum cæteris ducibus & præfectis Prouisoris subest imperio. Hic in Arce Veteri inferiori domicilij sedem habet; cuius ædes assiduis militũ excubijs custodiũtur. Non solum autẽ toti militiæ ius dicit, & imperat, sed & stipẽdia cunctis è publico soluit; de annonâ, omnique bellico apparatu curam habet, ac nauticũ in primis panem in triremium vsum procurat: solus etiam de causis controuersijsque æris publici, vectigalium, decimarum, aliarumq; exactionum cognoscit. Cæterum insulani omnes Venetorũ viuunt legibus; eorumque lites & causæ cùm ciuiles, tùm criminales, iuxta Venetę curiæ morem expediũtur: sed & acta publica, & priuatarum litium Veneto idiomate non Græco à scribis publicis, iisq; Venetis, aut è prouincijs Veneto imperio subiectis à magistratibus eò accitis, quos *Cancellarios* vulgò vocant, in codicem referuntur. Horum amplum est salarium, certis tamen legibus præscriptum. Summaria hic pleraque iudicia: nulli procuratores, sed soli aduocati; qui vt plurimùm viuâ voce, non scriptis priuatorum causas agitant, clientesque defendunt. Vrbis incolæ ferè omnes Græci sunt: Itali (militibus exceptis) perpauci; pauciores Albani, seu Epirotæ. Ruri habitãtes & ipsi omnes Græci, ad nouem circiter millia, dum nos Corcyræ essemus, adscendere dicebantur. Ex ijs ad tria millia

armis

armis exercendis idonei (vulgò *Cernede*, à ſecernendo, quaſi ſelecti, à Venetis appellati) cenſebãtur. Hi ſub ſigna coacti, & in plurimas diuiſi cohortes, ſub ſuis militant Chiliarchis: quibus è publico menſtrua ſtipendia, decem nempe Ducatorum Venetorũ à Senatu aſſignata ſunt: hoc interim illis incumbente onere, vt ſibi ſubiectos inſulanos, ſtatis quiſque diebus in armis exerceant, doceantq; miliaria obire munera: piratas inſuper, hoſtiléſve triremes, aut celeres, ſi quæ terrã prædabundæ captare tentent, ab acceſſu arceant, & repellãt: eiſque, ſi vim inferãt, cum ſuis quiſq; cohortibus ſe opponant. Qui verò militari munere nõ funguntur, Principis angarijs obnoxij, ad opera ſeruilia, publicaq; , & remigũ, & foſſorũ, vbi occaſio poſtulat, coguntur. Idiomate omnes ferè, præſertim ruri habitãtes, vtũtur Græco vulgari, vocabulis corrupto, atq; ab antiquo illo multũ diſcrepãte. Albani tamen præter Græcã linguã, proprium idioma, quod Albanicũ, ſeu Epiroticũ vocant, in vſu habent.

Pleriq; etiam in vrbe degentes, honeſtiores præſertim ciues, Italicam callent linguam, eaq; vt plurimùm in publicis comitijs, tractandiſque negotijs coram magiſtratibus vtuntur; cauſidicis quoque vbi clientum ſuorum agunt cauſas, iudicioq; contendunt, idem obſeruantibus. Diuiduntur autem vrbis incolæ in ciues, & plebeios; honeſtiores *Archondes* id eſt nobiles dici volunt, certumq; explent numerũ, quem Vrbis Communitatem vocant, & publicum quotannis habent Concilium: in quo communibus ſuffragijs Venetis magiſtratibus præſidentibus certa ſuis conferunt & vrbis & inſulæ publica munia. Creant etenim tres ciuiliũ cauſarũ iudices annuos, qui Bailo in dicẽdis ſententijs aſſidẽt, habentq; votum conſultatiuum, non deliberatiuum; quibus id quoq; iuris eſt, vt ſoli in cauſis ſummam 55. librarum Venetarum (quæ noſtræ monetæ Florenis circiter 20. reſpondent) non excedentibus, iudicium dent, & ſententias dicant: à quibus tamen ad Bailum datur prouocatio. Duos adhæc Syndicos, totidemque Salubritatis Prouiſores, nec non Iuſtitiæ Miniſtrum, qui ponderibus & menſuris præeſt: Annonæ quoq; Præfectum, Scribamq; fabricæ publicæ, atque alia minora officia; omnia quidem ad vrbis ornatum, dignitatem, commoditatemq; ſpectantia: Prouiſorem inſuper Pargæ (quod in Epiro oppidum eſt maritimum, Venetis ſubiectum) itemq; Angeli caſtri Præfectum publicis votis eligũt. Inter Corcyræas familias opibus & auctoritate eminent Cuchina, & Condocala, vtraque equeſtri dignitate decora: his proximè accedunt Bellãda, Petretina, Morella, Lucana, Fortia, Quartana, Maripetra, Triuola & Altauilla. Cæterũ Corcyræi ingenio pleriq; ſunt acri, & elegãti, vago tamen, ſubitoq;: ſtudioſiores equidem Mercurio, quàm Mineruæ, gulæ & luxui in primis dediti, atq; otio torpentes vt plurimùm, maiorũ ſuorum hac in re ſequuti veſtigia, quorum Horatius meminit:

Queis

Lib. 1. Epist. *Queis* (inquiens) *pulchrum fuit in medios dormire dies, &*
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
Et alibi *Pinguis vt inde domum possis Phæaxq; reuerti.*

Odyss. lib. 7. Olim quidem (vt author est Homerus) fuere rerum maritimarum vel maximè studiosi: fælices idcirco ibi nasci viros idem refert, quod Phæacensibus nulla arcus pharetręq; cura esset; sed mali remiq; nauiũ, ac naues ipsæ, quibus illi plurimum maris emetirentur. Addit quoque quemadmodum cæteros mortales naualis artis peritiâ Phæaces præstarent, sic fœminas etiam texendis telis reliquas totius orbis præcellere; & id muneris illis à Minerua datum esse, ac bonam mentem habere. Quâ in re haudquaquam à maioribus suis degenerarunt; nam & hodie ad varias artes mirum ingenium habent, & præ cæteris acu optimè pingunt. Hæc de Corcyrâ: nunc cætera prosequamur.

CAPVT VIII.

Epiri regionis, adiacentiumq; insularum descriptio.

DIXIMVS suprà Corcyram insulam Epiro ab Ortu adiacere, ab eaque freto angusto interiacente medio dirimi. Quia verò maritimam eiusdem regionis oram aliquando lustrauimus, plurimaque inuisimus loca, lubet obiter quæ nobis de eius situ & conditione innotuere, paucis subjicere.

Plin. li. 4. c. 1 Est Epirus notissima Europæ prouincia, à Pyrrho Achillis ex Deidamiâ filio sic dicta: cui olim Chaoniæ, & Molossæ nomen fuit, à Lib. 7. Chaonibus & Molossis eiusdẽ regionis populis: qui (vt Strabo refert) totius Epiroticæ terræ quandoque regnum tenuere. Nostræ ætatis Cosmographi Albaniam vocant, ac partem alterius Albaniæ huic conterminæ (quæ pars Macedoniæ est) esse putant, cum eaque coniungunt: quocirca etiam aliqui hanc nouam, illam veterem Epirum appellant, quæ Turcis hodie Ianina dicitur. Terminatur autem à Septentrione Macedoniâ, ab Ortu Ætoliâ, à Meridie & Occasu mari Ionio. Lib. 7. Regio quondam populatissima, quatuordecim gentium (vt refert Strabo) quandoque sedes; ex quibus celebratissimæ fuere Chaones, & Molossi; penes quos Dodonæi Iouis templum oraculis clarum extitit: vbi columbæ duæ, vel dęmonum illusionibus, vel sacerdotum fraudi-Lib. 2. bus, dare responsa dicebantur. Herodotus Halicarnassæus fœminas fuisse putat Ægyptias, à Phœnicibus exactas: & primùm apud Thesprotios Fanum Iouis condidisse: columbas autem à Thesprotijs dictas, quod barbarè loquerentur, & simile quid auibus sonarent: postea humanâ voce locutas, cum more ipsorum loqui addidicissent.

Vrbibus

Vrbibus prçtereà frequens admodũ fuit. Septuaginta enim in eâ à Paulo Æmilio funditùs euersas scribit Polybius: qui etiam centum & 50. millia hominum ab eodem in seruitutem abducta narrat. Hoc verò tempore, deserto, & plurimum vastato solo, vrbibusque deletis, præter oppidum vnum atque alterum, continet nihil. Indigenæ pauci huc illuc per agros ruderumque reliquas sparsi, pagos inhabitant; agrisque colendis, & pascuis dant operam. Ob soli autem sterilitatem (in mediterraneis præsertim) æstiuo tempore turmatim è prouinciâ discedunt, proximasq; Albaniam, Romaniam, imò & Natoliam accedunt; relictisq; domi vxoribus, & liberis, æstatem ibi transigunt, suasque Turcis locant operas: messe demum finitâ, ad propria redeunt. Idiomate omnes vtuntur Albanico, cuius supra meminimus; suntq; Græci ritus homines, armis & latrocinijs in primis assueti, & in mores barbaros efferati. Solum omne mediterraneum (vt diximus) sterile est, & syluis opacum: maritima ora satis fertilis, & culta. Frumenti quodam genere, quod *Calambochio* vocant, estque *Sorgo* Lombardico non absimile, solo colore differens; cum hoc rubei, illud albidi coloris sit. Plurimis gaudet portubus, & capacissimis: celebriores sunt Ambracius, Panormus, Onchesimus, Comarus, & Communitius. Hîc regio fonte aquis vberrimo nobilis, portum intrantibus commodum, & oportunam aquationem præstat. Amnes præter cæteros duos habet, Acherontem, & Acheloum, nominis claritate insignes. Egregios alit equos, boues item & oues prægrandes. Inter oppida, quæ Turcis parent, præstant Preuesa, & Sancta Maura; vtrumque maritimum, & milite præsidiario munitum. Vnicum ad Venetos spectat Parga nomine, & ipsum maritimum, Leuchimum orientale Corcyræ respiciens promontorium. Porrò contra Cassiopeum aquilonare Cocyræ promontorium Buthrotum (vulgò *Butrinto* iacet) oppidum, Epiri quondam regia, supra editum collem peninsulæ seu Chersonesi formâ in portus ore conditum; Romanis quondam frequens accolis, nunc habitatore vacuum, collapsum planè, & ruderibus plenum, vix ruinis suis priscæ magnificentiæ, ac veterum ædificiorum indicat vestigia. Ob piscinas autem, quæ iuxtà sunt, optimis diuersi generis piscibus copiosas, locus ipse etiamnum celebris est; eiusq; æstuaria, ac portus *Aimorus* dictus, à piscatoribus frequentantur. Videre ibi est tuguriola lignea quamplurima, asseribus, tabulisq; ligneis pendulis concinnata, & certo ordine & interstitio seiuncta, piscibus siccandis percõmoda. Piscatores namq; pisces, maximè quos Cephalos vocant, dum pleno sunt ventre, viuos aperiunt, ventrem ouaq; simul exscindunt, siccantque sole: quæ vulgò *Betarghe* dicuntur, & in multo apud Italos sunt pretio. Reliquos pisces sale conditos, dolijsque impositos, per circumvicinas regiones

F maximâ

maximâ copiâ ſed viliori pretio diſtrahunt. Duodecimo à Buthroto lapide meridiem verſus, atque è regione vrbis Corcyræ, in ipſo maris littore *Baſtia* ſpectatur, Epiri vicus non ignobilis, ſupremi Quæſtoris totius Epiri (quem Turcę *Eminum* vocant) ſedes, iuxta quem Acheron fluit, Epiri fluuius percelebris, & apud poëtas decantatus; quem alij Cereris, alij Terræ filium eſſe, & ad Inferos miſſum fabulantur. Hic ex Acheruſia palude Theſprotiæ profluens, iuxta Pandoſiam vr-
Lib. 7. bem (vt author eſt Strabo) ſub terram occultatur: mox per quandam ſpeluncam, vallemque profundam tanquam ab Inferis emergit: inde multis auctus fluminibus in portum Chemerium illabitur: cuius aquæ olim inſuauiſſimæ fuiſſe dicuntur: & hinc apud veteres nata fabula, quod Inferos accedat; accedentesque ad Inferos mortuorum animas excipiat, ac trajiciat. Baſtiam in ipſo littore ſequitur Communitiæ portus, mox Fanarus. E regione eſt Sibota nunc *Syuita* parua inſula, pauli-
Lib. 7. ſper à Continenti diſiuncta; cuius Strabo meminit, paſcuis vberrima, ſed ob piratarum deprædationes habitatore vacua. Communitiæ & Fanari portubus proxima eſt Parga, cuius ſupra memini, vnicum in Epiro Veneti iuris oppidulum, portu accommodum. Id rupi, quæ mari adiacet, impoſitum, ſatis tutum habitatoribus præſtat receptaculum, præſidiario quippe milite munitum, propugnaculis item, qua cōtinentem reſpicit, cinctum, vim omnem hoſtilem, atque accolarum excurſiones à ſe facile propellit. Incolæ partim Græci, partim Epirotæ ſunt: Græci ritus omnes; quibus in ſacris præeſt Græcus quidam Protopapas. Milites præſidiarij vt plurimùm Itali ſunt; & Romano more ac ritu viuunt, habentque Minoritam ſacra adminiſtrantem. Cæterùm in iure dicundo præeſt oppidanis titulo Prouiſoris nobilis Corcyrenſis; cuius magiſtratus biennio durat; quo elapſo, nouus Prouiſor publicis Corcyrei Concilij ſuffragijs ſubrogatur, & ad oppidum mittitur.

Lib. 7. E regione Pargæ iuxta promontorium Leuchimum, ſeu (vt Strabo vult) Leucimam, hodie *Caput Laſcarum* à nautis dictum, perexiles iacēt inſulæ, haud memoratu dignæ: vulgus nautarum Formicas appellat.
Lib. 4. ca. 12. Haud procul inde, ac quinque millibus paſſuum (vt Plinius notat) à Corcyrâ diſcretæ, duæ aliæ exiguæ iacent inſulæ, Plinio Paxoæ dictæ, quas hodie Paxum, & Antipaxum vulgus appellat. Illius circuitus duodecim ferè milliarium eſt. Fælicis ſoli, paſcuis vberrima, & portu ditata capaciſſimo, & tutiſſimo: ob continuas autem piratarum deprædationes habitatore deſtituta. Huius autem minor eſt ambitus: paſcuis nihilominus atque vbere gleba diues, portum nullum habet. Vtraque ad Parginotas ſeu Pargæ incolas ſpectat, ijs ad armenta alenda Senatus Veneti liberalitate jampridem donata. Diuum Paulum ad

ad has insulas quandoque appulisse, ac nullum propterea in ijs gigni animal venenosum, vulgò persuasum est. Iuxta alterum ex aduerso Corcyræ promontorium, quod in Austrum vergit, ac Tarentum Italiæ oppidum spectat, Phalacrum antiquitus, seu Phalacrium (vt Plinius memorat) appellatum, hodie nautis *Caput Album*, scopulus iacet, *Lagudia* nomine, nauem formâ referens, in quem mutatam Vlyssis nauem à simili specie fabula est. Lib. 4. c. 1

Post Pargam secundum maris littora sequitur Preuesa, Turcici iuris oppidum, olim Nicopolis, in Acarnaniâ Epiri regione situm. Id ab Augusto Cæsare, ob partam ad promontorium Actiacum per Marcum Agrippam classis præfectum contra Marcum Antonium & Cleopatram nauali pugna victoriam, instauratum, frequens populo, delubro, luco, gymnasio nobile fuit, ac latos fines habuit. Hodie quoque, etsi viribus diminutum, habitatore abundat, & munitissimum est. Incolæ vt plurimùm piraticam exercent, vicinumque mare infestant. Strab. lib. 7.

Subsequitur dein Sancta Maura, veteribus Leucadia, seu Leucas, Plinio Neritis. Hæc olim Continenti continua, peninsulæ formam referebat: nunc in Insulam redacta, atque opera accolarum à Continenti abscissa, à mari vndequaque alluitur, ligneoque tantùm ponte Continenti iungitur. Meminit eius Ouidius:

Leucada continuam veteres habuere coloni, Lib. 15. Metamorph.
Nunc freta circumeunt.

Posita est autem contra Ambracium sinum, haud procul à promontorio Actiaco, Augusti victoriâ claro, hodie nautis *Caposigo*, ambitu 50. millia passuum continens. In eâ oppidum est, eiusdem cum insulâ nominis, longè munitissimum. Incolæ maiori ex parte Hebręi sunt, Turcę perpauci, qui vt plurimùm latrocinijs assueti, piraticam ducunt vitam, vicinumque peruagantes mare, minoribus nauigijs vel maximè infesti sunt, minusque tutam nauigationem reddunt. E regione, in ipsâ Continentis orâ mons est altissimus, olim Leucathæ promontorium, hodie nautis *Caposigale:* de quo Virgilius:

Mox & Leucathæ nimbosa cacumina montis. Aeneid. 3.

Sinus Ambracius qui in proximo est, hodie Culfus Laërtiacus, seu *Golfo del Arta*, faucibus spatiosum æquor excipit: habetque in longitudine triginta nouem (vt Plinius vult) millia passuum, in latitudine millia quindecim; cuius circuitus authore Strabone, stadia trecenta complectitur. Ab Ambraciâ, Pyrrhi Epiri quondam regis regiâ nomē obtinuit: fuitque olim Cæsaris naualibus percelebris. In eum Arathus fluuius hodie *L'Arta* suas exonerat aquas. Abundat optimis piscibus, pręsertim cephalis: ob *botergas* verò præstantissimas, vulgò cognominatas Laër- Lib. 4. c. 1. Lib. 7.

tiacas, siue *del Arta* (quæ plurimæ ibi exsiccatæ, & alibi siccatis cariores, venum Venetias asportantur) vel maximè celebratur. *Botergæ* quid sint supra explicauimus, vt superfluum sit hîc eadem repetere.

Sinum Laërtiacum siue Ambracium sequitur Achelous amnis, hodie *Aspropotamos* & *Geromlea* è monte Pindo fluens, atque Acarnaniam Epiri prouinciam ab Ætolia dirimens, vltimus ab Ortu Epiri terminus. Hic omnium fluuiorum apud Græcos celeberrimus; quem ab Acheloo Ætoliæ rege nomen sumpsisse putant; de quo mira fabulantur poëtæ: Nam præterquã quòd Oceani & Thetidis, vel, vt alij, Solis & Terræ filium fuisse velint, in varias quoq; formas mutatum tradunt. Cum Hercule pugnam inijsse, ob Oenei Ætolorum regis filiæ matrimonium; sed victum, Amaltheæ postea eiusdem regis filiæ procum extitisse, vini prætterea mistionem inuenisse. Hinc verò apud veteres inoleuit, vt aquæ omnes quæ vini mistionibus essent aptæ, Acheloïæ vocarentur. Huius enim fluminis aquas suauissimas, & saluberrimas antiqui crediderunt.

Peculiares quondam Epirus reges habuit, sub quibus multo tempore floruit, dein à Macedonum regibus subacta, plurimos annos illis paruit. Post Macedonum regnum, cuncta in Romanam ditionem concessere. Demum Romano Imperio labente, Turcarum dominio accessit, cui etiamnum subest; regiturque per Saniaccum, qui in Deluino vico, in mediterraneis posito, ac sesqui diei itinere à Bastiâ domicilij sedem habet. Sed iam satis de Epiro: ad institutum reuertamur iter.

CAPVT IX.

Ithacæ, Cephaleniæ, & Echinadum Ionij maris Insularum descriptio.

DECIMOQVARTO Kalend. Septembris Epiri radentes littus, Preuesam Continentis vrbem, ac Sanctam Mauram, quarum suprà memini, itemque Ithacam, Cephaleniam, & Echinades, Ionij maris Insulas ventis secundis ac fauente Æolo præterlegimus. De Preuesa, & Sancta Maura modò egimus: superest vt de reliquis aliqua referamus.

Plin. l. 4. c. 12 *Strab. lib. 10* ITHACA Homerici Vlyssis quondam dominio illustris, qui & Ithacus ab eâ dictus est, Ionij maris est Insula, è regione Sinus Ambracij sita, iuxta Cephaleniam; à quâ angusto freto interiacente dirimitur, ambitu suo, teste Plinio, 25. millia passuum cõtinens, vel secundum neotericos 50. millia. Eius forma oblonga, sinuosa, & anfractibus plena: ideoque portuosa. Situm habet montosum, & arduũ saxis, cuius Maro meminit:

Æneid. 3 ——*Et Neritos ardua saxis.*

Olim siquidem Neritos etiam à monte eiusdem nominis appellata, nunc Teachia à nautis dicitur, estq; obscura penitus, & exulum sedes;

corum

eorum præſertim, qui à Corcyræ, Zacynthi, & Cephaleniæ magiſtratibus proſcribuntur. Ob continuas quoque prædonum & piratarum direptiones nequaquam tuta, & habitatore infrequēs, paſcuis alioquin vberrima. In eâ oppidum eſt eiuſdem cum Inſulâ nominis, neglectum, & ruinis deforme. Eius frequens apud Homerum fit mentio: nam & Vlyſſem poſt reditum in patriam ſpecie mendici, Penelopes procos ad vnum omnes hîc trucidaſſe ſcribit; eamque apud Orientem & Occidentem ſolem nauigantibus notam, & in primis pueris educandis optimam, ſalubremque; & licet aſperam, neque equis ferendis aptam: frumento tamen, vinoque vtilem, ac capris bubusque paſcendis accommodam teſtatur. Hîc enim (vt idem ait) imber continuus, rosque virens, ſylua omnimoda, irrigationes toto durantes anno adſunt. *Odyſſ. lib. 13*

CEPHALENIA, quondã Melena, vt Plinius vult, quæ & Dulichium, Same, & Taphos appellata, in Ionio mari ſita eſt. Dicta autem Cephalenia, vt quidam volunt, à capitis formâ, quam ab auſtro adnauigantibus eminus repræſentat: alij aotem quòd Ionij maris Inſulis imperauerit, ac caput extiterit, nomen accepiſſe putant. Strabo à Cephalo Amphitryonis, vel Deionei filio nominatam, populosque Cephalenes dictos, eamque tetrapolim fuiſſe, ſcribit. In eâ quippe Same, Ceritus, Dulichium, & Petilia præclaræ quondam vrbes extitere: quæ noſtrâ hac ætate dirutæ penitus, & ruinis plenæ, nil niſi nomen retinuere. Inter vrbium rudera, vbi maxima etiamnum veterum ædificiorum extant veſtigia, ſæpe numiſmata non in ære tantùm, ſed in argento, atque auro effabrè excuſa, Græcis Latinisque nominibus inſcripta, paſſim effodiuntur. Ambitus Inſulæ (vt Strabo notat) trecentorum ſtadiorum eſt; ſecundum neotericos 160 milliariũ: Longitudo autem 80. latitudo 40. milliariaria complectitur. Formam refert ferè triangularem. Ab Ortu Clarentium eſt vulgò *Chiarenza*, veteribus Sicyone, quondã Sicyoniæ vrbs maritima; ab Occaſu mare Siculũ; à Meridie Zacynthũ, ac mare Libycum ſpectat, ab Aquilone Corcyram reſpicit, & Ithacam; diſtatq; à Zacyntho 12. millibus paſſuum, freto vtramq; diuidente; quod vulgus nautarũ Canale Zacynthi ſeu *Canal del Zanthe* nuncupat, quemadmodũ anguſtias maris, quæ ex aduerſo Inſulæ latere ſunt, & eam ab Ithacâ dirimunt, Canale Guiſcardi ſeu *Canal Guiſcardo*. Regio omnis in colles vallesq; vberes diſtincta, ſyluis opaca, & vberrimis paſcuis diues, gregibus atq; armentis abundat: Frumento item, vino optimo, Oleo, Serico, Murice, Mannâ, Melle, Vuis paſſis, Lanâ, & Caſeo copioſa eſt. Ex lanâ ſtragulas vulgò *Sclauinas* in maximâ texunt copiâ, easque ad vſum remigum Venetias venum exportant. Sed (vt nihil eſt ab omni parte beatum) aquis dulcibus indiget, paucisque fontibus irrigatur. *Lib. 4. ca. 12.*

 Cæterùm

Cæterùm in vndeviginti regiones *Pertinentias* vulgò indigitant, quibus varia impoſita ſunt nomina, diuiditur. Harum quælibet plurimos ſub ſe pagos habet, quos *Caſalia* appellant, exiguos & infrequentes omnes. Plurimis verò & tutiſſimis gaudet portubus, Argoſtoli, Guiſcardo, Valle Aſsâ, Sochino, & Atteriâ: quorum omnium maximus eſt Argoſtolis, ad auſtrale poſitus Inſulæ latus, claſſis quantumuis numeroſiſſimæ capax. Vnicam tantum noſtrâ hac tempeſtate vrbem cognominem habet, ab Argoſtoli ſex millibus paſſuum diſſitam, naturâ & opere munitiſſimam: ſupremo namque in montis vertice condita, & propugnaculis firma, ambitu ſuo octingentos circiter paſſus continet, cui ſuburbium cohæret ſatis amplum, & frequens; in quâ Venetus magiſtratus Prouiſor dictus, habitat, atque incolis Reipublicæ Venetæ nomine (cui Inſula tota ſubiecta eſt) in iure dicundo præeſt, & rempublicam adminiſtrat. Huic aſſidet & alter patritius Venetus, qui velut à conſilijs pari poteſtate, atque auctoritate publicâ in ſententijs dicendis ſuffragia cum Prouiſore fert, & iuſtitiam omnibus dicit. Quæſturam etiam exercet, & publicæ pecuniæ Prouiſoris auctoritate (penes quem vti ſupremum magiſtratuum ſumma rerum eſt) adminiſtrationem habet. Vterq; autem magiſtratus biennalis eſt, & præſcriptis legibus iuxta morem Venetorum populo ius dicit. Incolæ vt plurimùm Græci, Itali perpauci. Vtraque gens ſuis moribus, ac ſacris viuit, Latinis Epiſcopus imperat, Græcis Protopapas. Omnes Græco idiomate vtuntur; plurimi licet Italicam quoque calleant linguam; quam in cauſarum diſceptationibus apud magiſtratus Venetos, alijsque publicis negotijs in vſu habent.

Inſula hæc Vlyſſis & Laërtis dominio quondam paruit, quam poſtmodum Marcus Fuluius conſul (vt author eſt Liuius) Romano Imperio ſubiecit; cui ciuitates omnes (vnâ Samo exceptâ) vltro ſeſe dedidere. Hæc tamen poſt quadrimeſtrem obſidionem vi capta, & expugnata, penitus deleta, & diruta, vltimum excidium paſſa eſt. C. Antonius Marci Antonij patruus hic exul à patriâ moram traxit, & in eâ vrbem condidit, ac vniuerſam Inſulam tanquã peculiare prædium ſubiectam habuit. His vltimis ſæculis poſt varios caſus ad Venetos deuoluta eſt: quibus etiamnum paret.

Lib. 3. Dec. 4.

Lib. 8. & 10

ECHINADES Inſulæ tres numero ſunt, deſertæ, ſaxoſæ, exiguæ, ac paruis interſtitijs ſeiunctæ; adeoque marini potiùs ſcopuli dicendi, quàm Inſulæ: vna quidem maior alterâ, infructiferæ tamen omnes: quarum nomina antiquitùs fuere, vt Strabo putat, Thois, Same, & Dulichium, ſeu Dolicha: quod item Virgilius innuere videtur, vbi de his, circumvicinisque Inſulis meminit:

Strab. lib. 10

Iam

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumq́ue, Sameq́ue, & Neritos ardua saxis. Aeneid. lib. 3


Nomen autem Echinadum (vt Strabo putat) à maximâ Echinorum copiâ inter saxa vicina hærentium sortitæ: hodie mutatis nomenclaturis *Culolares* siue *Curzolares* à Græcis Italisque nuncupantur. Sitæ sunt ad ostium sinus Corinthiaci, quem Turcæ *Inebechtinum*, Veneti Culfum Lepanti, *Golfo di Lepanto*, vocant, à Lepanto Ætoliæ vrbe maritimâ; quam veteres Naupactum dixere, ad dextrum eiusdem ostij sitâ latus. è cuius regione Patrassum oppidum est, priscis Patræ, Achaiæ quondam vrbs maritima, Andreæ Apostoli martyrio celebris, à quo item sinus Corinthiacus nomen hodie sumpsit, Patrassi culphus, *Golfo di Patrasso* vulgò appellatus. Distant Echinades à Continenti Septentrionem versus viginti millibus passuum, respiciuntque ab Ortu Lepantum oppidum, à quo absunt triginta quinque milliaribus, ab Occidente Sanctam Mauram, à qua 45. millibus passuum seiunguntur, à Meridie Zacynthum, distantem circiter 80. millibus passuum. Famosissimæ hæ Insulæ & in æternum memorandę, licet infructiferæ, & desertæ omnino, nostrâ hac ætate in omnium ferè ore versantur, ob victoriam à multis seculis inauditam prope easdem à Christianis contra Turcas partam. Percusso quippe fœdere inter Pium Quintum Pontificem Maximum, Philippum Hispaniarum regem, & Senatum Venetum, eiusque fœderis & copiarum declarato Imperatore Ioanne Austriaco, Caroli V. Imperatoris filio, communibus viribus classe ingenti paratâ, potentissimum hostem adorti, vniuersam hostilem classem deleuere, triginta duntaxat exceptis triremibus. quibus Vluzalis Archipirata fugā arripuit. Accidit hæc pugna naualis ipsis Nonis Nouembris anno salutis 1571. qui dies D. Iustinę Virgini ac Martyri sacer, quotannis apud Venetos in tantæ victoriæ memoriam solemnis est. Fuere in eo conflictu præter spolia immensa, quæ in potestatem Christianorum venere, cæsa cum Ali Bassâ, supremo naualium copiarum duce, hostium viginti quinqne millia, capta quatuor millia, liberata Christianorum mancipiorum quatuordecim millia.

Lib. 8.

CAPVT

CAPVT X.

Zacynthi Insula, & sepulchri Ciceronis ibidem reperti descriptio, & breuis elucidatio.



PROXIMA nocte Zacynthum Ionij maris Insulam, à Zacyntho Dardani filio, qui in eâ olim imperium habuit, sic dictum, *Zanthe* hodie Venetis appellatam abrasimus. Distat Occidentem versus à Cephaleniâ duodecim millibus passuum, ab Ortu Strophades Insulas habet, à Meridie Aphricum mare, à cuius continenti 150. millibus passuum distinguitur, a Septentrione Chelonatam maritimum Elidis oppidum, hodie Castrum Tornesium *Castel Tornese* appellatum, in edito situm colle, cui antiquitus Promontoriũ Cheloniticum nomen fuit, spectat: à quo non ampliùs 12. millibus passuum abest. Sunt qui Hierosolymam hanc Insulam quandoque dictam, & à Veronicâ pijssima fœmina ad Christi fidem conuersam narrẽt. Plinius Hyriam aliquãdo appellatam scribit. Circuitus iuxta Plinium 36. millia passuũ colligit, alij 60. millia complecti dicũt. Strabo vltra 160. stadia ambitũ ponit. Quà Orientem spectat, montosa tota, quà Septentrionẽ, atq; in mediterranea amœnis vallibus ornata, fructiferã, cultissimam, fertilissimamq; vbiq; se exhibet. Vallium maxima, latitudine decem, longitudine 15. millia passuum conti-

Plin. l.3. c.19
Lib. 4. c. 12
Lib. 10.

continere dicitur. Aëre gaudet saluberrimo, arboribus cuiúsvis generis, ac fructibus, aureis præsertim, citreis, Punicisque malis vel maximè abundat: fontibus quoque & aquis optimis dulcibusque scatet: vini & olei in primis feracissima, frumenti non item. Vuis adhæc Corinthijs, quas Itali passulas vocant, copiosa: quarum pretium (quod ex illis venditis annuatim conficitur) ad centum & quinquaginta millia ducatorum adscendere fama est. Ea propter complures in hac Insulâ mercatores cùm Veneti tum Angli abhinc annis aliquot sedem fixere, vuas coëmentes, quas saccis inclusas, nauibus venum per vniuersam ferè Europam exportant. Carnibus aut caseo, cum nulla aut perpauca habeat pascua, maximè indiget. vtrumque tamen ex oppido vicinio, in opposito Continentis littore sito, cui Castri Tornesij nomen est, abundè satis aduehitur, vt incolarum necessitati satisfiat; qui hæc aliaque ad vsum & victum quotidianum necessaria, è continenti vili admodum consequuntur pretio. Pagos quadraginta octo frequentes admodum continere dicitur, præstat cæteris ædium & habitatorum frequentiâ Velines, ad occiduum positus Insulæ latus: quem mille domibus constare dicunt. A latere meridionali Salinæ visuntur publicæ, amplissimę, è quibus maxima salis copia summo Reipublicæ emolumento quotannis colligitur. Plurimi hic portus. ab orientali latere, itemque australi sunt Pelosus, Littachius, Pigalachius, & Sculicadas. ab occasu Nattæ portus, omnium capacissimus; licet non omnino tutus, frequentatus tamen ab omnibus ferè nauibus, quæ ex Occidente in Crætam, Cyprum, Græciam, Syriam, & Ægyptum nauigant: quæ item ex Oriente ad proprias sedes remeant. Nullas enim aut perpaucas inuenias, quæ vel in aditu, vel id reditu ex Oriente hunc portum non petant, & eo appellant: idque præcipuè ob commodissimam atque ad vela ventis danda aptissimam stationem, & aquationem vberrimam. Ab Aquilone D. Nicolai portus est, sic dictus à fano vicino, in ipso littore exstructo; commodus vtcunq;, ac satis capax, ventis tamen septentrionalibus obnoxius. Iuxta est suburbium satis amplum & frequens, eiusdem cum Insulâ nominis, hemicycli formam referens. Id portum circundat, ac longitudine suâ à Septentrione in Meridiem duobus circiter millibus passuum protenditur; latitudine verò ab Ortu in Occasum, vbi maxima est, quasi quingentis passibus patet, iungiturque monti proximo; in quo arx seu vrbs primaria condita spectatur. Priuatorum ædes, quas numero ad quatuor millia esse ferunt, exiguæ pleræque & humiles, atque vnius tantùm contignationis sunt, sine fumarijs, vt minori damno (cum frequentes sint ibi terræ motus) labantur: nam si additis fumarijs maiores altioresque extruerentur, terræ motu concussæ, grauiori damno caderent. A meridie riuulus Camurra suburbium præterfluit,

fluit,

fluit,ac mox in mare labitur: cuius aquæ ſalſedine mixtæ non admodũ ſalubres ſunt. Præter hunc, itemque alterum nullos alios Inſula hæc riuos habet. Viſuntur paſſim ad radices proximi collis veterum ædificiorum rudera complura,muſſiui item ſeu teſſellati operis pauimẽta,priſci illius ſeculi monumenta. Ad Septentrionale ſuburbij latus templum extat Diuæ Mariæ Gratioſæ titulo inſignitũ,cui cohæret Minoritarum monaſterium ſatis elegans. Cuius dum fundamenta iacerentur anno ſalutis 1544. ipſis nempe Kal. Decembris, erutum inter rudera fuit ſepulchrum quoddam peruetuſtum, & lapideum, his inſculptum literis:

M. TVLLI CICERO
HAVE
ET TV TERTIA
ANTONIA.


quo aperto, intus repertæ fuere vrnæ ſeu ampullæ vitreæ duæ: maior cineribus,minor aquâ referta erat. Hinc exiſtimatum illam Ciceronis cineres, hanc amicorum lachrymas continere: cui fidem facit fundi maioris altera inſcriptio, in ambitu concaui inſculpta his verbis.

AVE MAR. TVL.


Erant autem vrnulæ formâ & magnitudine ſic ad vnguem expreſſæ, vt in adiunctâ tabellâ videre eſt: quibus faciem addidimus ſepulchri, prout illam Venetias delatam in ædibus Illuſtriſſimi viri Federici Contareni, D. Marci Procuratoris ampliſſimi,ac rei antiquarię ſtudioſiſſimi aſſeruatam vidimus. Vrnulas verò aliò aſportatas intueri haud datum fuit: depictas tamen formâ hac eâdem apud eundem Contarenum conſpeximus.

LACHRIMARVM VRNVLA





MAIORIS VRNÆ CINERVM FVNDVS



M·TYLLI CICERO
HAVE.
ET TV
TΕΡΤΙΑ
ANTΩNIA

Quo-

Quomodo autem eò Ciceronis reliquię delatæ sint, monumentumque hoc ipsum illi sit erectum, vt rem ab ætate nostrâ remotissimam, haud facilè dixerim. Satis tamen constat ex Liuio, Appiano, & Plutarcho, quod cum triumviri Octauianus Cæsar M. Antonio Ciceronem, quem Patrem appellare solebat; Antonius verò Cæsari L. Cæsarem auunculum suum, & M Lepidus L. Paulum fratrem viros consulares nefandâ permutatione necandos concessissent: Cicero vbi hæc verè audiuit, desperatis rebus, præsertim ex suâ, filij, & fratris, ac fratris filij, omnium denique necessariorum & clientum amicorumque proscriptione, vrbe eo consilio abesse voluit, vt in Macedoniam ad Marcum Brutum trajiceret. Primò igitur in Tusculanum fugit: inde transuersis itineribus in Formianum veniens, Caietæ siue Asturiæ nauem ingressus, Circeios vsque nauigauit. Ibi propter ventos aduersos maris tempestate deterritus, cum in terram descendisset, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit. Regressus autem ad superiorem villam, moriar (inquit) in patriâ sæpe seruatâ. Tandem peruicerunt liberti, & serui, qui cum ipso erant, vt iterum nauigaret. Cum igitur ipsum lecticæ impositum ad mare referrent, adfuere satellites, cum Cn. Popilio Lænate legionario milite, qui iussu M. Antonij Ciceronem patrem patriæ, & patronum suum in parricidij iudicio prominenten ex lecticâ depositâ, eius mandato, præbentemq; ceruicem immotam, caput tribus feriens secansque vulneribus, manibus quoque, præsertim dextrâ, quâ Philippicas scripserat, præcisis, crudelissimè obtruncauit ante Christum natum anno XL. ætatis verò suæ LXIII. aut sicuti Aurelius Fuscus apud Senecam testatur, LXIV. Ciceronis deinde caput ac manus Romam delata, aspexit diu summâ lætitiâ exultans Antonius: & Fuluia eius vxor (Dionis historici testimonio) Ciceronis caput manibus pertractans deturpauit, & conspuit. moxq; super genua imponens, ex ipsius ore linguam extraxit, eamque acubus, quibus ad ornatum capitis vtebatur, multis non sine contumelijs totam pupugit, & perforauit. Vbi verò mulier nequissima hac immanitate, & Antonius illo spectaculo per diem oblectatus & satiatus est; iussit per contumeliam caput inter duas manus pro Rostris affigi; & Popilium ducem satellitum coronauit, adornauitque donatum ducentis & quinquaginta Drachmarum Atticarum millibus, hoc est, vt nunc subducunt, viginti quinque millibus aureorum. Reliquum verò corpus quò aut delatum, aut à quibus sepulchro mandatum fuerit, nusquam me legisse memini Quamobrem crediderim, aut verisimile putauerim, libertos & seruos, qui cum Cicerone erant, & quieti iussu domini passi fuerant, quod sors iniqua, & M. Antonij impietas tulisset in eum, accepisse cadauer, & combussisse, & mox conscendentes nauem ad nauigandum paratam, cum cineribus

Lib. 120. Lib 4. Plutarch. in vit. Cicer.

ipſius,& forſitan vxore,& alijs propinquis, & amicis ex timore bellorũ ciuilium Zacynthum Inſulam in ipſo nauigationis curſu appuliſſe,ibiq; ab amicis,qui aderant,cineres illos humi cõditos fuiſſe. Deinde Marcũ Ciceronis filium(quẽ Octauianus,vt ſe àCiceronis traditione,aut nece excuſaret,Pontificem ſtatim declararat,nec multo poſt Conſul factus, ſibi collegam delegerat)in memoriã patris cùm in Italiam rediret (in Græciam enim fugerat poſt patris ſui mortẽ Appiani teſtimonio) monumentũ hoc pro eâ copiâ quæ Zacynthi erat, faciundum curaſſe. Siquidem & in Macedoniâ dignas inferias antiquorum more patri perſoluerat; cum illi M.Brutus ad vindictam patris necandum conceſſiſſet C. Antonium Triumviri fratrem; quem captiuum habebat. Aque hæc obiter. Nunc reliqua quæ de Zacyntho dicenda reſtant,proſequamur.

Diximus vrbem colli inſidere,cuius cacumen (quod arcem cõtinet) mille circiter paſſibus ab vrbe diſtat. Hæc idem cũ Inſulâ nomẽ habet, atq; ambitu ſuo mille propemodum paſſus comprehẽdit: muris autem aggeribusq; & propugnaculis circumuallata,ac milite præſidiario munita,tutũ indigenis præſtat habitaculum,ſubiectisq; vallibus & collibus mariq; omni circumquaque longè lateq; dominatur,& pulcherrimum præbet proſpectũ. In eâ magiſtratus Venetus,titulo Prouiſoris, itemq; Conſiliarij duo patritij & ipſi Veneti,Prouiſoris in iure dicũdo publicâ auctoritate aſſeſſores, ſedem habent. Hi præſcriptis ſibi legibus,vti & cæteri magiſtratus, quorũ ſuprà meminimus, inſulanis iuſtitiam adminiſtrant,& ſingulis biennijs à Senatu Veneto eò ablegãtur,ac prioribus iam reuocatis ſuccedunt. Cæterùm ſuburbij vrbisq; incolæ & ciues in nobiles & plebeios diſtinguuntur;quorum pleriq; agriculturę,vel mercaturæ dant operam;plurimi nauticã exercent:rari mechanicis artibus inſudant:ſuntq; omnes ferè Græci; Itali perpauci. Itali Latinos, Græci Græcos obſeruant ritus. Vtraq; gens peculiarem habet Antiſtitẽ. Græcus in ſuburbio prope Cathedralem Græcorũ Eccleſiam, Latinus in vrbe habitat;in quâ & Latinorum ſummum exſtat templum. Alibi nuſquam ſub Venetorũ Dominio pręterquam hîc, & Venetijs,fas eſt Græcos peculiares ſui ritus habere Epiſcopos. quod eâ præſertim de causâ lege vetitum eſt,vt rebellionis omnis tollatur occaſio. Cum enim iamdudum experientiâ ipsâ Veneti didicerint rebellionẽ omnem vt plurimùm ab Epiſcopis Græcis initium ſumpſiſſe,illorum vbique auctoritatem omnino abrogandã cenſuêre. Eâ verò ratione in hac Inſulâ Græcũ Epiſcopum admiſſum accepimus,vt Græcis ad ſacros ordines promoueri cupientibus ſolatio ſit,néve ad Epiſcopos Turcę ſubiectos cõferre ſe cogantur. Hinc ſiquis Gręcorũ è proximis Inſulis Venetę reipublicę ſubditis ſacris initiari velit , hunc adit, & eo conferente ſacros ordines ſuſcipit. Porrò ciues ipſi,qui cùm in vrbe tũ in ſuburbio morãtur,quotannis

annis inſtar Corcyrenſiū peculiaria comitia celebrāt:in quibus Venetis magiſtratibus præſidentibus,ſtatis temporibus annuos cōmunibus ſuffragijs creant magiſtratus. Hi partim annonæ præſunt,partim ciuilium cauſarum iudices exiſtunt, & de leuioris momenti litigijs ad vſque 50. libras Venetas cognoſcunt: de quorū ſententijs ad Prouiſorem Conſiliarioſq; prouocatio datur. Viuunt autem omnes Venetorum legibus, ſtiloq; Veneto cauſas liteſq; expediunt. Homines ſunt vt plurimùm induſtrij,ac ſolertis ingenij,dicaces tamen, leues & ſubdoli. Etſi verò in pleriſq; Venetos imitentur mores, in eo tamen à Venetis planè diſſentiunt,quod longè aliter quàm illi horas numerent. Ab Ortu ſiquidem Solis principium diei ſtatuunt, horaſq; inchoant: ac primam horā vocant,quæ prima ab Oriente Sole præterijt,atq; ita ad Solis vſque occaſum horarum numerum protrahunt,rurſumq; ab occaſu Solis primam noctis horam incipiunt, numerumq; horarum ad vſque Solis ortum continuant. Ita vt quò longior dies fuerit, plures etiā horæ interdiu numerentur, pauciores noctu, & è contra: cum tamen Veneti ab occaſu Solis initium horarum ſumant, eaſq; ad ſequentis vſq; diei Occidētem Solem,donec 24. horas abſoluerint,numerent. Præter milites præſidiarios,qui in vrbe aſſiduò excubant,adeſt quoq; equitum ſeu velitum cohors, quos vulgus *Stradiotas* appellat. Hi ad littus tutandū contra frequentes piratarū depredationes à Senatu Veneto miſſi,publica ſtipendia merent. Sunt autem bellatores optimi,& ad rapacitatē proni,ſcuto in peltæ formam vtuntur,& incuruato enſe,quem *Scimitarram* vocant, ac haſtâ longiore,bombycinisque veſtiuntur thoracibus. Horum equi velociſſimi,quibus proſperas incurſiones,deprædationeſq;, vbi in hoſtem prodeunt,ſæpe agunt. Ducem ſeu præfectum habent, quem Gubernatorem vocant, cui omnes obtemperāt. His id muneris præcipuè incumbit, vt æſtiuo tēpore interdiu noctuq; per vices littus obequitēt, aſſiduiſq; ferè excubijs atque excurſionibus Inſulā vbiq; tutam reddāt. Quod ſi piratarū biremes triremeſve approximare littori cōſpexerint, ſigno ex edito loco dato,vel igne,vel fumo,prout tēporis ratio poſtulat, vicinoſq;quoſq; cōmilitones,Inſulanoſq; ad arma euocāt,vtq; ad hoſtes pellendos præſto ſint, admonent. Atque ita breuiſſimo momento tota pernoſcit Inſula,quò concurrendum,quidve agendū ſit. Hiberno verò tempore,cum ob continuas maris procellas piratis vix tutū ſit nauigare æquor,adeoq; minus periculi Inſulanis impendeat, ab excubijs vt plurimū ceſſant, & in ſuburbio degunt,cū æſtate contrà per vicos pagoſq; maritimos diſtribuātur. Vlyſſi olim Troiano bello ſubditam fuiſſe Zacynthum,poſtea Achiuis ceſſiſſe, narrant hiſtorici: demū in Romanorum poteſtatem veniſſe, atque à M. Valerio vi captam teſtatur Liuius. Hodie Venetorum imperio paret,& longâ pace floret. Sed iam ſatis de Zacyntho: rurſum iter aggrediamur.

Strab. lib. 10
Lib. 6. Dec. 3.

CA-

CAPVT XI.

Peloponnesi, eiusq; littoralis tractus, cum Insulis adiacentibus, breuis descriptio.



DECIMO-

DECIMOQVARTO Kalend. Septembris ſecundis ventis Peloponneſiacum littus legentes, Strophades ſiue Plotas hodie *Striuales* Inſulas à dextris reliquimus; mox Nauarinum oppidum portu celebre, Prodanum ſcopulum, Methonem Meſſeniæ vrbem maritimam, Sapientiam, Capreiam, Coagulon, & Venetikon ſcopulos, Acrita quoq; promontorium, hodie Galli cuſpidem, & Coronem Meſſeniæ vrbem fælici ſanè curſu poſt terga liquimus. Poſtero die aurâ ſecundâ increbreſcente, ſinum Meſſeniacum, Italis *Brazzo de Maina*, id eſt Mainæ brachium, Tenarium promontorium, vulgò *Capo Mattapan*, & Cytheram Inſulam fæliciter admodum prætenauigauimus. De quibus ſingulis, prout in itinere occurrerunt, aliqua referemus, ſed primùm de Peloponneſo in genere.

EST Peloponneſus, hodie *Morea* dicta, Cherſoneſus, ſeu peninſula nobiliſſima, teſte Plinio, totius Europæ prouinciæ, Iſthmo anguſtiſſimo Helladi annexa, inter duo maria, Ægæum & Ionium, platani folio non abſimilis, anguloſis receſſibus poſita; plurimos habens Sinus, quos efficit multitudo promontoriorũ. Præſtant cæteris Saronicus, ſiue Megaricus, itemque Criſſæus, ſeu Corinthiacus: quorum hic ab Occaſu, ille ab Ortu alluit; atque vix ſex millium paſſuum, vel quadraginta ſtadiorum, vt Strabo vult, anguſtijs inter ſeſe dirimuntur. Olim Appia, Argos, & Pelaſgia dicta, poſteà à Pelope Tantali regis Phrygum filio Peloponneſi nomen accepit, noſtro hoc æuo à Venetis, Italiſque, ac Græcis *Morea* vocitatur, vt & ſupra memoraui. Strabo totius Græciæ arcem eam appellat: nam (vt idem inquit) præter habitantium in eâ gentium nobilitatem atque potentiam, ipſe locorum ſitus principatum deſignat & imperium. Ambitus, authore Plinio 563. millium paſſuum eſt: neoterici ſexcenta millia colligũt. Longitudinem ab Iſthmo Metonem vſque 170. milliarium ſtatuunt, latitudinem pænè parem volunt: quod & Strabo ſentit; qui ab Occaſu in Ortum ſtadia mille & quadringenta ponit. Iſthmum ſiue anguſtias illas, quibus Achaiæ ſeu Helladi Peloponneſus annectitur, authore Plinio perfodere nauigabili alueo tentauere olim Demetrius rex, Cæſar dictator, Caius Caligula, Domitius Nero, infauſto (vt omnium exitu patuit) incepto. Huius Iſthmi medium Corinthus, nobilis olim Achaiæ vrbs, Romanorum poſtmodum colonia, clara quondam opibus, poſt clade notior, occupauit. Hæc à Cicerone totius Græciæ lumen appellata, eò potentiæ propter ſitus oportunitatem excreuit, vt vix Romanæ vrbi concederet, tantumque in faſtum euaſit, vt Populi Romani Legatos iniurioſiùs appellare, & (ſi Straboni credimus) etiam ſordibus perfundere non dubitaret. Quare commoti Patres, cum etiam antea creſcentem indies vrbis potentiam ſuſpectam haberent, bellum illi inferendum cenſuerunt. Eò itaque

H miſſo

missso ingenti exercitu, duce *L. Mummio* obsessa, capta, & tota flammis absumpta, soloque æquata est; & solo post se relicto nomine penitus interijt, ac longo tempore deserta iacuit: donec tandem post magna interualla eam Iulius Cæsar restituit, & missis eò frequentibus colonis generis Libertinorum, Latinam coloniam effecit. In huius vrbis conflagratione, quotquot erant in vrbe statuæ, & aureæ, & argenteæ, & æneæ, in vnum conflatæ æri Corinthiaco nomen dederunt: fecitque opulentissimæ vrbis iniuriâ æris notam pretiosiorem, vt inde optimum semper habitum fuerit. Hodie in ipso Isthmi medio arx est Acrocorinthos nomine, vtrumque mare contuens, monti eiusdem nominis imposita, triginta stadiorum adscensus, vt Strabo refert: ad cuius radicem fons Pirenes apud poëtas celebris, scaturit. Græci Principes, Turcæ potentiam ac vicinitatem veriti, à mari ad mare ducto per angustias muro, Peloponnesum à reliquâ Græciâ secluserunt, murum ipsum appellantes Hexamilon; quem postea Amurathes Turcarum Imperator, Græcis dormitantibus, atque inter se dissidentibus, & pauore perculsis, dirutum, tandem solo æquauit: eundemque licet Veneti posteà anno salutis 1453. authore Aloisio Lauredano classis Imperatore rursum restaurauerint, duplicique fossâ per quadraginta stadia ductâ, egregiè communierint (quod quidem opus quindecim dierum spatio triginta hominum millibus tantæ moli diu noctuque operam dantibus, perfectum fertur) paucos tamen post annos immanis rursum Turca funditus diruit: ac superatis, Thomâ, & Demetrio fratribus Peloponnesi Principibus, expulsisque Venetis, totam Peloponnesum occupauit, atque etiamnum possidet. Regio ferè omnis soli fertilitate nulli terræ secunda est, in colles, planitiesque amplas, ac valles vbique amœnas, fructiferasque distincta; atque amnibus irrigua, paludes & lacus exhibet piscibus abundantes: portubus insuper, sinubus, & promontorijs plurimis nobilitata. In octo verò prouincias (vt author est Ptolomæus) nominis claritate eximias, amplisque rebus publicis insignes, & celebres olim diuisa fuit: è quibus prodiere plurimi fortissimi heröes, Agamemnon, Menelaus, Aiax, Nestor, alijque. Prouincijs hæc quondam indita nomina, Sicyonia, Messenia, Laconia, Corinthia, Arcadia, Achaia, Elis, & Argia: quæ hodie apud Turcas in obliuionem penitus & desuetudinem abiere. Amplissimis adhæc habitata fuit vrbibus: inter quas claruere Corinthus, Megalopolis, hodie Londarium, Argos, Mycene, Lacedæmon, Patræ, Messena, Corone, Metone, Elis, Pisa, & Tiryntha Herculis Iouis ex Alcmena filij patria, vnde Tirynthius dictus est: cuius laudes durosque labores Virgilius elegantissimè descripsit. Vrbes hæ omnes vti & cæteræ, paucis exceptis, dirutæ & solo æquatæ nil præter nomen reliquere. Etsi verò à veteri gloriâ,

Lib. 8.

Lib 3. Geograph. c. 16.

Aeneid. 8.

gloriâ, potentiâ, frequentiaque degenerauerit, ac plurimum diminuta ſit; attamen rerum omnium abundantiâ, ac populi frequentiâ reliquam Græciam etiamnum ſuperat. Amnes in eâ celebres Aſopus, Alpheus, Pamiſus, Eurotas: quorum nomina hodie exoluêre. Mutatis enim nomenclaturis Aſopus Arbon, vel Peneius, vel Iliacus, Alpheus Rofeas, vel Orfeas, Pamiſus Stromius, nec non Pirnatzus, vel Pinatzus, Eurotas, Baſilopotamos, vel vt alij volunt, Iris, Inachus Planiza dicitur. Montes præ cæteris clari olim fuere Taigetus, Cronius, & Pholoë: quorum nomina hodie etiam mutata ſunt. Plurimas habet adiacentes Inſulas, Strophades, Primam, Sphragiam, Thiganuſam, Citheram, Eplam.

Strophades aliàs Plotæ, vel vt alij volunt, Cypariſſiæ, nunc *Striuales* appellatæ, duæ paruæ ſunt Inſulæ in alto mari ſitæ, ac quinquaginta milliũ paſſuum interſtitio ab Continenti ſiue Elide (quæ è regione eſt) diuiſæ. Harum ſitum faciemque infrà (vbi de reditu in Italiam agetur) deſcribemus.

Nauarinum vulgò *Hauarino*, cui Pilus olim nomen fuit, antiquiſſima & clara Meſſeniæ vrbs, ac Meſſeniorum quondam nauale, & Neſtoris ſedes, inſigne Peloponneſi eſt oppidum maritimum, iuxta Coryphaſium promontorium, commodo & capaciſſimo portu ditatum, quem vulgus nautarum Iuncum *Capo Zunchi* appellat: Id Venetis quondam paruit faſcibus, & munitiſſimum fuit: verum poſt captas à Turcis Methonem & Coronem, Peloponneſi vrbes, ab Carolo Contareno arcis cuſtode metu exterrito, Turcis eſt deditum: qui paulo poſt ob turpem ignauiam à Benedicto Peſareo architalaſſo Veneto capitali ſupplicio affectus eſt. *Strab. lib. 8.*

Haud procul inde à Continenti ſecretus, Prodanus iacet ſcopulus, deſertus omnino, & inhabitatus: cui olim Primæ & Prote nomen fuit, ingenti aprorum ſilueſtrium copia celebris.

Ordine deinceps Methone occurrit, antiquiſſima Meſſeniæ littoralis vrbs. Hæc olim Pedaſus appellata (vt Strabo putat) vna ex ſeptem vrbibus fuit, quas Agamemnon ſpopondit Achilli. Hîc Marcus Agrippa Bogum Mauriſiorum regem Antonij partes ſequutum in Actiacâ pugnâ ſupplicio affecit, locumque inter nauigandum intercepit. Hîc Vluzalis archipirata, vltimò contra Turcas bello, dum deletâ à Chriſtianis Turcarum claſſe fugam caperet, cum triginta triremibus ſe ſeruauit. Thucydides Methanam appellat: hodie *Modona* vocatur, eſtque munitiſſima vrbs, portu inſignis, & Saniacci totius Peloponneſi ſedes. Hic inter cæteros Oſmânici Imperij Saniaccos primas tenet, diciturq; vulgò *Morabegi*, quaſi Moreæ dominus, eſtq; ob latum Imperium, ſummamque potentiam, cuius etiam Baſſæ comparandus. *Lib. 8.*

H 2 Largo

Largo autem alitur ſtipendio, ad ſeptingenta millia aſprorum annua: quæ noſtræ monetæ quadraginta nouem millibus florenorum reſpondent. Mille præterea equitum præfecturam agit, quos ad nutum Græciæ *Begliarbei* cogit. Vrbs hæc Venetis quondam paruit: qui eam eiectis inde prædonibus ſuæ ditioni authore Rainero Dandulo claſſis Imperatore adiecêre, præſidioque munitam firmârunt, atque ad Baiazethis Imperium vſque fæliciter tutati ſunt. Is enim cum vrbem claſſe (duce Acmat Baſsâ) trecentarum propè varij generis nauium, terreſtribus item copijs, quibus ipſe præerat, centum & quadraginta armatorum millium terrâ marique obſediſſet, ac fruſtra plurimis oppugnationibus expugnationem tentaſſet, adeoque maximâ ſuorum ſtrage toties repulſam paſſus, obſidij ſolutionem cogitaret; tandem caſu quodam nullo ferè negotio occupauit. Quatuor ſiquidem triremes commeatibus, bellicis inſtrumentis, ac milite onuſtæ, ſubſidio obſeſſis à Venetis miſſæ cum portum adnauigaſſent, milites & oppidani relictis ſtationibus, vt præſidium exciperent, vrbe effuſi, læti ad portum & mare procurrerunt: quod cùm ab hoſtibus animaduerſum eſſet, illi ſe mutuo cohortati mœnia defenſoribus nudata conſcendunt, & irruptione facta, ac cæſis obuijs vrbe potiuntur: quam & in hunc diem occupant.

Lib. 8. E regione Methonæ parua jacet Inſula, Sphagia olim Oenus, & Splatteria, ſiue Sphacteria (vt Strabo ſcribit) hodie Sapientia dicta, duobus millibus paſſuum à Continenti dirempta, deſerta modò & inhabitata: portu tamen ſatis commodo & capaci nobilis.

Haud procul inde tres aliæ ſitæ ſunt Inſulæ, ſeu ſcopuli potius marini, Acritæ promontorium (quod vulgus nautarum Galli cuſpidem *Capo di Gallo* nuncupat) ſpectantes; quarum maior Tiganuſa veteribus fuit, hodie *Capreiam* nautæ vocant; reliquæ *Venetikon & Coagulon* nomine nautis notæ ſunt, omnes quidem deſertæ, & habitatore vacuæ.

Methonem ſequitur Acritus ſeu Acritæ promontorium, & Meſſenij ſinus initium, in quo vrbs Corona jacet, diſtans à Methona duodecim ferè paſſuum millibus, ſi terreſtri itinere petatur, mari verò paulo minus viginti. Nam Acritæ promontorium medio ferè interuallo in mare procurrit, & in læuo promontorij littore ſenſim littora curuantur, & ſinum efficiunt, 80. milliarium circuitus, in quo ſita eſt Corona, adeò porrecta in pelagus, vt magnâ ex parte maris fluctibus alluatur: altera pars cuneata in latam cuſpidem, tranſuerſo muro ſex turribus inſigni, & ferratâ portâ, proximam littori (quam Inſulam vocant) penitus excludit, & ita à mari recedens paulatim attollitur, vt perpetuo ſaxo mœnia impoſita ad trianguli formam oppidum efficiant. Propè eam Pamiſus affluit amnis: eſtque duplici nauium ſtatione percommoda, atq; vrbs

vrbs munitiſſima. Hæc quoque Venetis quondam paruit, qui arce firmiſſimâ altâ in rupe poſitâ vrbem optimè munierant: ſed eandem quam Methona paſſa fortunam, Oſmannico tandem jugo ſe ſubdidit. Poſt expugnatam namque Methonam, Coronæi Methonenſium caſu perterriti, vltrò ſe Turcis dedidere. Etſi verò poſtmodum ab Andreâ Auriâ fuerit per deditionem recepta, tamen à Turcâ rurſum expugnata, & recuperata etiamnum eius paret Imperio.

Poſt Meſſeniacum ſinum (qui ab vrbe proximâ, vulgò Culphus Coronæ, *Golfo di Coron*, appellatur) Mainæ occurrit portus, aliàs Mainæ brachium, ita dictus, quod montibus vndique præcinctus, brachij curuati ſimilitudinem referat. Cui item Qualliarum portus nomen eſt: vnicum nauigantibus in toto illo Peloponneſiaci littoris tractu in tempeſtatibus refugium, tutiſſimamq; nauibus præſtans ſtationẽ. Qualliarum autem nomen ſortitus, ab ingenti & innumerabili coturnicum copiâ, quas Itali à ſono vocis *Quallias* vocant, quæ in vicinis ſcopulis ad ſtuporem intuentium nidificant.

Incolæ continentis Mainotæ vulgò appellati, agreſte & ferox genus hominum, loricâ induti arcum in manibus geſtant, & nullius parent Imperio; ſed rapinis & latrocinijs aſſueti; obſcuram ducunt vitam; Chriſtiani nomine, ſed re ipsâ barbari, & exleges planè. Oppidum edito in colle haud procul à portu conditum (cui Mainæ nomen eſt, ac Leuctrum olim appellatum nonnulli putant) monteſque vicinos incolunt. Fuit id quondam munitiſſimum, & in arcis formam à Turcis exſtructum; poſtea tamen à Venetis Marci Quirini auſpicijs expugnatum: qui trucidato præſidio, & plurimâ prædâ, ac triginta & ampliùs æneis machinis ablatis, ne hoſtis denuo occuparet, ſolo æquarunt: vt hodie præter rudera nihil reliquum ſit.

Mainæ portum ac Leuctri oppidum ſubſequitur Tenarum, ſiue Tenarus, aut Tenarium promontorium, hodie *Caput Mattapanum, Capo Mattapan* Sacrâ Neptuni æde, propinquaque ſpeluncâ (per quam Cerberum ab inferis reductum ab Hercule fabulæ canunt) quondam celebre. Sequitur dein ſinus Laconicus, inter Tenarum & Maleam promontoria medius, quem vulgò *Culphum Colochinæ, Golfo di Colochin* indigitant. *Strab. lib. 8.*

Horſum prominet intra ſtadia 40. Cythêra Inſula, aliàs Scotera, & Porphyruſa, vel ſecundum Plinium Porphyris ſeu Porphyritis à marmorum eius generis frequentiâ. quam (vt Strabo refert) Eurycles Lacedæmoniorum dux ſuâ ætate in peculiaris juris poſſeſſionem vendicauerat. Hodie *Cerigo* Italis Græciſque dicta, ad Venetos pertinet. Circumcirca puſillæ quædam Inſulæ ſeu ſcopuli potius marini partim propiores, partim aliquanto remotiores adjacent. Diſtat autem à Za- *Strab. lib. 8. Lib. 4. ca. 12*

cyntho milliaribus circiter trecentis, ab vltimo verò Peloponnesi ad Ortum angulo (priscis Maleæ promontorio) quinque, à Creta quinquaginta; poniturq; vltima ex Cycladibus Insula. Sunt autem Cyclades maris Ægæi Insulæ numero 74. sic dictæ, quod cycli in morem rotundæ dispositæ sint: vulgò *Isole del Arcipelago* dictæ, in quarũ medio Delos est, prima ad Ortum Rhodus, ad Austrũ Carpathus, ad Septentrionem Tenedus, ad Occidentem Cythera. Porrò Maleæ promontorium vulgò *Capo Malio* summo cacumine æstate & hieme niuibus opertum, nomen sumpsit à Maleâ Argiuorum rege: qui tubam æneam primus inuenisse, & in ipso monte sumptuosissimum Apollini templum construxisse (quod Maleoticum dixit) traditur. In huius templi ruinis sacellum postmodum in honorem Michaëlis Archangeli Christiani ædificârunt, quod etiamnũ exstat. Est autem juxta Maleæ promontorium difficillima nauigatio; adeò vt nullum esse credatur mare, quod maiores efferat aut periculosiores motus, neque quod magis ab alto immurmurando intonet. Hinc verò fit interdum, vt ex Oriente nauigantes promontorium illud (quod per 50. milliaria in mare procurrit) trimestri aut quatrimestri spatio vix euadant: adeò enim hic sæua vnda est, vt persequi videatur nauigantes: Virgilio dicente:

——————— *Maleæq; sequacibus vndis.*

quod & Statius annuit:

——— *Et raucæ*(inquiens)*circumsonat ira Maleæ*

Sed & venti hic adeò varij, instabilesque, vt sæpenumerò vno eodemq; tempore plures, sibique contrarios, atque inter se luctantes esse credas. Hinc mare omne vicinum turbatissimum redditur, frequentiaque naufragia causantur: vnde natum prouerbium: Cum Maleam deflexeris, domesticos obliuiscere.

Haud procul à Maleæ promontorio, in ipso Argolici sinus initio, vrbs iacet olim Epidaurum Limera dicta, in differentiam alterius Peloponnesi vrbis Epidauri Æsculapij nomine, in sinu Saronico sitæ. Hæc hodie præter nomen retinuit nihil; illa etiamnum superest, & à nautarum vulgo Neapolis Maluasiæ *Neapoli di Maluasia* dicitur, à nobili illo maluatico vino, quo eius agri abundant. E regione in eodem sinu ad littus Argiuum & alia spectatur vrbs, Neapolis Romaniæ, *Neapoli di Romania* vulgo dicta, quam Naupliam veteres dixere, Argiuorum nauale. Vtraq; vrbs Venetis quondam paruit fascibus, nunc ad Turcas deuoluta, barbarorum iugum experitur.

Ambitus Cytheræ quinquaginta aut sexaginta millia passuum complectitur, ancipiti autem & valde metuendo pelago, propter angustias ac Maleæ vicinitatem obnoxia est: reliqua etiam maris latitudo tota

scopulis

ſcopulis & cautibus plena ſpectatur. Regio ferè omnis montoſa; vini tamen & olei feraciſſima. In eâ Venerem conchâ marinâ vectam fabulantur poëtæ; alij natam, & primo cultam, vnde eam (etſi accentus & proſodia repugnet) Cythream dictam putāt; licet alij eandem potiùs à Cythero Phœnicis filio, vel à Cythera Cypri vrbe, verâ Veneris (vt volunt) patriâ, vel ob celebratum in eâ Veneris templum nomen ſumpſiſſe exiſtiment. Superſunt etiamnum in monte præalto, à portu occiduū verſus circiter duodecim millia paſſuum diſſito, plurimæ ædificiorum ruinæ, ac rudera peringentia, veteris Cytheræ (vt putant) reliquiæ: quam idcirco vulgò *Paiopolim*, vel Palæopolim meliùs, id eſt vrbem veterem hodie vocant. Iuxta eandem ſunt templi vetuſtiſſimi ampliſſima veſtigia, quod Veneri olim dicatum autumant. Arcem habet Inſula munitiſſimam, in ſaxosâ rupe altâ, & vndique præcipiti, vallibus ex omni parte cinctam, loci naturâ, & firmitate inacceſſam, & inexpugnabilem; cui vulgò *Capſali* nomen eſt. In hac magiſtratus Venetus, quem Prouiſorem nominant, Reipublicæ nomine (cui Inſula tota ſubiecta eſt) domicilium habet, & in iure dicundo, ac juſtitiâ adminiſtrandâ indigenis præeſt. Subiacet arci ſuburbium ſatis amplum & frequens, Meridiem ſpectans: aliunde verò arx niſi hàc adiri non poteſt, viâ equidem difficili, arduâ, atque anguſtiſſimâ, in ipſa nigri coloris rupe incisâ; nec faciliori ſemitâ ex inferioribus ad ipſum ſuburbium itur. Portu gaudet vtcunque capaci, commodo inprimis, & tuto.

Is à latere ſitus aquilonari, vulgò Tinæ portus, vel à fano proximo Diui Nicolai dicitur, & ab onerarijs nauibus in Orientem nauigantibus frequentatur. Habet & alium à Meridie portum, quem vulgus nautarum *Delphinum* vocat, nauium ſtationi non incommodum. Haud procul inde extitiſſe olim ferunt templum vetuſtum Helenæ Troiani belli authoris raptu celebre. Incolæ præter præſidiarios milites, qui in arce morantur, pœnè omnes Græci ſunt. Vtraque gens Archiepiſcopo Cretenſi Romani ritus in ſpiritualibus paret. Græcis tamen ſuo more ſacra peragere, ſuiq; ritus habere ſacerdotes liberum eſt.

Circa Meridiem XV. Kalend. Septembris haud procul à Cicerigo Inſulâ, Nautis *Cerigotâ*, veteribus Ægila, vel Ægialia, vel Epla, à Cytherâ 25. millibus paſſuum diſtante, totidemque à Cretæ Occidentali promontorio, priſcis Cyamo, hodie Spatæ cuſpide, vulgò *Capo ſpada* nauigantibus occurrit Aphricus ventus, nobis omnino contrarius: cui multùm fruſtrà obluctantes, & nunc tranſuersè, nunc obliquè contra ventum nauem dirigentes, fatigati tandem, cum obniti contra non poſſemus, proram vertere coacti, ventoque rapti, in

Laco-

Laconicum vſque ſinum delati ſumus: rurſumque poſt horam atque alteram ad aquilonem vergente vento, nimbus impetuoſiſſimus cum pluuiâ denſâ ac tenebroſâ ſecutus eſt: ac ruere cœpit æthere toto turbidus imber aquâ: mox rurſum mutati venti, tranſuerſa fremunt, & veſpere ab atro conſurgunt (vt ait poëta) atque in nubem cogitur aër. Validis idcirco jactamur vndis: fit clamor ingens, & trepidatio nautarum, verentium ne ventorum rabies in vicinas ſyrtes (quæ plurimæ in eo mari ſunt) nos cum præſenti periculo abriperet. Quare vela celerrimè demittere viſum eſt. Verùm haud multò poſt, diuinâ opitulante gratiâ, turbo euanuit, & mox, labentibus aliquantulum ventis, velorum iterum pandimus alas, curſumque Cretam verſus dirigimus; quam mox procul ſublimem conſpeximus. Sub Solis occaſum placidè Zephyro exorto, eoque prægnantia faciente vela, fæliciter admodùm progredimur, Cretæque littus eâ nocte legentes, primo diluculo Caneam antiquis Cydoniam, Melecham verticem, priſcis Drepanum promontorium, & Rethymum ſeu Rytimnam Cretæ vrbes maritimas, nec non Sudæ portum (qui veteribus Amphimalæus ſinus fuit) hodie totius Inſulæ celeberrimum, atque omnium capaciſſimum, & tutiſſimum nauium receptaculum, ſuperauimus. Quartâ denique ſequentis diei horâ Fraſchiæ portum, juxta Dium promontorium *Capo di fraſchia* adnauigantes, complicatis velis, anchoras iecimus. Diſtat is à Candidâ vrbe totius Inſulæ metropoli, & regiâ, duodecim circiter millia paſſuum. Licet autem non omnino tutus ſit, ventis quippe aquilonaribus expoſitus, maximæ tamen onerariæ naues, quæ Candidam petunt, ſtationem ibi habere, atque anchoras jacere ſolent, quod Candidæ portus arcto atque anguſto claudatur ore, parumque profunditatis habeat, nec præter triremes, ac minores naues, quingẽtarum cuparum ad ſummum capaces, aliàs recipiat.

CAPVT XII.

In Cretam è naui deſcenſus; ibidemq́ mora: ac Candidæ vrbis, eiuſq́ magiſtratuum deſcriptio.

NAVI egredi ad ſerum vſque veſperum non licuit: nec enim niſi veniâ à magiſtratibus Candidæ obtentâ in terram deſcendere vlli fas eſt. Tabellio igitur ad petendam veniam Candidam ſcaphâ vt ſe conferat à Nauarcho jubetur; quo ſub Solis occaſum reuerſo, ac veniam impetraſſe ſe referente, plurimi naui exiere: pars Candidam rectà ſe contulit, pars ad vicinum perrexit pagum, cui nomen *Gerozodea* eſt Diſtat is à portu duo circiter millia paſſuum, in proximi montis coſtâ poſitus:

positus: In ipso verò adscensus initio ad læuam occurrit littori imposita quadratæ formæ arx (quam *Palæocastrum* vulgò indigitant) non ampla, attamen fortissima; quippe quæ in ipsa rupe excisa, fossisque profundissimis,latissimisque circundata, & propugnaculis firmissimis, ac milite præsidiario munitissima est: vel eo magis cōmendanda, quod portum vicinum ab omni hostili impetu defendat, & piraticas hostilesque triremes facillimè ab ingressu arceat; adeoque & nauibus & triremibus in portu hærentibus securam stationem præbeat. Mons inde paulatim attollitur, & amœnissimæ circumcirca spectantur oræ, Oleis, Lauris, Cyparissis, Myrtisque percultæ. Vbi ad montis medium peruentum est,pagus occurrit satis frequens, situs amœnitate, venustate, pulchritudine,omni denique delitiarum genere adeò nitens, vt nullus spectātium oculus harum adspectu satiari satis queat: ego sanè delectabilius quicquam aut amœnius me nunquam vidisse memini. Cœli hic mira temperies,atque aër saluberrimus. Hic fontes perennes inspicias plurimos, crystalli instar lympidos. Hic hortos & viridaria spectes pulcherrima: in quibus armeniaca mala copiosissimè crescunt, adhæc aurantia, citrina perpetuâ fronde virent; vt toto ferè anni tempore perpetuo Vere fruantur accolæ, cùm non solum odoratissimis floribus, sed & fructibus pretiosissimæ hæ arbores onustæ omni ferè tempore conspiciantur. Sunt autem eo ordine seiunctæ, & positæ, vt instar densi nemoris æstiuo tempore contra ardentissimos Solis ardores gratissimam felicissimamque ibi degentibus vmbram præbeant. Nobilissimas has hesperidum plantas alternis ferè diebus olitores aquâ è vicinis fontibus irrigant, eâ industriâ, vt minori quam dimidiæ horæ spatio (licet ambitus sit spaciosus) omnes humectentur. Canaliculos siquidem in ipso solo, quod nonnihil decliue est, ordine certo deductos habent, per quos fontanæ aquæ continuo fluxu ad singulas arbores defluunt: quamlibet verò arborem fossa rotunda, canaliculis cæteris aliquanto profundior, ambit: hæc aquam plantæ irrigationi necessariam recipit, ac detinet: mox impleta, per canaliculum continuum superfluam aquam ad proximam quamque arborem dimittit; atque ita nullo ferè negotio, & exiguo temporis momento omnes circumvicinæ arbores irrigantur. Accedit ad loci venustatem & vbertatem soli viniferarum vitium diuersi generis ingens copia; quarum aliquæ racemos adeò grandes atque vberes producunt, vt etiam decem librarum pondus excedant. Quin & citrea mala hic adeò ingentia proueniunt, vt nullibi terrarum viderim maiora: quorum plurima humanum caput, quantúmvis maximum,magnitudine superant. Hic secus itinera sepes myrteæ, ac laureæ, Cyparissi etiā ingentes ac vastæ in viâ ipsâ,quæ ad rurale palatium

ducit, plurimæ visuntur; quæ pulcherrimo ordine vtrimque dispositæ, maximam intuentibus oblectationem adferunt. Cæterùm tota illa littoris ora adeò culta apparet, vt non solum prætereuntium oculos rapiat, atque delectet; sed vera nympharum sedes (vt est in fabulis) esse videatur. Deniq; tota via iucunda planè est, & placida: ab dextrâ in mare prospectus, ab læuâ fructus, flores, & arbores; quæ hinc inde deductis & murmurantibus irrigantibusque riuis suauissimum odorem exhalant.

Dum verò nauis abitum, quæ ad varia lignorum genera, bellicosque apparatus exonerandos publico nomine detinebatur, expectamus, & in Cretâ Insula subsistere cogimur, oportunam nacti occasionem inuisendæ vrbis Candidæ, vnà cum alijs, qui mecum in Gerozodea hæserant, ac nondum vrbem inuiserant, eo perreximus, diesque aliquot vrbem perlustrando transegimus. Quæ verò intereà & aliàs de vrbis situ, conditione, ac statu cognouerimus, paucis annotare visum est.

Candida, vel vt alij volunt, Candia, seu Candax olim Matium, hodie toti Insulæ nomen dat: estque vrbs frequentissima, ac longè omnium quæ in Insula sunt, & maxima, & munitissima, totius Insulæ metropolis, ac sedes regia. Iacet autem ad Septentrionale Insulæ littus, in planitie peramplâ, & cultissimâ, tria circiter milliaria ambitu suo complectens, figuramque referens sphericam, ab Occidente & Meridie validissimis cingitur propugnaculis, fossisque profundissimis, rupi incisis: ab Ortu & Septentrione mare alluit. Cuius extremum aquilonarem angulum arx occupat munitissima, portum despectans, ac detegens; quam mare vndequaque alluit; omni annonâ, bellicoque apparatu instructa. In eâ videre est varia inusitatę magnitudinis tormenta bellica, multiplici fenestrarum ordine ad libellam aquæ ita constituta, vt vel exiguis & humilioribus nauigijs ad vrbem accessum, seu in portum ingressum, exitúmve facillimè prohibeant. Hæc autem arx saxeâ pilâ (molem seu *Molo* vulgò appellant) latâ circiter pedes viginti, vrbi iungitur. Vastum id opus è prægrandibus saxis in mari constructum, portum longitudine æquat, atque ad tuendas à fluctibus naues intra portum securam & percommodam stationem præbet; muroque præalto, quâ parte mare spectat, munitur. Huic ab Ortu portus adiacet, tutissimus equidem, sed angustus, & vigintiquinque tantum triremium capax. Contiguum hæret nauale satis amplum, & fabricandis triremibus accommodum, duodecim concameratis constans ædificijs: quæ singula, dum adessemus, triremem omnibus numeris absolutam continebant. E regione arcis Septentrionem versus ad mille circiter passus scopulus iacet, mari circundatus, olim Dio, nunc Standia, vel Scandia dictus,

ctus,desertus omnino, atque ob piratarum prædonumque incursiones creberrimas,raris habitatoribus cultus. Vrbis portæ quatuor numerantur. Quæ Orientem spectat à fano proximo Diui Georgij nomen habet: quæ Meridiem,Pandocratera, aliàs *Panigrà:* quæ Occidentem, ab angustiâ *Portella* nuncupatur:quæ verò à Septentrione ad arcem ducit, à Pilâ vicinâ,vulgò Porta molis, *Porta del molo* dicitur. Ædes pleræque humiles & angustæ,paucis magistratuum, patritiorum, ac nobiliũ, exceptis; quæ ex duabus, aut tribus ad summũ contignationibus cõstant; cum cæterę ferè omnes ad vnam tantũmodò cõtignationem assurgãt: lapideæ tamen omnes, non tectis, Occidentaliũ more, sed subdialibus pauimentis opertæ: in quibus noctu præsertim sub dio dormiunt. Sunt autem eiusmodi pauimenta pedali crassitudine, ex contusâ testâ fistucatâ composita. Vias habet plerasque latas, & rectas; forum item amplum & spaciosum , cuius medium ferè occupat excelsi operis arcus. Iuxta sunt Diui Marci templum elegans,& magistratuum ædes magnificæ. Frequens eo in foro quotidie conuentus est,& deambulatio : certis namque statisque horis varios hic cùm nobilium , tùm ciuium , ac mercatorum,militum item,atque aduenarum cætus conspicias. Varijs adhæc Latinorum delubris vrbs ipsa exornata est : nam præter Græcorum plurima,sed angusta, & sordida, atque ex tabulis nonnulla ruditer compacta,octo perampla Latinorum visuntur fana. Præstat cæteris & magnitudine, & structuræ elegantiâ Diui Francisci basilica , cui adiunctum est Minoritarum monasterium peramplum , vtrumque Alexandri Quinti Pontificis Maximi,Cretâ oriundi,opus. Secundum locum obtinet Augustinianorum Deo Saluatori dicatum, peramplum & id quidem, atque egregij operis ædificium. Accedunt proximè Diuorum Marci, Pauli,Georgij,Mariæ, & Catharinæ insignia sanè & ornatissima templa. Diuæ autem Virginis fano(cui Burgundionum hospitale redditibus opimum contiguum hæret) patricij ordinis Venetus Abbatis titulo præest : diciturque vulgò Burgundionum Abbas: Cuius tituli occasionem dedere pijssimi quondam Burgundiæ Duces , qui & templum & Xenodochium in vsum ex Occidente ad Dominicum Sepulchrum Peregrinantium,etsi nunc abolitum, erexerũt, ac suo ære dotarũt. Sacræ Catharinæ Virginis ædes sub sacrarum Virginum nobilium curâ sunt : quæ ex patriciorum familijs Venetijs oriundis censeri solitæ, monasterium contiguum incolunt: ibiq; res sacra Romano ritu administratur ; ac ipsæ Virgines Romano ritu religiosam vitam ducũt. Publicis prætereà votis ob liberatam à pestiferâ contagione vrbem, superioribus annis à fundamentis ædificatum est & aliud Templum formâ octogonâ,necdum cùm ibi hæreremus, absolutũ, beato Rocho dicatum, non spernendi operis ædificium . Neque prætereunda est

I 2 pulcher-

pulcherrimi & vetusti operis basilica Diuo Tito sacra: juxta quam accubat insigne & vetustum Archiepiscopale palatium, Metropolitæ Cretensis habitaculum. In hac corpus Diui Titi, Pauli discipuli (qui primus in vrbe Cortynâ, Cretæ quondam regiâ, ab eodem constitutus Episcopus, Cretensem Ecclesiam rexit) sub arâ maximâ conditum, honorificè asseruatur; estque in summâ apud omnes, & Latinos & Græcos, veneratione. Archiepiscopalis hæc sedes hodie penes Latinos est, ritusque sequitur Romanæ Ecclesiæ, à cuius Antistite Metropolita ipse inauguratur, & pallium accipit Archiepiscopale. Eius auctoritas latissimè patet: nam in Latinos pariter ac Græcos, Cretenses & Cytheræos ecclesiasticam jurisdictionem exercet; sibique subiectos habet diœcesanos Episcopos nouem, Cydoniensem, Rethymnensem, Sitiensem, Hierapetrensem, Chissamensem, Agiensem, Chironissensem, Arcadiensem, & Milapotimensem.

Tres primi in suis vrbibus resident; cæteri (rurales cùm sint) in vrbe morantur Candidâ, neque vllam animarum curam habent. Solis autem Venetæ vrbis patricijs, ac nobili genere oriundis hæc dignitas Archiepiscopalis patet, non item alijs: nullus siquidem nisi nobilitate præfulgens à Senatu Veneto (cui ius eligendi à Pontifice Maximo concessum est) ad Metropolitanæ Ecclesiæ regimen admittitur. Ad clauum Archiepiscopatus, cùm illic moram traheremus, sedebat Ioannes Contarenus, patricius Venetus, vir summæ eruditionis atque auctoritatis; qui varijs anteà Reipublicæ nomine apud exteros Principes perfunctus legationibus, multis in Rempublicam meritis ad hanc dignitatem euectus, Laurentio Vetturio patritio & ipsi Veneto non ita pridem successerat. Præ cæteris verò Orientis Episcopatibus Metropolitana hæc sedes Apostolicæ sedis gratiâ plurimis gaudet priuilegijs, & honoribus. Inter alia coccineo tegmine, rubrisque instar Cardinalis vtitur vestibus. Dum verò sacra solemniter celebrat, duos, trésve, aut quatuor à latere assistentes habet Episcopos, qui in vrbe domicilium habere coguntur. Regia hæc vrbs, Venetorum iamdudum colonia, ex ablegatis quondam à Veneto Senatu in hanc Insulam nobilium Venetorum, atque etiam popularium aliquot familijs, mirum in modum indies creuit. Senatus enim Venetus deprehensa Græcorum inconstantiâ, & perfidiâ, in quibus domandis centum, & amplius anni maximis Reipublicæ laboribus, periculis, & sumptibus impensi sunt, vt Insulæ statum firmiorem redderet, deduci coloniam in Cretâ salubri admodum consilio censuit: missisque idcircò ex nobilibus & popularibus equitibus, peditibusque, agros inter eos & casalia (sic Græci ex Latino, Italicóve formato vocabulo appellant) seu pagos jure feudi diuidi jussit.

Ratio

Ratio autem diuidendorum agrorum hæc fuit. Publici diuisores patritij ordinis à Senatu Veneto communibus suffragijs electi, posteaquam 394. cauallerias seu baronias (vulgaribus vtar vocibus, cum aliter commodiùs exprimi nequeant) instituissent, Insulamque in quatuor territoria distinxissent, certam singulis assignarunt portionem. Candidæ namque & Sitiæ territorijs cauallerias 234. Cydoniæ 96. Rethymni verò 64. attribuerunt. Cauallerijs autem in Seruenterias subdiuisis, cuique sex adscripsere. Seruenterias item in carattos seu gesimas 32. partiti sunt. Hoc singulis iniuncto onere, vt qui integram Caualleriam seu Baroniam possideret, binos equos, vnum primi, alterum secundi ordinis: qui quatuor Seruenterias, equum Cataphractum primi ordinis tantum; qui duas Seruenterias, secundi ordinis equum; qui verò vnam, vulgarem seu tertij ordinis equum suis quisque sumptibus in vsum publicum alerent; ad nutum insuper Præfecti generalis, vbi occasio id posceret, præsto essent, Præfectum sequerentur, ac littus tutarentur. Hinc factum est, vt vrbis incolæ, ex Italis Græcisque conflati, in maximum excreuerint numerum: qui quidem vt religione ac moribus discreti sunt, ita etiam conditione inter se differunt.

In ciues enim, nobilesque cùm Venetos, tum Cretenses, & in plebeios distinguuntur. Itali ac nobiles omnes Italicâ vtuntur linguâ, quæ Græcis *Frangica* vel *Franca* dicitur, & Romanæ Ecclesiæ obseruant ritus; Græci Gręcum idioma, sed impurum & corruptum in vsu habent, & suo more ac ritibus viuunt. Vtraque tamen gens vtramque etiam callet linguam, præsertim honestiores. Qui verò ex patritiorum ordine eò commigrârunt, iura ciuitatis Venetæ haudquaquam amisere; sed ijsdem gaudent immunitatibus, & priuilegijs, quibus & cæteri patritij vrbis Venetæ. Liberum namque habent, cùm Venetias veniunt, ad publica comitia accessum; magistratus etiam obire, si sors fauerit, conceditur; modò priùs publicis Instrumentis cęterisq; ad id requisitis se nobili familiâ ortos docuerint, & Tribunorum plebis (Aduocatores Communis vocant Veneti) decreto admissi fuerint. Eadem quoq; priuilegia manent & cæteris patritijs Venetis, in reliquis Cretæ vrbibus commorantibus, cùm & ipsi eiusdem iuris & conditionis cum prioribus habeantur.

Imperium in omnes, cuiuscunque fuerint ordinis, magistratus habent Veneti, singulis biennijs eò à Senatu Veneto, siue publicis comitijs missi. Hi per vices sibi succedunt, & Senatus auctoritate, ac præscriptis Venetorum legibus populo ius dicunt. Dignitate cæteros præcellit, qui Ducali potestate, & titulo rempublicam administrat. Huic proximus est Præfęctus magnus, vulgò *Magnus Capitaneus*;

quibus publica auctoritate & paribus suffragijs in iure dicundo assidēt duo à consilijs; qui tertium ordine magistratum gerunt. Hos sequuntur duo Quæstores, & ipsi patricij Veneti; quibus publicæ pecuniæ administratio & cura commissa est: quam quidem exigunt, erogant, ac distribuunt, pro supremorum magistratuum arbitrio; neq; enim aliter quàm eorum in scriptis mandato expendere quicquam vlli liberum est. Arci prætereà præest quintus in ordine magistratus, *Castellanus* vulgò appellatus, & ipse patricius Venetus; cui custodia arcis demandata est; quâ toto sui magistratus tempore exire nequit, pœnâ capitis, si contrafaciat, mulctandus. Præter hosce patricij ordinis magistratus, publicâ Senatus Veneti auctoritate vrbis Cancellariæ præsidet ex ordine ciuium Venetorum *Magnus Cancellarius*, sic dictus ad instar illius Veneti: qui cæteris omnibus publicis scribis præest, ac magnum ex suo munere consequitur emolumentū. Magistratus hic ad quinquennium prorogatur: cæteri omnes (vt diximus) biennales sunt. Reliqua verò vrbis munia, & publicâ officia, quæ varia sunt, natalibus nobiles & Veneti & Cretenses obeunt: eaque habitis Comitijs Senatus auctoritate confirmatis, quibus publici magistratus Veneti præsident, cōmunibus suffragijs quotannis conferuntur. Porrò ciues, vt cæteri vrbis incolæ, & qui in vrbis territorio commorantur, forum Ducis agnoscunt; eoque iudice suas agitant causas, ac lites, cùm ciuiles tùm criminales. Vrbis territorium præter 456. minora Casalia, octo oppida, seu castella muris cincta continet: quorum hæc sunt nomina: Maluicinum, Temenum, Castrum-nouum, Priotissa, Bonifacij castrum, Beluederium, Priada, & Mirabellum. Horum omnium incolas sub Imperio dux habet, ijsque iura dat. In milites verò præsidiarios, feudatarios, itemque cæteros stipendia publica merentes, siue in vrbe, siue in vrbis territorio commorantes, Præfectus Magnus iurisdictionem exercet; atque etiam in caussis siue controuersijs æris publici, vectigalium, decimarū, exactionumq; publicarum iudicem agit, & iustitiæ trutinam moderatur. Omnium tamen cessat magistratuum auctoritas & iurisdictio, si Prouisor Generalis (penes quem summa rerum est) in Insulâ adsit. Is namque magistratus extra ordinem à Senatu Reipublicæ necessitate exigente ablegari & in Insulam mitti solitus, supremæ apud omnes auctoritatis est, instar regiæ. Eò præsente reliquorum magistratuum (modo id jubeat) silent jura: solus quippe rempublicam moderatur, solus jus dicit, publicoque ærario præest; solus in cuiusvis generis reos animaduertit; nullaque ab eò fit appellatio: quinimo de aliorū magistratuum sententijs, si prouocetur, cognoscit solus, easq; pro suo arbitratu vel ratas habet, vel irritas. Quocunque verò se confert, quasvecunque arces vrbésve accedit, claues illi statim tanquam Dictatori, à loci magistratu offeruntur.

tur. Summo adhæc splendore, ac fastu regio in publicum prodit. Satellites prælongis bipennibus ad 24. bini præcedunt; sequũtur hos simili ordine iustitiæ ministri, lictores, ac reliqui curiales, dein domestici: mox peditum cohortium præfecti omnes; quos ipse demum purpureâ indutus veste ad talos defluente, coccineoque capitis tegumẽto medius inter purpuratos patres, primariosque vrbis magistratus subsequitur, peringenti nobilium, ciuium, militumque stipatus cateruâ. Præsidiarij vrbis milites ad duo millia esse perhibentur; in plurimas autem diuisi cohortes sub suis præfectis ducibusque militant, ac publica stipendia merent, atque interdiu noctuque ad portas, mœniaque vrbis & arcis alternatim excubias agunt; eo seruato ordine, vt qui per dies aliquot ad voluntatem supremi Præfecti incertos, ad arcis custodiam admissi fuerint, alijs subrogatis, ad Vrbis portas excubent. His post dies aliquot ad Arcis custodiam redeuntibus, alij succedunt: atq; ita singulis militum cohortibus vicissim Arcis defendendæ cura committitur; ne ob longiorem moram proditionem aliquã moliantur, aut tentandi quicquam in vrbis aut Arcis perniciem habeant occasionem. Præter hos cohortium præfectos primarium ducem habent, quem vulgò Militię Gubernatorem appellant, cui omnes subsunt, ac morem gerunt. Is non ex ordine patriciorum Venetæ vrbis, sed è classe illustrium virorum, qui vel exteræ nationis, vel Reipublicæ subditi, bellicâ virtute insignes, sedulam in rebus bellicis, ac fidelem Reipublicæ longo tempore nauârunt operam, Senatus suffragijs censeri solet. cui id incumbit oneris, vt de excubijs agendis, de recensione militum habendâ, de pace inter eos componendâ, sedandisque litibus, deque cæteris quæ ad arma spectãt, pertractandis negotijs, curam habeat. Hic tamen supremam Prouisoris Generalis auctoritatem etiam agnoscit, vt & cæteri aliarum ciuitatum arciumque Præfecti: quo absente sub Magni Candidæ Præfecti Imperio est.

Pręter Candidam tres sunt in Insulâ Vrbes, quibus pręsidium imponitur, Cydonia, Rethymnus, & Sitia: Arces septẽ: Suda, Palęo-castrum, Spinalonga, Grabussę, Turlurù, Selinum, & Theodoro-castrum. Singulis (duabus postremis exceptis) pręest Senatus auctoritate patricius Venetus, quem Prouisorem nominant, qui vnà cum Militum Pręfecto Arcis (cui pręest) curam & custodiam habet: solus tamen in suæ Arcis milites animaduertit, solusque ius illis dicit. His de Candidâ dictis, de cęteris Cretæ vrbibus, deque situ Insulæ, atque eius conditione, & vbertate, ac Insulanorum moribus, quæ nobis innotuêre, explicabimus.

CAPVT XIII.

Cretæ Insulæq; vlterior descriptio, & Cretensium mores.



CENTVM

CENTVM vrbium famâ olim claram fuiſſe Cretam, atque inde Hecatonpolin dictam priſci ſcriptores tradunt; vt & Virgilius meminit.

Creta Iouis magni, medio jacet Inſula ponto, Lib. 3 Aeneid.
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula noſtræ,
Centum Vrbes habitant magnas, vberrima regna.

itemque Ouidius: ——— *Creta te, centumq; relictis* Lib. 13 Metamorph.
Vrbibus.

Inſigniores fuere (vt Strabo teſtatur) Cortyna, Cydon, & Gnoſſus Minois regia, & Strabonis patria. Plinius ſexaginta tantùm ſuâ ætate extitiſſe memorat. Ex tot vrbibus quatuor ſolæ alicuius nominis, prçter Caſtella muris cincta quindecim noſtrâ hac tempeſtate ſuperſunt: Candida nempe, Cydonia, Rethymnus, Sitia. Cæterç omnes vel iniuriâ temporis collapſæ, vel bellorum tumultibus dirutæ, & in cinerem redactæ, prorſus extinctæ iacent. De Candidâ iam diximus ſatis; ſupereſt vt de reliquis aliquid referamus. Lib 10. Lib. 4. c. 12.

Poſt Candidam prima eſt Cydonia, hodie *Canea*, ad Septentrionale Inſulæ poſita latus, in ſexageſimo à Candidâ Occidentem verſus lapide; populi frequentiâ, mercibus, ſitu, mœnibus, portuque inſignis: Quem tamen onerariæ naues propter ſcopulos commodè ingredi nequeunt: ſed quinque ab hinc milliaribus apud paruam Inſulam *Turlurù* nomine, tuta munitione inſignem, ſtationem habere ſolent. Præeſt vrbi incoliſque magiſtratus Venetus titulo Rectoris; cui in ſententijs dicendis, & alter patritius Venetus, veluti à conſilijs pari ſuffragio & auctoritate aſſidet; vnaque vrbi & territorio imperant, & indigenis iuſtitiam adminiſtrant. Territorium præter 240. minora caſalia, quinque oppida ſeu caſtella continet: Apicornũ, Chiſſamum, Selinum, S. Nichitam & Sfachiam.

Par magiſtratus Rethymni rempublicam adminiſtrat. Hæc aliàs Rithymna dicta, vulgò *Retimo* ad Septentrionale pariter ſita latus, paulo minor Cydoniâ, frequens populo, & munitiſſima eſt. Portum habet non multùm amplum, ad recipienda tamen minora nauigia accommodum. Sub eius ditione vnicum oppidum Milapotimum (aut Mylopotamo) præter 265. minora caſalia, recenſetur. Arx in edita rupe in mare procurrente extructa eſt, vt ab Inſulâ auulſa eſſe videatur: quæ vrbem ſatis tutam reddit.

Sitiæ vrbi eiusq; territorio (cui Hierapetra oppidum, ac 70. minora caſalia ſubſunt) vnicus magiſtratus Rectoris titulo imperat, incoliſque ius dicit. Hæc olim Cyteum appellata, cæteris minor, populoſa tamen, & portu cõmodo omniũ poſtrema habetur; jacetq; haud procul à Sammonio orientali Cretæ promontorio: cui è regione eſt Rhodus Inſula.

K Eſt

Est autem Creta Insula à Curetis populis primis illius habitatoribus Cûretis primùm, vel Cureta, siue Curetum, post à Cretæ quodam Iouis
Plin. l. 4. c. 12 & Idæ (vt volunt) filio, Curetum rege, vel à Cretâ nymphâ Hesperidis filiâ Creta dicta, Aëria etiam quandoque à temperie cœli, & Macaronesses, siue Macaros, id est beata: hodie *Candia*, siue ab vrbe primariâ Candidâ nomine, siue à terræ albedine (vt aliqui putant) appellata. Olim quidem celeberrima, cùm indigenarum frequentiâ, atque mirâ industriâ, tum soli vbertate, cœlique clementiâ, ac rerum omnium af-
Cap. 17. fluentiâ. Prima namque (vt Solinus refert) inter cæteras orbis Insulas remis, armis, ac sagittis claruit, prima litteris iura dedit, equestres turmas prima instituit, studium musicum prima inuenit, exercuit, ac longè lateque diffudit. Multis insuper famigerata fabulis, aduentu Europæ, Pasiphaës, & Ariadnes amoribus, Minotauri feritate, fatoque, Dædali operibus, & fugâ, Tali statione, & morte, maximè tamen Iouis (cuius patria fuit) sede, & sepulturâ. Hinc etiamnum mons altissimus tertio ab vrbe lapide, quod in eo Iouem sepultum fama sit, mons Iouis appellatur.

Formam habet oblongam hæc Insula & angustam; porrigiturque inter Ortum & Occasum tractu longissimo; à Septentrione verò in Meridiem latitudo patet, hinc Græciâ, inde Cyrenis obiacentibus.
Lib. 4. ca. 12. hæc secundum Plinium quinquaginta, illa 270. circuitus 589. millia passuum continet. Aliqui hodie 215. longitudinem, latitudinem 43. circuitum 455. millium passuum statuunt. Sunt etiam qui 2300. stadijs eius longitudinem constare credant. Alij quatuor millibus & centum; latitudinem verò inæqualem ponunt. Sic varij inter se variant. A Septentrione Ægeis æstibus, & Cretico mari verberatur: ab Austro Libycis vndis perfunditur, ab Ortu Carpathijs, ab Occasu Ionicis fluctibus alluitur. Sedet autem medio ponto, quasi maris
Lib. 2 Polit. domina; vt non immeritò Aristoteles eam prædicet. Videtur (inquit) hæc Insula ad principatum Græciæ nata, ac præclarè sita: cuncto namque imminet mari. Et verè, abest enim promontorium eius Sammonium (quod Salamonium hodie nautæ vocant) ab Alexandriâ Ægypti 450. millibus passuum, à Cypro 400. à portu Ioppensi 680. à Carpatho 60. à Rhodo 85. Promontorium verò Ermicum à Cyrenarum promontorio Phycunte 125. vel secundum neotericos 150. Cyamum item promontorium à Maleâ Peloponnesi promontorio 80. à Constantinopoli 400. à Zacyntho 300. à Iapygio Italiæ promontorio 500.

Plurimæ eam circundant paruæ Insulæ, ignobiles omnes, & nullius nominis, cuniculis vt plurimùm, & arietibus Strifoceris, vel Strifocoris patrio vocabulo dictis, abundantes. Notiores sunt Claudia, Paximados,

mados, Gaideroni, Christianæ, Farioni, & Standia. Claudia, Gaudos Melæ, hodie *Gozo*, Pauli ad eam appulsu in sacris Litteris celebris, ac portu Hamboio insignis, à latere Occiduo, haud procul ab Ermico promontorio, Paximados ab Austro, Gaideroni, Farioni, Christianæ ab Ortu: Standia seu Dia ab Aquilone adiacent. Porrò tribus promontorijs insignioribus vel maximè conspicua est: quorum duo ab Occasu emicant, tertium ab Ortu. Occidentalium aliud Meridiem respiciens, olim Ermea, seu Ermicum promontorium, anteà Criou Metopon, seu Frons Arietis (vt Plinius refert) appellatum, hodie caput Leonis vel Grabussæ, vulgò *Capo Leone* indigitant. Alterum, quod ex aduerso est latere, & Septentrionem spectat, nunc Caput Spatæ, priscis Cyamum fuisse putatur. Orientale antiquitus Sammonium, hodie nautis Caput Salomonium dicitur. Plurimos habet Insula portus. Celebriores sunt Suda, & Spina-longa, omnium equidem capacissimi, tutissimi, & commodissimi. Arx validissima vtrumque munit, & securam nauibus triremibusque stationem præstat. His succedunt Sitiæ, Voulismeni, Chissami, Selini, & Sfachiæ portus satis commodi. Fluuius in Insulâ nauigabilis nullus, sed riuuli duntaxat & torrentes aliquot. Inter cæteros situ, & conditione admirandus Armirò, aut Almyrò patriâ linguâ ab aquæ salsedine sic dictus; cuius fons octauo ab vrbe lapide Gerorodeam versus ad imas montis Stromboli radices peringenti hiatu erumpit; tantoque impetu & aquarum copiâ è terræ visceribus prodit, vt lacum statim efficiat satis amplum: mox rapido aquarum cursu ad vlteriora pergens, decem molarum rotas ad extrema lacus ora positas circumagitat; inde profundo latoque alueo per mille ferè passus dilabitur, ac flumen efficit, piscium copiâ, & cancris abundans: mox cursu velocissimo ad Aquilonem vergit, salsuginosasque suas in mare effundit aquas: quæ quidem à mari proximo per occultissimos meatus, eò vbi primum scaturiunt, fluere putantur; atque ob torrentium inundationem è proximis decurrentium montibus hieme dulciores fieri creduntur. In huius fluminis vtraque ripâ colocassium copiosè enascitur. Palmas etiam ibidem videre est, sed sine fructibus: maturescere enim fructus illos clima illius regionis non sinit. Ab ostio fluminis Candidam vsque propter arenarum cumulos, & latentes cautes tota maris ora importuosa est. Pagis & habitatoribus sic satis frequens est Insula: pagi namque (quorum etiam supra meminimus) 1070. numerantur, vel vt alij volunt 1044. Vrbes quatuor, Castella quindecim. Incolas ad septingentos supra ducenta, & octo millia ante aliquot annos censos fuisse, & ex his quinquaginta millia, ducentos & quinquaginta ad arma idoneos, Calogeros 1000. Papassos 3210. (qui Græci ritus

Lib. 4. ca. 12.

Act. 17.

 Monachi

Monachi & presbyteri sunt) selectos accepimus. Nec montes Cretæ in partem tacebimus: est Idæus, sunt Leuci, nunc de Madara, sunt Dictinei, vel Dictæ, nunc Cethiæ, sunt Cadisci, itemque Lasti. Sed Idæo (cui nunc Psiloriti nomen est) meritò ac iure attribuitur principatus. Is enim (Strabone teste) Cretensium cunctorum celsissimus surgit, atque supremo suo cacumine ante solis ortum solem videre dicitur; plantis nobilibus, & medicæ virtutis, Dactilo Idæo, qui vulgò licet falsò Lapis Lyncis appellatur, & famâ nutriti Iouis celebris. Est autē in meditullio positus Insulæ, quaqua versus circuitum habens sexcentorum stadiorum, ac vertice quasi nubes scindens; ex quo vtrumque mare & Lybicum & Creticum spectare licet. Frigori niuibusque adeò obnoxius, vt etiam mediâ æstate vix ab armentis, noctu præsertim, frequētetur: quod si interdiu pastores summa iuga montis petant, suasque pascant oues; noctu rursum ad ima vallium eas deducere coguntur. Reliquorum montium summitates perpetuâ quoq; niue candent: cupressis tamen, ac varijs rarisque plantis nobiles. Inter valles frugiferas præcellunt Arenosa, seu Arenoa, Messarea, & Lissa. Cæteris maior Arenoa est, iuxta Sitiam vrbem, culturæ aptissima, atque vberis soli. Hanc sequitur Messarea, ad trigesimum ab vrbe Candidâ posita lapidem, longitudine viginti quatuor, latitudine quatuor passuum millia continens. Tertia Lissa est, haud procul ab Ermico promontorio. Præter has duæ aliæ sunt, situ & rerum vbertate admirandæ. Quarum vna *Sitti* nuncupata, inter asperrimos editosque sita montes, duos tantum, eosque angustissimos, & difficillimos habet aditus; quos paucissimi tutari, atque à quouis etiam copiosissimo exercitu defendere, & prohibere hostium accessum facillimè possunt. Pascua ibi vberrima, fontes plurimi, optimas perennesque scaturientes aquas: arborarij prouentus copiosissimi, vineæ feracissimæ, fertilesque campi, cultui aptissimi; vt multa hominum millia quæuis ad victum necessaria ibi habere, ac tutò viuere queant. Altera *Malos* patriâ linguâ appellata, eiusdem ferè situs est: non tamē adeò fertilis, neque fontibus irrigua. In eâ syluæ cupressinæ densissimæ, cupressi verò tam crassæ nōnullæ, vt vix terni homines brachijs iunctis truncum vnius circundent; sed & tantæ altitudinis sunt, vt spectabilius nihil humano visui sit. Frugibus & segetibus vtcunque abundat, fontibus autem caret; puteos idcirco fodiunt, ex quibus aquam vsui necessariam hauriunt optimam, & salubrem. In Messareâ valle etiamnum exstant ruinæ amplissimę Cortynæ vrbis antiquissimę, ac Cretæ quondam regiæ, Diui Titi Episcopali sede insignis; quam Lenæus amnis pręterfluit. Hic plurima veterum Romanorum, & antiqui illius sæculi visuntur monumenta, quæ tempus edax rerum cōsumere haudquaquam potuit. Variæ item in vicino solo eruuntur statuæ marmoreæ, & numismata

Lib. 10.

Solin. ca. 17.

matà peruetusta, cùm aurea, tum argentea, & ærea, Græcis Latinisque nominibus inscripta, ac Consulum & Cæsarum Romanorum effigies continentia. Ad Septentrionale vallis latus specus ostenditur subterraneus, in costâ montis Idæ excisus; quem Minoïs fuisse Labyrinthum, Dædali opus, à poëtis decantatum; cuius quoque Ouidius meminit, vulgò persuasum est. Plurimi lapidicinam fuisse, atque ex eâ Cortynæ vrbis muros constructos volunt: Vt vt sese res habeat, nihil præter speluncas, ac subterraneos meatus, temporis iniuriâ ac vetustate multis in locis collapsos, videre est: ad quorum penitiora nequaquam datur introitus; nisi facibus accensis indigena quispiam, cui ea nota, introduxerit. Ego sanè antiqui illius Labyrinthi nequaquam reliquias esse putauerim; quod Pomponius Mela veterem Labyrinthum perplexis parietibus, & columnis à Dædalo constructum fuisse narret: hunc verò Pseudolabyrinthum ex solis concauitatibus & subterraneis meatibus constare manifestum sit. Adde quod Plinius veteris Labyrinthi suo tempore nulla extitisse vestigia scribat. Quare antiquæ potius lapidicinæ, quales in Syria vidi plurimas, & præcipuam apud Alexum vrbem, duo ferè millia passuum suo ambitu complectentem, & in plurima diuerticula ac latebras multosque anfractus diuisam, quàm Dædalici Labyrinthi esse vestigia, ausim affirmare. Vt autem de vulgaris Labyrinthi situ & conditione aliquid lectori innotescat, paucula à me diligentiùs obseruata hîc adiungam.

Lib. 1. c. 9.

Lib. 36. c. 13.

Est hic, quem vulgus credit Labyrinthum, specus subterraneus, in varios multiplicesque meatus distinctus: ad quorum quatuor duntaxat nostrâ tempestate patet aditus; cæteri incogniti sunt, & inuij, ob pericula, etiam ipsis itineris ducibus. Ostium quadratâ formâ in costâ montis excisum, speluncam refert latam circiter pedes triginta, pastoribus & armentis, noctu præsertim, optatum receptaculum. In eâ plurimorum nomina, qui locum aliquando adiere, epigraphas, inscriptionesq; lateribus vndequaq; insculptas, vel carbone aut facium fumo notatas, videre est. A dextro speluncæ seu ostij latere, meatus est accessu perdifficilis; angusta namque adeò & depressa per ducentos ferè passus patet semita, vt nisi reclinato ad vterum capite pertransire nequaquã possis. Hinc ad dextram flectendo, ad secundum pergitur & descenditur specum, situ nonnihil inferiorem, opere altiorem, ampliorem que; duodecim quippe pedum latitudinem per quadrum continet; extenditurq; rectâ lineâ mille ferè passuum spatio: vtrimque verò plurimi occurrũt meatus, viæque subterraneæ, eiusdem ferè formæ cum priori; quos ne quis ingrediatur, ductor ipse (qui cunctos præcedit, ac viam sternit subsequentibus) seuerè interdicit. Vbi ad extremum huius viæ ventum est, locus occurrit quadratâ formâ, latus pedes sexdecim, testudineo

opere; è cuius ſumitate ferreus atque ingens pendet annulus; per quem aqua è viuo ſaxo aſſiduò guttatim emanans defluit, & diuturno ac continuo caſu foſſam latam per diametrum vncias ſex in ipſo ſolo ſeu viuâ rupe effecit. Locum *Capella* (quaſi Sacellum) Itali indigitant. ad quem verò vſum olim annulus ille ſeruierit, ignotum eſt: ſed ſi cōiecturis vti liceat, ad ſaxa ſupra rhedas tollenda lapicidis vſui fuiſſe putauerim. Ex hoc loco ad dextram rurſum flectitur, iturque viâ priori perſimili, vbi varij denuo vtrimque occurrunt meatus; quos vt priores ingredi vetitum eſt. Proceditur autem recto tramito ducentorum quaſi & quinquaginta paſſuum. Inde rurſum ad dextram flectendo, tertia occurrit via, prioribus haud abſimilis, & eiuſdem ferè longitudinis cum præcedenti. In eius vltimo dextri lateris angulo quarta ſe offert, trecentos circiter paſſus longa: cuius extremitatem locus occupat quadratâ formâ Italis *La Loza* (quod Porticum ſonat) vocatus, latus pedes triginta. Atque hîc vltima eſt ſubeuntibus meta: neque enim vlteriùs progredi datur; ſed eâdem quâ ventum eſt viâ, receditur. Totum ſubterraneum id iter duo circiter millia paſſuum complectitur: & niſi facibus (quas ductor præfert) illuſtretur, obſcuriſſimum eſt. Nullæ enim ibi feneſtræ, nulla aëris ſpiracula: adeò vt nihil præter ipſas tenebras videre ſit. Veſpertilionum autem domicilia vbique hîc cernas; quorum aliquot millia ijs in antris ſtabulantur, atque dum lucem diurnam fugiunt, eò ſe tanquam in tuta caſtra recipiunt. Mirum dictu, pendent è fornicibus innumeri ferè nidi conglutinati, pyramidali formâ pendulâ, in varias multiplicesque compagines diſtincti, longi plerique pedes quinque, & vltra. Excrementa quoque earum pyramidis inſtar à fundo aſſurgunt, & multis in locis altitudine ipſis veſpertilionum nidis pendulis coniunguntur. Meatuum medium excremēta nidique occupant: iter propterea, vtrimque tranſitu patente, non impediunt: neque ipſæ etiam noctuæ tranſeuntibus moleſtæ ſunt. Etſi enim accenſæ faces odioſum illis admittant lumen, loco tamen ſe minimè mouent, ſed (quod mirandum ſanè) hærent fixæ, & niſi irritaueris, immotæ, adſpectu verò horribiles, ingēti pauore ſubeuntes concutiūt. Cauendum autem eſt, ne quis ſubeuntium nidorum compages turbet, iiſve noceat, ne nido diſrupto, quaſi vindictam parantes, celeri volatu, ſummo ingreſſorum periculo, & terrore, faces extinguant. Tanto enim impetu, tam horribili ſonitu, tantaque frequentiâ irritatæ volant, vt in medio barathri verſari, & dæmonum ſtridores & vlulatus audire te putes. Neque verò à volatu abſtinent, nec à ſtridoribus ceſſant; niſi prius omne lumen extinxerint, ac ſuo modo de illatâ iniuriâ vindictam ſumpſerint. Quod ipſum nobis petulantiâ cuiuſdam militis accidit. Is enim ſæpiùs fruſtrà à ductore admonitus, ne nidulos, offenderet,

deret, siue quod eius verbis fidem non præstaret, seu quod periculum non extimesceret, ausu equidem temerario nidum quendā gladio dissecuit medium. Nec mora, statim atque offensam sentiêre, subito ac celeri volatu proximas quasque nidorum compages excitârunt: omnesque crebro volatu ingruentes, tanto impetu, tantoq; stridore volare cœperunt, alis item rostrisque obuios quosq; petere, atque volatum suum in tantum protrahere perseuerârunt, vt extinctis facibus in terram proni cadere iuxta ducis nostri consilium cogeremur: vbi per horam ferè integram immoti, horrore penè incredibili perculsi, & quasi semimortui, dum nidos repetiuissent, iacuimus. Tum demum, ductoris admonitu surgentes, igne rursum è silice excusso, accensisque facibus, quasi in vitam reuocati, iter trepidè continuauimus: vesanumque itineris execrati consilium, ex horrendis illis specubus ad superiora tandem euasimus. Saxum omne meatuum coloris est subalbidi, instar marmoris, haud tamen ita durum. In ipso solo rotarum nec non clauorum vestigijs in hunc vsque diem superstitibus: quæ à Cortynę vrbis murorum ædificatione ibi relicta putantur. Porrò transitus per subterranea hæc loca cum multo discrimine peragitur, vel ideò maximè extimescēdus, quòd saxa ingentia è summitate meatuū pendentia multis in locis ruinā minentur; quæ si cadāt, vel subeūtes obruant, vel iter obstruant necessum est. Atq; hæc de Labyrintho. Modò reliquā Cretæ descriptionē prosequamur. Locus enim iā postulat, vt de vbertate Insulę nōnihil dicamus.

Frugum aliarumq; rerum, quibus mortalium vsus indiget, fœcunditate, situs amœnitate, & aëris clementiâ nulli terrarum cedit Creta. in causâ esse ipsum cœli clima, cui Insula subiacet, putauerim. Tradunt enim Geographi subiacere eam initio quarti climatis omnium clementissimi, sub nono parallelo, diemque habere æstate longissimam horarum quatuordecim cum quartâ; vt non mirū sit, quicquid Creta gignit, quin proximū sit ijs, quæ optima iudicātur. Hinc verò vineis & Oliuetis præstantissimis copiosa, gregibus item & armentis abundantissima est. Oleum, Lac, Caseum, Butyrū, & in primis Vinum habet optimū, album & rubeum, varij generis; Præcipuum est Pramnium, hodie Maluaticum appellatum; cuius ad 12. mille cupas quotannis ex Insulâ venum exportari, & per vniuersam ferè Europā distrahi ferunt. Laudatissimū esse volunt quod iuxta Rethymnū nascitur, magisq; diuturnum quàm cætera vina, quæ iuxta Candidam & Caneam crescunt, ac cito coacescūt. In causa est, quod illud coctum & bullitū diuendatur, hæc non item. Est autē duplicis generis in Cretâ Maluaticū, vnum dulce, alterū vinosum: quod vulgò *Maluasia garba* Veneti vocant; nec alibi quā Venetijs venū distrahitur. Frumentū adhæc, hordeū, itemq; legumina abūdè producit. Arborarij prouētus hîc omnis generis vberrimi: aurātia, citrina, persica, arme-

armeniaque mala: ficus item, amygdala, & melagranata in maximâ copia. Syluæ hîc quoque cupressinæ ita vulgares, vt domorum omnium trabes, contignationes, tabulataq; omnia, nec non & integrę quandoq; naues ex illis arboribus construantur. & quod mirandum, cæsæ repullulant: quod nusquam alibi terrarum accidere scribit Solinus. Cap. 17. Laurorum, & Myrtorum hîc vbertas maxima. Gossipium abundè hîc prouenit. Laudanum quoque optimum ex cysto frutice nonnullis in locis, & præsertim in monte Idæo, & iuxta Mylopotamum copiosè colligitur. Grana præterea ad tingendam lanam optima, cera, mel, aliaque præstantissima sunt. Pascuis autem adeò exuberat, vt etiam altissimi montes læta pecoribus omni ferè tempore præbeant pabula. Hinc pecudum greges ibi infiniti, arietes pręgrandes, quos Strepsicheros, vel Striphocheros patrio vocabulo indigitant. Falcones sacri & peregrini, volatilium hostes, aliundè aduolantes, hîc etiam capiũtur. sed & gentiles, & villani, & asteriæ, & accipitres hîc quoque propagantur. Perdicum adhæc, coturnicum, attagenum (quas *Francolinas* Itali appellant) aliarumque volucrum montanarum, atque nemoralium: caprarum item syluestrium, ac leporum & cuniculorum ingens hîc multitudo; ceruis tamen eget: lupos, vulpes, vrsos, aliaque quadrupedum rapacia animalia nusquam educat: serpens ibi nullus, nec coluber; nullúmve aliud veneno noxium animal; præter Phalangium, quod ictum hominem veneno interficit. Sunt quidem angues Ophis, Ochendra, & Tephloti nomine, sed minimè noxij, nec venenosi. Sal insuper ex marinis aquis hic sponte progignitur, spumâ in extremis littoribus ac scopulis relictâ: plurimis item in locis, marinis aquis in scrobem receptis, colligitur. Lib. 8. ca. 17. Sed & piscibus mare Creticum abundat; præsertim Scaro, Plinio teste, omnium nobilissimo. Solus enim ruminare, & herbis, non alijs piscibus vesci dicitur. Huius generis pisces apud Romanos quondam in delicijs habiti, Tyberio Claudio Principe à Præfecto classis in Italiam aduecti, inter Hostiensem & Campaniæ oram disseminati fuere. Plantæ pręterea hîc singulares; quas nusquam alibi nasci, aut inueniri constat: vt non Lib. 5. Saturnal. ca. 7. immeritò Macrobius Cretam herbis generosam esse dixerit. Præstat Dictamus, Pulegio similis, à Dioscoride celebratus, ac maximo in pretio ob peculiarem medendi virtutem apud omnes habitus. dein Alimes, quæ admorsa famem prohibere dicitur; itemque Saluiæ pomella, dulcia admodum, ac gustui grata: quæ mello vel saccaro condita stomacho in primis conferunt. Reliquas, quæ infinitæ sunt, omnes medicâ Lib. 1. ca. 16. 17. 18. virtute nobiles, & ad pharmaca vtiles, omitto, & ad Petrum Belonium eas luculenter in suis Obseruationibus recensentem, Lectorẽ remitto. Varij hîc quoque generis flores, rosæ in primis, & violæ odoratissimæ. Vt verò concludam, quicquid hîc terra producit, optimum habetur,

& apud

& apud omnes in pretio est; præstatque cæteris alibi natis.

Haudquaquam tamē hoc elogio digni censendi sunt Cretæ incolæ: tametsi enim regiones illas quibus aër purus est, & tenuis, acuta & solertia ingenia gignere pro explorato habeatur; constetque Cretam cœli salubritate nulli terræ cedere, atque in primis acris & solertis ingenij homines producere; eos tamen mira soli feracitas corrumpit, minusque industrios, magisque desides efficit: ita vt illud Apostoli Pauli ab Epimenide mutuatum, in hodiernum vsque diem indigenis optimè conueniat. *Ad Tit. ca. 1*

Cretenses mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Vt plurimùm enim, honestioribus demptis, gulæ, crapulis, vinoque, ac Veneri summoperè dediti, inertem ingloriamque vitam ducunt. rari literis aut armis dant operam: plurimi agris colendis, & gregibus pascendis incumbunt. mechanicis artibus pauci insudant. Si qui verò generosiores arma exerceant, maritimo potiùs quàm terrestri gaudent prælio, & strenui euadunt classiarij. Sagittariâ arte, atque arcu in primis (quem Scythicum vocant) nec Turcis inferiores. Plerique tamen & maximè ruri degentes molles sunt, effœminati, viles, laboris osores, & nullius industriæ. Præstant cæteris & martiâ virtute, & armorum exercitatione Sphachię populi, *Sfachioti* vulgò appellati, indomitum genus hominum, & ferox. Hi iuxta Leucos seu Albos montes vulgò *de Sphachia*, meridionalem incolunt plagum, latrocinijs vel maximè assueti, atque optimi & præstantissimi sagittarij, & in hostes pugnacissimi. In maximo propterea apud omnes præsertim ruri habitantes pretio habētur, ac magni fiunt: & patrio vocabulo *Pateræ*, id est Patres, quasi patriæ libertatis defensores appellantur. Neque solum indigenis, sed & ipsis quoque magistratibus Venetis propter efferatos mores nonnunquam formidini sunt, & terrori. Mille autem viros armis gerendis idoneos cogere dicuntur. Cæterùm agris colendis, & pascuis dant operam: gregibus & armentis, atque omni rerum copia abundantes. Ocreati omnes vmbilico tenus, arcubus, sagittis, & acinace armati, quocunque pergunt, incedunt. Ocreas longæ latæque zonæ è corio (qua corpus cingunt) annectunt, lineisque femoralibus induti, solo lineo indusio reliquum corporis tegunt: cuius infimam partem femoralibus (vti nos) haudquaquam condunt, sed pendulam desuper ferunt. Tripudijs vel maximè delectantur: per horas siquidem plurimas Sole etiam ardentissimo interdiu, noctuque choreas armis non depositis, indefesso labore viri cum fœminis ducunt: quinimò dedecori sibi verti putant, si quis eorum tripudians arma deponeret. Sed & Pyrrhicam saltationem optimè callent, crebroque exercent. Hæc ita se habet: Caput inter

ſaltandum iactant, enſibusque ſcuta cum harmoniâ percutiunt, nunc bini inuicem occurrentes, nunc circulum agentes, nunc in gyrum ſaltantes. Fœminæ eorum nudis incedunt ſcapulis, caligas non induunt, nec caput velant, aut faciem fucant: fuſcus propterea illis color, ac ſolis ardoribus aduſtus.

Iam verò vbi in Cretenſium mores incidimus, qui Græcis ſub Turcâ degentibus ſunt finitimi, poſtremamque incolunt Græcæ linguæ Inſulam, quæ ad Venetos pertinet; exigit locus vt in genere de Græcorum ſtatu, conditione ac moribus, quæ nobis innotuere, nonnulla explicemus. Sunt Græci ſolertis ingenij homines, linguâ prompti, & plærique ſupra quàm dici poteſt ad mercaturam idonei: procaces tamen, arrogantes, inſtabiles, dicaces, ad contumeliam, & vltionem faciles, ſuſpicioſi, inuidi, & ad fallendum nati. Etſi verò hac tempeſtate neque Imperatorem, neque Regem, nec Principem ex propriâ gente habeant, cenſeántve vllum, imò & legibus proprijs careant (extincto namque Orientis Imperio, poſt captam à Mahomete Turcarum Imperatore Conſtantinopolim, ad vnam omnes exulare, aut iugum experiri Turcicum, vel ſub Principum Latinorum, & præcipuè Venetorum Imperio viuere hactenus ſunt coacti) veterem tamen illam maiorum ſuorum ſuperbiam, atque arrogantiam haudquaquam exuentes, exteros quoſque, & præcipuè Latinos negligunt, contemnunt, vilipenduntque; ac ſolos ſe homines eſſe arbitrantes, cæteros barbaros exiſtimant. Suæ prætereà ſectæ & hæreſeos (imperiti licèt & rudes plærique ſint) aſſertores pertinaciſſimos, & Romanæ Eccleſiæ oſores, roſores, & hoſtes acerrimos ſe exhibent; vſque adeò, vt Occidentales omnes vulgò *Scyllos*, & *Haideros*, id eſt Canes, & Aſinos appellare non vereantur: Hi præſertim qui ſub Turcico degentes iugo, Turcarum moribus aſſueti, vitia ſimul cum barbarie imbiberunt. Mitiores, humanioresque cæteris ſunt illi, qui Veneto parent Imperio. Hi namque Venetorum imbuti legibus & moribus, ac longâ Italorum vſi conſuetudine, non ita in Latinam Eccleſiam ſtomachantur vt cæteri: quinimò (in multis licèt à Latinis ritibus diſcrepent) & ſacerdotibus, & Sacramentis Latinorum aſſurgunt, honorem exhibent, & ſacris eorum quandoque interſunt. Solemnioribus etiam feſtis, puta Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalis Domini ſeſe Latinis iungunt, ſolemnia ſacra vno in templo eademque horâ cum Latinis, diuerſis tamen in aris, peragunt, celebrantque: eo ſeruato ordine, vt in Euangelijs, & Epiſtolis recitandis, populoque ex alto ſuggeſtu diuulgandis, Diaconus & Subdiaconus Latini primas partes habeant, ſecundas Græci. Id autem vel maximè in gente hac deſpiciendum arbitror, quòd nulla apud illos neque ciuitas, nec oppidum habeatur, aut pagus, in quo

Academiam, aut Gymnasium aliquod erudiendis iuuenibus pueri(ve destinatum reperias: neque enim (mirandum sanè) puerorum ingenia literis excolere, artiumque vias iuuentuti tradere, eamque ad humanitatem informare vllo modo curant: quinimò rem literariam prorsus negligunt, & à literis abhorrent, vt meritò dici possit omnem eruditionem & scientiam à Græciâ (quæ parens illius quondam fuit) iamdudum penitus exulasse. Ita enim omnia studia sapientiæ in eâ hodie extincta sunt, vt ne vestigium quidem vllum appareat, adeoque Græcos barbariem omnem cum Barbaris induisse iure dixeris. Idiomate Græco impuro & vocabulis corrupto vtuntur omnes: perinde Græcè loquentes, vt Itali Latinè: in eo tamen differunt, quòd circa propria rerum nomina antiquitatem magis sapiant, ac seruent, quàm Itali. Venetorum subditi, honestiores præsertim, & in vrbibus degentes, Italicam quoque callent linguam, eaque vtuntur vbi occasio postulat. Sub Turcâ degentes, præter Græcum idioma etiam Turcicum in vsu habent. Soli ruricolæ, siue Turcis, siue Venetis pareant, ad vnum omnes solâ Græcâ loquuntur linguâ; rarò aliâ. Legibus autẽ Principum, quibus subsunt, viuunt omnes. Sacra tamẽ suo more, suisq; ritibus, vbicunq; morentur, celebrãt. Nobiliores, ac ditiores pleriq;, in morem eorũ cum quibus viuunt, vestiuntur: qui Venetis subsunt, Venetorũ; Turcarum, qui Turcis. Plebs sub cuiuscunq; ditione sit, aliquid suę antiquitatis hactenus retinet: nam plæriq; comã ab occipite nutriunt, sincipite tonso; vtunturq; vestibus prælongis. Porrò vilis admodum, & tenuis plerisque est supellex: non domus instructæ, nec ornatæ, vti apud nos videre est. Plumeis non vtuntur lectis, sed culcitris, tomento vel floccis fultis; stragulis verò aut gausapinis sese operiunt. In ciborum condimentis & obsonijs rudes pleriq; & simplices: varijs tamen dapibus lautiores, qui Venetis parent; Venetorum & ipsi sequentes morem, quorum mensæ vt plurimùm lautæ sunt & opiparæ. Cæterùm omnes multibibi, & meribibuli sunt: neq; enim vinum, quantumvis potens ac multarum virium, aquâ (vti Italis mos est) diluunt, sed abhorrẽt planè à vino aquâ mixto. Antiquum verò in hunc vsque diem in propinando obseruant morem: in eo differẽtes à Germanis, quod hi magnis plenisq; vrgent cyathis, illi paruos haustus propinant: neq; saltuatim, vti Germani, sed in orbẽ per vices bibunt: quas si quis præueniat, inciuilitatis notam incurrit. Cretenses maximè paruis scyphis bibunt, vt plurimùm argẽteis, sine pede, aut basi: nonnunquam vitreis, eius formæ, vt è manu deponere cõmodè nequeas. Hos ebibunt planè, & exsiccant. Interdum tamen in Germanorum morẽ sese ad bibendũ prouocant, nullo seruato tum ordine. Propinantes interim se mutuo amplectũtur, manũq; alter alterius cõtrectat, illamq; osculo excipit, frontiq; admouet, dein malã vtramq; exosculãtur.

Vino incaleſcentes cantharum aquâ plenum iuxta ſe habent, magniſque hauſtibus ſe refrigerant. Ditiorum fœminæ ſympoſijs non interſunt: quas nedum, conuiuia cum amicis celebrātes, admittunt. Quem morem à ſuis maioribus mutuaſſe, ac velut iure hæreditario per manus accepiſſe videntur. Nam & Cicero negat apud Græcos moris fuiſſe, vt in conuiuijs viris mulieres accumberent. Quod & Æmilius Probus teſtatur Fœmina (inquiens) neque in conuiuium adhibebatur, niſi propinquorum, neque ſedebat, niſi in interiori parte ædium: quæ γυναικωνῖτις appellabatur, vel γυναικεῖον; quo nemo accedebat, niſi propinquâ cognatione coniunctus. Quinimo nec in publicum prodire, aut ſacris intereſſe, niſi rarò, & interdiu fœminas ſinunt. Hæ omnes in luctu ſuos quoſque defunctos veteri Ethnicorum more plangunt, & maioris doloris declarandi cauſa vxores in primis, matres, ſorores, ac proximæ quæque capillum ſibi manu diſcindunt, comam euellunt, eamque cadaueribus injiciunt; fletu oculos corrumpunt, frontem genaſque lacerant, deturpantque; cantilenas adhæc lugubres, ſeu næniam funebrem (quam Ialemon vocant) lamentabili voce cadaueribus exhibent, conductâ ad id muliere, quæ præcinat, & præfectam agat; aſtanteſque ad complorationes & lachrymas prouocet; quam veteres præficā dixere: quâ præcinente, cæteræ omnes cadaueri aſſiſtentes, inſigni præconio præteritam extincti vitam, actuſque præclaros celebrant, virtutes recenſent, pudorem, integritatem, & fidem extollunt. Viduæ quoque ſummum erga defunctum maritum vt teſtentur amorem, & affectum, nonnunquam toto luctus tempore domo non exeunt, veſtem non mutant, nec induſium. Multis præterea ſuperſtitionibus obnoxij, cùm viri tum fœminæ, varijſque hæreſibus (de quibus poſtea) irretiti, obſcuram omnes & ingloriam ducunt vitam. His de Græcorum moribus dictis, vt tandem Cretæ deſcriptioni finem imponamus; qui ab initio in Cretâ rerum potiti fuerint, quibuſque ſucceſſu temporis Inſula paruerit, ſubjiciendum eſt. Hanc Radamanthus, Minoſque reges ab initio coluere: poſteà à piratis vexata in gentium efferarum poteſtatē peruenit: deinde Romanis armis, duce Metello deuicta (qui Creticus inde appellatus eſt) ſub tanti Imperij vmbrâ fæliciſſima aliquandiu quieuit: quo poſtea inclinante, in Græcorum Imperatorum partes acceſſit. Recentiſſimis verò temporibus, deletâ Myrtilli tyrannide, in Venetorum ditionem deuenit. Balduinus enim Flandriæ Comes, Orientis Imperator electus, ex Bonifacij Monferratenſis conſenſu, qui Inſulam ex dono Alexij Imperatoris tenebat, Venetis libero iure mille auri drachmis venditam anno 1194. tradidit. Bonifacio in Cretæ compenſationem Theſſaliæ rege declarato. Ad quam retinendam multa ob gentis incōſtantiam, poſtea bella vario euentu geſſerunt Veneti: quibus tandem ſopitis

In 3. in Verrem act. — *In Proœmio sui oper.* — *Strab. lib. 10* — *Luc. flor. li. 3.* — *Petr. Iustin. Hist. Ven. l. 2.*


ſopitis circa annum Domini 1367. duce Marco Cornario planè ſibi eam ſubiugarunt; ita vt poſt id tempus nulla ſeditio, nullus tumultus, nulli denique motus rem Cretenſem ampliùs agitârint; ſed fœliciſſimè ad hæc vſque tempora ſub iuſtâ Venetorum Republicâ floruerit: cuius auctoritate, legibus, & præſidio tranquillè Cretenſes viuunt, atque altâ pace fruuntur. Sed iam ſatis de Cretâ: ad inſtitutum reuertamur iter.

CAPVT XIV.

E Cretâ diſceſſus. Inſularum Rhodi & Carpathi deſcriptio. In Cyprum appulſus, eiusq́ ad Meridiem littoralis tractus delineatio.

DISCESSVS noſtri inſtante iam die, octauo nempe Id. Septembris, nauem conſcendimus. Acceſſerunt & alij duo viri nobiles Ioannes Vetturius patricius Venetus, & Decimus Muſanus Vicētinus, vterque Italus, & Hieroſolymitani itineris futurus comes. Hi Neapoli clariſſimâ Italię vrbe paulò ante noſtrum in Cretam aduentum eòdem appulerant, in Syriam nauigandi occaſionem expectantes. Omnibus itaque in nauem receptis, etſi libenter vela explicuiſſemus; malaciâ tamen obortâ, è portu eo die ſoluere non potuimus.

Proximâ luce, quæ feſtum Sacratiſſimæ Virginis diem præcedebat, ſummo manè anchoras educimus: mox flatu ſecundo ſurgente, è portu ſoluimus, placidoque ventorum ſpiracnlo eo die Sitiam vrbem, Spinalongam Cretæ propugnaculum maritimum, itemque ſcopulum (qui à Spiritibus nomen habet) præterlegimus. Sole occidente, Sammonium extremum Cretæ Orientale promontorium è conſpectu ſe nobis tulit. Nocte proximâ fælici progreſſu, ac vento leni ab alto nauigauimus.



Sexto Id. Septembris Carpathum, Rhodum, aliasque adiacentes Insulas fælici cursu præternauigantes, circa meridiem Caramaniam Asiæ continentis prouinciam, olim Pamphyliam & Ciliciam appellatam, eminus conspeximus. Inde saluberrimo vento Attalicum, vel (vt alij volunt) Pamphylicum ingressi sinum, quem vulgus nautarum Sattaliæ siue Seteliæ culphum *Golfo di Satalia* nominat, proram Cyprum versus direximus, atque in altum mare deductis velis, & Continens & Insulæ mox omnes euanuere: iamque nil aliud, quàm cœlum vndique, & vndique pontus. Fælici tamen nauigatione ac cursu prospero altum illud tertio demum die superauimus. Eum maris tractũ sæuis tempestatibus procellosum, & nautis vel maximè formidabilem, Cyprum vsque trecentis millibus passuum demetiuntur; quem multo periculosiorẽ præteritis sæculis extitisse; atque tum demum tranquilliorẽ factum putant, quùm Helena Augusta Constantini Magni mater è Syria redux mare illud primùm transfretauit. Veterum siquidem memoriâ proditum est, pijssimam hanc fœminam post inuentam Crucem Dominicam, cùm patriam repeteret, & partem Crucis, ac clauos (quibus sanctissimum Christi corpus transfixum fuerat) secũ efferret, & sinum hunc transiret, dum vehementiùs eius vndæ efferuescerent, iniecto vno ex clauis sedatiorem reddidisse. Ne verò memoratas Insulas silentio prætereamus, paucula, quæ nobis de ijs innotuere, explicanda erunt.

Distat

Diſtat Carpathus (nautis Scarpantus, *Scarpanto*) ab vltimo Cretæ orientali promontorio quinquaginta millibus paſſuum; cui vicinus eſt Raſus ſcopulus, ſeu parua Inſula, quæ veteribus Caſos fuit, melle olim abundans, piratarum hodie & prædonum nidus & receptaculum. Varia olim Carpathum habuiſſe nomina referunt authores: nam & Tetrapolis, à quatuor præcipuis vrbibus quondam florentiſſimis; itemq; Pallenes à Titanis filio, primo eius Domino, vel à Pallade, vt alij volũt, quam ibi enutritam, & educatam ferunt, appellata eſt. Eius ambitus ſeptuaginta millia paſſuum, vel (vt alij volunt) ſexaginta complectitur. Strabo 200. ſtadia computat. Formâ eſt oblongâ & arctâ, montibus altiſſimis ardua, & conſpicua; marmoris fodinis diues, lætiſſimis paſcuis vberrima, gregibus, & armentis, perdicibus quoque, & coturnicibus copioſa, ac portubus valdè accommoda. Tres enim in eâ portus conſpicias, inſignes quidem, ac tutos, capaciſſimoſque; Cheatrum, Agathum, & Tritomum. Cheatros (Italis Gratus) ab Occidente; Agathus, planitie fertiliſſima nobilis, ab Aquilone: Trithomus Triſtanus nautis) omnium capaciſſimus & tutiſſimus, ab Ortu iacet. Propè eſt ſuburbium à Græcis habitatum, ſic ſatis frequens; cui Poſſidium antiquitùs nomen fuiſſe putatur: hodie ab Inſulâ Carpathi nomen obtinet. Incolæ ad vnum omnes Græci ſunt, & Oſmannico Imperio parent. Turcæ ibi nulli, præter Cadium, qui magiſtratus eſt Turcicus. Is licet Inſulæ præſit, atque in incolas omnes Imperium exerceat; domicilium tamen inibi non habet continuum: ſed tertio quoque menſe eò venit, ius Inſulanis dicit; & ſi res ita poſtulet, in reos animaduertit, moxque Rhodum (cuius Saniacco ſubeſt) redit: à quo quotannis etjam nouus magiſtratus in Inſulam mittitur, qui publica vectigalia exigit: quorum collectio penes Græcos eſt. Plurima in hac Inſulâ in hunc vſque diem veterum extant monumenta, atque vrbium ingentia rudera. Iuxta portum Agatum Acaſſiæ vrbis, hodie Sancti Theodori ampla ſpectes veſtigia, nec minora Fianti vrbis antiquiſſimæ ad meridionale ſitæ latus; maxima denique Tuethos vrbis ad Aquilonem poſitæ. Protheum olim maximum vatem, Oceani & Tethyos filium ibi regnaſſe ferunt. Vicinum mare ab hac Inſulâ nomen tulit, & Carpathium appellatur.

Lib. 10.



RHODOS

RHODOS pulcherrima Lyciæ Insula, in mari Carpathio sita est, distatque à Carpatho viginti quinque millibus passuum, à Continenti octodecim, circuitu 125. vel secundùm alios 140. millia continens. Hæc Soli quondam sacra, inter Asiaticas Insulas, Lesbo & Cypro exceptis, præcipua atque omnium præstantissima fuit, omnium scientiarum mater, & diuitiarum affluens; ideoque cara Ioui tellus à poëtis appellata, fabulæ occasionem dedit, qua aurum in Insulâ pluisse, cùm Pallas è Iouis capite nasceretur, volũt. Varia antiquitùs nomina obtinuit: primùm enim Ophiusa, Stadia, Telechinis, Asteria, Athrea, Trinacria, Corymbia, Poëssa, Atabyria, deinde Macaria, & Oloëssa appellata; postremò Rhodus dici cœpit. Ædificijs autem, vijs, mœnibus, portis tantum excelluisse scribit Strabo, vt nullam sibi æqualem, nedum præstantiorem haberet: iustitiæ verò cultu, & gubernandæ reipublicæ diligentiâ, ac rerum naualium peritiâ, & arte militari in primis claruit; vt hinc multo tempore mari dominata sit, & piratas sustulerit. Romanis insuper amica facta, multisque donis exornata, per eos ad Vespasiani vsque tempora libera mansit: ab eodem verò in prouinciam redacta, Romano Imperio subdita fuit. Postea labentibus Imperij rebus anno à partu Virginis 667. à Muauiâ quinto à Mahomete Saracenorum Caliphâ occupata, & deleta est penitus. Denique post captam à Salahadino Hierosolymam Mahometæis erepta, & Ioannitarum operâ Christiano cultui restituta, in eorum potestate multis sæculis mansit: donec tandem Soleimanes primus eius nominis Turcarum Imperator eam rursus Osmannico Imperio subiecerit. Is enim anno à Christo nato 1522. numerosissimo comparato exercitu, ac trecentis & eo ampliùs armatorum eò aduectis millibus, cùm eam summâ vi ac grauissimâ sex mensium obsidione, infestissimisq; insultibus coarctasset, Ioannitis interim incredibili fortitudine, animi robore, labore, & patiẽtiâ strenuè (vti pro aris & focis dimicantibus æquum erat, & eorum natales, nominisque celebritas postulabant) resistentibus, tandem, cùm nullus (proh dolor) Principum Christianorum in summo rerum discrimine suppetias ferret, commeatu destituti, mœnibus euersis, & partem vrbis hostibus tenentibus, centum fermè millium Turcarum strage ante editâ, deditionem facere sunt coacti: ea conditione, vt Philippo Villerio Gallo, Rhodiorum tum Principi, ac Ioannitis, plebique vniuersæ cum omni gazâ ac re familiari, quò vellent abire, liberum esset. Atque ita tandem nobilissima vrbs, Insulaque tota Turcarum in potestatem venit, atque etiamnum subest. Qui primi huius Insulæ habitatores fuerint, variè traditur, quos Strabo enumerat, ac liberalium artium & Philosophiæ studijs addictissimos scribit. Cato, Cicero, Tyberius, alijque Romani (vt nonnulli volunt) Româ relictâ literarum causâ huc transfretârunt,

Lib. 14. *Lib. 14.*

M acade-

academiasque Rhodiorum frequentârunt. Ingens quoq; Solis Rhodi
Lib. 37. c. 7. colossus eam celebrem fecit. Is (vt Plinius refert) cubitorum 70. altitudinis, Claretis Lydij, Lysippi statuarij celeberrimi discipuli opus, post quinquagesimum sextum annum terræ motu postratus, iacens quoque miraculo fuit: tantæ enim molis erat, vt pauci pollicem eius circumplecterentur, digiti etiam maiores quam pleræq; statuæ: vasti hiabant specus de fractis membris: Spectabantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabilierat artifex opus. Duodecim annis tradunt effectum, trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrij. Fuit autem is ob inauditam magnitudinē inter præclarissima septem orbis miracula meritò annumeratus: fecitq; vt Rhodij Colossenses vocarentur: ad quos extat Pauli Apostoli Epistola: licet alij id negent: & Colossam non Rhodum, sed Phrygiæ vrbem Laodiceæ vicinam fuisse putēt. Tres autem olim in eâ Insulâ fuisse memorantur vrbes: Lyndus, Ialysus, & Camurus. Lyndus Cleobuli patria primas tenuit: cuius dum fundamenta foderentur, Rosæ capulum inuentum fuisse narrant authores: à quâ demum ciuitas & Insula cognominata creditur. Nam ῥόδον Græcè, Latinis Rosam significat. Quocirca etiam Rhodij Rosam tanquā vrbis Symbolum in numismatibus incudi antiquitùs curârūt, addito auersâ parte Solis simulachro, capite radiante, cum Græcâ hac inscriptione ΡΟΔΙΩΝ: qualia ænea atque argentea affabrè facta plurima passim est reperire, & me vidisse memini. Ex his vrbibus vnica hodie superest, eiusdem cum Insulâ nominis, nobilissima quidē, & portu ditata insigni, & securissimo: situ quoq; & propugnaculis munitissima, quæ multo tēpore Rhodiorum seu Ioannitarum militum sedes fuit. Hi hodie Melitenses dicuntur, ab Insulâ Melitâ, in mari mediterraneo è regione Siciliæ sitâ, quā liberalitate Caroli V. Imperatoris Romani, ab eo tempore, quo Rhodo pulsi fuere, obtinuerunt; in eaq; hactenus sedem fixerunt, ac firmissimis propugnaculis contra omnē vim hostilem munitissimam & inexpugnabilem reddiderunt. Vrbs ipsa Rhodus hemicycli formam referens, ad interius Insulæ littus sita, Marmocam Lyciæ, (quæ Asiæ minoris, hodie Anatoliæ, prouincia est) vrbem maritimam oppositam habet: à quâ decem & octo duntaxat millibus passuum freto interiacente seiungitur. Incolæ cùm Mahometæi, tum Hebręi sunt; Christiani nulli; insidias enim veriti in eâ pernoctare Christicolas non sinunt: interdiu tamen annonæ comparandę distrahendæque causâ accedere cuiuis liberum est. Qui rari habitant, pleriq; Græci sunt, Christianæ fidei, Græco ritu cultores, hortis & vineis excolendis, ac cæteris agriculturæ studijs in primis dediti. Regio omnis pingui & fertili gaudet solo, vberrimis pascuis diues, oleis & vitibus cultissima, atque omnis generis arboribus, aureis præsertim, & citreis malis abundans.

Mira

Mira hîc cœli clementia, quòd assiduo Solis splendore illustratur. Sic enim Solinus: nunquam (inquit) ita cœlum nubilum est, vt in Sole Rhodos nõ sit. Hinc arbores perpetuâ fronde virescunt, ac perpetuum ver repręsentãt. Vnicus in eâ riuulus Gadura nomine, sed innauigabilis. Mons item, omniũ qui in eâ sunt, altissimus Atabyris est, nunc *Filernus* dictus, Ioui Atabyrio olim sacer: qui & Insulæ cognomen dedit. Plurimi illustres viri & nominis claritate insignes ex hac Insulâ originem duxere, vel domicilium in eâ fixere: inter alios Cleobulus, Leonides, Possidonius, Andronicus, & Apollonius: Parrhasius item pictor famosissimus, nec non Polydorus, & Alexander sculptores celebres. Cap. 20. Strab. lib. 17

Haud procul à Rhodo occiduum versus Cos iacet, seu Chos, parua Insula, Italis hodie *Lango*, Græcis *Co* & *Stanlo*, aut vt vulgus effert *Stango*, vel vt Bellonius habet *Stancou*, Hippocratis clarissimi medici, & Apellis pictoris celeberrimi patria, ac vino optimo quondam celebris.

Tertio Id. Septembris, superato fęlici nauigatione Attalico sinu, circa quartam à meridie horám, Cyprus Insulâ se nobis conspiciendam dedit. Lapso iam Sole Acamas, seu Acamanthum primum ab Occasu Cypri promontorium, vulgò Caput S. Epiphanij nuncupatum, mox Drepanum, hodie Trapanum, itemque Zephyrium, nunc Malotam Cuspidem, Paphiam quoque scopulum, Papho obiectum, nec non Cuspidem Albam, *Capo bianco*, priscis Phrurium, primum à Meridie promontorium, nocte sideribus illustri, ac plenâ Lunâ fæliciter admodum, ac vento in puppim flante abrasimus. Quartâ dein noctis horâ, velis demissis, veriti ne ventorum impetu longius abriperemur, quàm esset in votis, velocissimum nauis cursum cohibere nautis visum fuit.

Proximâ luce Gauata vel Curias promontorium, hodie Caput Felium prærernauigantes, reliquum mox littus ad Limissum vsque absoluimus: in cuius stationem tertiâ diei horâ inuecti, iactis anchoris loco satis commodo, in alterum vsque diem substitimus. Gauatæ promontorium, à felibus à Calogeris in monasterio littori vicino (cui Acrotiri antiquitùs nomen fuit) olim nutritis, cognominatum ferunt. Quod eam ob causam factum esse fama est, vt serpentes venenosos & incolis damnosos (quibus circumvicina scatebat regio) captos extinguerent. Arte namque has edocuerant, vt non minus in serpentes hosce sæuirent, eosque venarentur, quàm naturæ instinctu in glires muresq; ferri, ijsque insidiari solent. Quotidie enim, vt feras venatici canes, sic illæ angues insectabantur, & quos cepissent, enecabant; & domũ ad sonum campanæ, quasi pransuræ redibant: pransæ rursum venatũ exibant, sero vespere monasterium repetentes. Atque hac ratione regionem ab his noxijs animalibus tandem liberatam ferunt.

Nauis tabellio, dum hîc in statione hęremus, naui egressus, ac paruulo seu seruitorio (vt vocant) vectus lembo, Italis aliquot, Græcisque cōcomitantibus, in littus descendit, ad Cadium Turcarum iudicem & Limissi prætorem profecturus, vt dona ei pro more offerret: neque enim nisi oblatis muneribus captare terram alienigenis fas est. Veniâ per tabellionem obtentâ, quotquot tum è nostris in terram descendere voluerunt, liberum fuit.

Postero die multi è nostris terram petiere, cōmeatus in primis comparandi causâ. Nauarchus hos eâdem de causâ secutus, quod vaccinæ & pecorinæ carnes vili ibi constent pretio; boues octo, minutulos quidem, sed obesos, duodenis aureis Venetis, id est, Batauicæ monetæ quadraginta octo florenis comparauit.

Strab. lib. 5. cap. 14. Fuit quidem Limissus veteribus Curias, aliàs Curium dicta, quondam ciuitas, & Episcopali sede nobilis, magnificisq; ædificijs adornata, nunc pagus tantum, sed satis frequens, iuxta littus in planitie peramplâ & amœnissimâ positus; quem Lycus riuulus è monte Olympo decurrens, præterfluit, moxque in mare illabitur. Terra ferax est vitibus, fruticibus, hortensibus, omnisq; ferè generis arboribus, & præsertim ficubus, Oleis, & charnubis. Sunt autem charnubi arbores ingentes, ac latè expandentes ramos, folijs lauri non absimilibus, latioribus tamen, nec ita acutis, semper virentibus, ac lætam indigenis æstiuo tempore præbentibus vmbram: feruntque fructus, quas nos Siliquas, Græci κερατώνια appellant, humano digito nonnihil longiores, falcata pollicari latitudine, prædulces & gratos palato, nostris fabis non absimiles; duriore tamen cortice, & subnigro: semine amaro, & durissimo. Horum cortex, semine reiecto manditur: succum etiam ex eo exprimunt prædulcem, & ad cibos condendos optimum. Peringentes hîc iuxta littus cernas siliquarum congeries, instar montium coaceruatas: quibus naues quandoque integras onerant. Ob maximum verò horum fructuum vbertatem vili admodum constant pretio, & animalibus in cibum cedunt: quæ his tanquam gratissimo pabulo saginantur. His quoque (vti vulgò *Luc. cap. 15.* persuasum est) filius prodigus, cuius in Euangelio fit mentio, implere ventrem, ac saturari cupiebat; nec erat qui illi daret. Melones, pepones, cucurbitæ hic maximâ crescunt copiâ. Musæ hîc quoque exquisitissimæ, & saporis optimi. Est autem Musa arbor, seu frutex potiùs, cuius fructus quoque *Musa* vel *Musi* dicitur, altitudine sesquihominis, stipite viridi, comam in cacumine habens circumextensam, & folia in digitorum modum protensa; adeoque longa, vt staturam hominis erecti ferè excedant, tam lata verò, vt extensus quispiam facilè folio vno cooperiatur. Sunt qui putant hæc prius exsiccata veteribus pro papyro in vsu fuisse: habent siquidem à summo vsque ad imum rectissimas lineas,

ordine

ordine certo distantes, quo ferè hodie apud Italos in pergamenis arte fieri solent. Quotannis stipes exscinditur, vel arefacta planta ex radicibus alios surrogat surculos. Semel tantum ex vno stipite fructus fert, qui plures in vno botro crescunt, aliquando decem, plerumq; viginti, nonnunquam plures: quorum quisque oui habet magnitudinem: suntque obducti cortice, seu folliculo spisso, coloris crocei, instar ficuum, odore rosis formâ nostris cucumeribus non absimiles, colore primùm virides; ast vbi maturescere incipiunt, paulatim in flauum mutantur, vel croceum; sapore quidem dulcissimi, ideoque grati palato, sed stomacho noxij: somnum quippe inducunt, fumo cerebri cauernas implent, & satiant multùm, ac citò corrumpuntur: quocirca etiã plebeis, ac vilioribus duntaxat in cibum cedunt. Vt autem diutius conseruẽtur, nondum maturi colliguntur, & arenâ obruuntur; denique in cubiculis appensi, vel ad Solem expositi, maturescunt. Sunt qui fructus hosce Paradisi poma appellant, eosdemque esse putant, in quibus comedendis Adamus protoplastes præceptum Domini transgressus legitur. Id autem in fructibus hisce notatu dignum, imò mirandum putauerim, quod in orbiculos concisis venas in singulis reperias, crucifixi effigiem vtrimque referentes. Gossypium adhæc (Itali Gottonum siue Cottonum vel Bombasum vulgò nuncupant) in maximâ hîc colligitur copiâ. Id ex minuto satis prodit semine, quod terræ mandatum fruticem producit cubitali altitudine, baccas vel coccum in summitate ferens, ad auellanæ nucis magnitudinem; intra quam baccam gossypium & grana seminis enascuntur; maturitate autem adueniente dehiscunt, & panduntur. Colitur hic frutex frequenti irrigatione, quo ferè modo Italis oryza. In Maio plerumque seminatur, in Septembri maturescit, & colligitur. Frumento quoque & segete variâ abundat hic tractus: semina autem in Octobri plerumque terræ mandant, & in Aprili (quo totâ Insulâ messis est) segetem colligunt.

Incolæ & vicinæ regionis accolæ maiori ex parti Græci sunt, Turcæ etiam, & Hebræi plurimi. Græci plerique mercaturam exercent, vel agriculturæ dant operam: Hebræi quoque mercimonijs faciundis rem augent: Turcæ torpent otio. Omnes ob crebros terræ motus humiles inhabitant domunculas, ramis & argillâ in modum pauimenti tectas, atque vnius tantùm contignationis: quarum ostia adeò depressa sunt, vt nisi inclinato corpore intrare quis nequeat: quod ea ratione excogitatum fertur, ne Turcæ equites patentes ianuas irrumpant, eorumq; equi in priuatorum ædibus stabulentur. Paruulam hic Turcæ habent messicam, in quâ Mahometæo more orationibus vacant, suaque sacra exercent. Iuxta sunt publica Turcarum balnea. Nec Græcis suum hîc deest templum, etsi angustum, & sordidum: in quo & ipsi sacra myste-

ria ſuo ritu celebrant. Pagi vmbilicum arx occupat, quadratâ formâ, tormentis bellicis,& Genizarorum præſidio vtcunq; munita; atque ad tutandum littus à piratarum depopulationibus percommoda. Sexto à Limiſſo lapide, ruinæ plurimæ, ac veterum Romanorum monumenta in ipſo viſuntur littore; vbi Amatham vrbem vetuſtiſſimam, Veneri quondam dicatam extitiſſe fama eſt: quam Richardus Angliæ Rex ſolo tenus diruiſſe dicitur.

Ipſis Id. Septembris rurſus anchoras educimus,ac vela ventis dantes, fæliciter admodum Inſulæ littus ad quinquaginta millia paſſuum,Cryptarum cuſpide,nec non Maſoto,& Chiti ſuperatis, legimus. Quartâ demum poſtmeridianâ horâ Salinas adnauigauimus; vbi mox in proximâ ſtatione, fundo ad iaciendas anchoras ſatis apto, iactis anchoris ſubſtitimus, atque in alterum vſque hæſimus diem: neque enim aduesperaſcente iam die in terram deſcendere commodum fuit.

Proximâ luce oblatis pro more donis Emino (is princeps publicanorum eſt, & regios prouentus exigit) naui egredi conceſſum fuit. Quâ antequam egrederemur, inuiſum nos venit mercator quidam Italus,ex vicino oppido Arnicâ, Minoritis perquam familiaris. Referebat hic Baſſam Nicoſianum non ita pridem in vincula conieciſſe Venetum quendam mercatorem, Arnicæ incolam, quòd Minoritam ex Germaniâ oriundum, qui anno proximè præterito Chriſtianâ abiuratâ fide Mahometæam perfidiam publicè amplexus erat, ab hac reuocaſſet, opemque illi ad fugam præſtitiſſet: prætereà percrebuiſſe, Vicarium Hieroſolymitanum noſtri itineris comitem (qui tunc etiam Arnicam venerat) Minoritæ illi fugam perſuaſiſſe,eiusque in primis operâ factũ, quòd Mahometæam ſectam denuò deteſtatus eſſet, atque abiuraſſet; & eâ de re iam Baſſæ conſtare: quare ſibi non videri naui vt exeat: rem enim ſibi alijsque fore diſcrimini; neque futurum vt incognitus lateat: plurimos Arnicæ eſſe,qui eum norint;neque defuturos, qui de eius aduentu Baſſam certiorem reddant: ſuadere idcirco, vt in naui latendo periculum effugiat. Hac oratione,& omnium conſilio motus Vicarius, ſolus ſe in naui continuit, dum expeditis rebus noſtris Iaffam verſus nauigaremus.

CAPVT XV.

E naui in Cyprum deſcenſus; ibiq; mora. Comercij & Arnicæ oppidorum, Vallisq; Salinarum deſcriptio.

DECIMO OCTAVO Kalend. Octobris ſeruitoriâ ſcaphâ, ſeu lintre terram adnauigantes, in proximum littus, loco vulgò Comercio,

Comercio, vbi antiquitus Cypriam vrbem (quæ Insulæ nomen dedit) conditam fuisse ferunt, descendimus. Celebris quondam hic locus, & præcipuum totius Insulæ emporium fuit: quod & nomen indicat, & amplæ ruinæ testantur. Concurrunt & nunc quidem eò negotiatores plurimi, sed infrequentiores, quàm solebant Christianis Insulam moderantibus. Ingentia hîc olim extitere horrea, omnis generis mercibus frugibusque (quibus Insula abundat) referta: nunc vel flammis absumpta, vel Turcarum incuriâ (omnia in peius labi sinentium) neglecta.

A Comercio rectà Arnicam, veteribus Piscopiam, à littore mille circiter passus distantem, pedestri itinere perreximus. Progredientibus ad iactum lapidis à leuâ occurrit vetusti operis templum, fornicibus tectũ plurimis, rotundo schemate, cui Ortum versus adhærent ædiculæ aliquot humiles, & vnius tantum contignationis, ad vsum iter agentium, & in littus descendentium percommodæ: in ijs namque pernoctant Turcę, cæterique aduenæ, qui eò negotiationis ergo se conferunt. Sacellum, quod ad læuam est aræ maximæ, Minoritæ Arnicani à Turcis annis proximè præteritis, in demortuorum sepulturam emêre. Subsistentibus siquidem in statione nauibus, si nautarum quempiam è vitâ excedere contingat, cum non longè absit à littore, humi hoc loco condere, & Romano ritu exequias, & funeralia celebrare solent. A Lazari templo Arnicam vsque nil nisi ruinas, latosque campos, cappare refertos, atque agros vt plurimùm desertos vidimus. Circa meridiem Arnicam venimus, & apud Franciscanos diuertentes, per dies aliquot ibi moram traximus.

ARNICAM, seu Arnicum, egregium quondam ac frequentissimum fuisse oppidum, ædificiorũ ruinæ & collapsæ ædes satis declarant. Hodie præter domunculas aliquot, easq; raras & humiles, atq; vnius tantũ contignationis, nihil est quod cernas. Superest etiamnum prætorium satis amplum, atque elegans, rustico opere, è saxo quadrato & polito, Venetorũ (vt opinor) operâ constructũ; sed ruinosum, & penè collapsũ; muris tantùm vtrimq; extantibus. Huic oppositum est Christianorum quondam templum, D. Rocho sacrum, profanatũ hodie, & in messitam versum, elegantis ædificij opus: cui contigua hæret turris æquilatera, & eminens, itemq; porticus columnis è marmore decora. Medium inter templum & porticum area latissima occupat; in cuius vmbilico videre est columnã marmoream erectam, cui quondam Leoninum alatum è marmore signum, Venetorũ symbolum, impositũ fuit. Haud procul inde Minoritæ iuxta exiguum Græcorum arcuato opere templum, parua aliquot cubicula piorum eleëmosynis instaurata inhabitant, eaq;, quò contra latronũ & furum insidias infestationesq; tutiora sint, muro cinxere. Hortũ hîc habent omnis generis herbis hortensibus cultissimum,

suntq;

ſuntque vt plurimùm quatuor numero in maximum peregrinantium, ac Palæſtinam adeuntium, atque inde ad patrias ſedes reuertentium commodum & ſolatium. Quantæ enim conſolationi ſit exteris, linguam Turcicam, Græcamque vt plurimùm ignorantibus, longaque iam nauigatione defeſſis, ac penè viribus exhauſtis, in terris Turcarum inuenire noſtræ religionis homines, qui humaniter hoſpitio quoſque excipiant, liberaliter tractent, recreent afflictorum animos, opem item atque auxilium in neceſſitatibus ferant, vix dici poteſt. Præter tutum namque receptaculum, quod peregrinis exhibent, ægrotos curant, ad victum neceſſaria præbent, negotia peregrinorum expediunt, dolorem afflictis leuant, anxios releuant, & ad meliorem ſpem erigunt. Hæc autem hoſpitalitatis & humanitatis officia nemo gratis à Minoritis præſtari exiſtimet; etſi enim pro victu, pro labore, pro omni denique curâ, & officio nihil exigant, petántve; officium tamen gratitudinis eſt benefacta benefactis cumulare, & remetiri vnicuique menſurâ eadem quâ alteri quis menſus fuerit: eodem enim animo debetur beneficium quo datur. Solent propterea peregrini omnes antequam inde diſcedant, in grati animi ſignum condignâ largitione acceptum beneficium remunerare, & rependere vices. Id verò ſi quis negligat, ingratitudinis notam incurſurum ſe certò ſciat: quo nihil apud Deum homineſque odioſius. Cæterùm cùm nihil in bonis habeant, nulloſque poſſideant agros, quibus victum ſibi comparent, aut neceſſarijs Monaſterij ſumptibus pares eſſe queant, ſolis eleëmoſynis mercatorum Arnicæ degentium, nautarumque in proximâ ſtatione adpellentium largitionibus, ac peregrinantium munificentiâ viuant, neceſſum eſt. Hinc etiam apud Venetos conſuetudo iamdudum inoleuit, vt quotquot eorum naues eò adpellunt, in Monaſterij ſubuentionem auxiliúmve ſingulæ ducatum Venetum ſiue aureum Cechinum exoluant. Tùm quoque illis liberum eſt, vt ad naues in ſtatione hærentes ſtipis à nautis & viatoribus colligendæ causâ ſe conferant: qui quidem liberales & munificos ſe in illos exhibent: & iure quidem; nam maximè æquum eſt ſęcularia vt metant, qui ſpiritualia ſeminant. Præter humanitatis ſiquidem officia, quorum pleraque ſupra memorauimus, ſingulis diebus ſacra ſolemnia faciunt, precibus canonicis die noctuque vacant, & Eccleſiæ Sacramenta petentibus adminiſtrant: pro quibus tenuem ſaltem victum piorum eleëmoſynis vt habeant, par eſſe nemo negauerit: dicente
Ad Cor. 1. c. 9 Paulo, eum qui altari ſeruit, de altari oportere & viuere.

Dum Arnicæ hæremus, commodam nacti occaſionem, ad Salinas ſecundo ab Arnica ſitas lapide, comitantibus Minoritis, pedites perreximus. Eſt autem vallis perampla, ſex millia paſſuum, vel ſecundũ alios nouem, in gyrum continens, vndique cincta aggeribus. In eam torrens

ex monte Olympo fluens, atque aquæ pluuiales è vicinis montibus influunt, & hyberno tempore lacum efficiunt, profundum plus minus pedes quatuor, aut quinque. Aquæ (quod quidem admiratione dignum est) cum dulces è cœlo vel fontibus in lacum congerantur, ex soli naturâ, Solisque feruore paulatim salsedinem contrahunt: mensibus dein Maio, Iunio, & Iulio, nullâ prorsus arte vel industriâ, sed solo æstu, & Solis ardore purgantur, coagulantur, & in salem albissimum obdurescunt. Res equidem admiranda, & visu digna; mare congelatum dixeris, & instar niuis candidissimum. Sal Augusto mense iam coctus duritie marmor refert; quem manc ipia ferreis vncis effodiunt, effossum sacculis immittunt, eosque colligatos, asinisque impositos, ad eminentiora vallis latera deferunt: sacculis denique euacuatis, salem in ingentes cumulos coaceruant. Sub finem Septembris vallem omnino sale denudatam conspicias, salis exceptis cumulis: qui in alterum vsque annum quandoque ibidem permanent, prout maior minórve salis copia nauibus asportatur. Sal qui colligitur, & in vberrimos quæstus concrescit, regij iuris est, & ad Principem spectat; cuius colligendi curam Eminus (de quo suprà meminimus) habet. Hic quò commodiùs salem distrahat, vectigalia exigat, cæteraque publica negotia expediat, ad locum Comercij quotidie cum suis ministris se confert; atq; in domunculâ, in ipso maris littore exstructâ, sua negotia in serum vsq; vesperum peragit. Affirmant Græci minus iam salis confici, quam olim, dum rerum Christiani in Cypro potirentur, idque Turcarum inertiæ & negligentiæ adscribunt. Illos namque arte & industriâ naturam ipsam adiuuantes, quotannis stagni fundum ab arenâ superueniente purgasse, aquam marinam, si quando pluuiales deficerent, induxisse, abundantes molis euacuasse, aliaq;, prout rei necessitas exigebat, curasse; hos cōtra nihil horum facere: quod re ipsâ verissimū cognouimus: Nam & molas (quibus olim in inducendis educendisque aquis Christiani vsi sunt) cōfractas & neglectas penitus; fossas quoq; (per quas superuacanea aqua pluuialis emittebatur, vel ea deficiente, marinæ aquæ immittebantur) terrâ obrutas, & obstructas conspeximus: quo fit vt tertia pars vallis arenis sepulta, infructifera, & planè inculta, ac deserta prorsus hodie spectetur; & in peius quotidie labentibus rebus, nulli (vt dubitandum est) vsui aut modico saltem breui futura sit. Hinc quæ sit Turcarum supina negligentia, quæve segnities, facilè colligere quis potest: torpent otio, labores omnes exosi, nulliusq; industriæ, ventri potius & Veneri, quàm rebus conseruandis, aut agendis studere malunt; & si qua gens ignaua, aut otio dedita est, sanè talis dicenda est Turcica. Inde quoque accidit, vt Cyprus, licet fertilissima olim, & rerum omnium abundantissima,


tiſſima, magnâ ex parte deſerta, hodie & inculta iaceat. Ipſi enim Turcæ, præterquàm quòd agriculturæ nequaquam dent operam, ſi quos Græcos indigenas terram colore, atque opibus augendis ſtudere animaduertant, vel auanijs (ſic Itali Turcicas fraudelentias vocant) miſeros vexant, vel immenſis exactionibus exhauriunt, & ad oſſa vſque excoriant; vt miſellis hominibus vix tantum è terræ frugibus ſuperſit, quo vitam ſuſtentent; cæteraq; ſibi neceſſaria comparent, ac denuò ſementem faciant. Vt autem, quæ dum Arnicæ moram traximus, vicinaque peragrauimus loca, de famoſiſſimæ huius Inſulæ ſitu, facie, conditione, fertilitate, alijsque memoratu dignis, indagauerimus, Lectori innoteſcant, paucula hæc ſubjicienda duximus.

EST

CAPVT XVI.

Cypri Insulæ descriptio.

SORIA
Alexandreta
Solida
Morgato
Tripoli
Laiazzo
Gibelleto
Golfo di Tripoli
Baruti
Adena
Tario
C. S. Andrea, ol. Extrema Clides
Pendaia I.
Stordilli
Pº Bombilico
C. della Greca, olim Pedalium prom.
Famagusta
CYPRVS
CA R PASSO
Napa
Clides ins.
MES SA REA
C. Pila, olim Troum prom.
Salines
Pedeus fl.
MVIS
NES
CON TADO
CE RI NES
Nicosia
Pº Caualier
Ballopoli
C. Cormachiti, olim Crommium prom.
MA SOTO
LI MISSO
Lymisso, olim Curias
PEN DA DIA
Golfo di Pendaia
M. Olimpo
Lycus fl.
Aniemur pº
C. delle Gatte
Antiocheta
C. Bianco
C. Limniti, olim Calinusa prom.
C. d'Alexandreta olim Delenum.
CRVSO CHO
Paphus ins.
Golfo di Crusco
Ponta Malota, olim Zephyrium prom.
C. Trapano, olim Drepanum Prom.
Acamanthum Prom. nunc C. di S. Pifanio
CARAMANIA
Setelia
Scala milliarium Italicorum.
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100



EST CYPRVS inter alias Orbis Inſulas nobiliſſima, & rerum omnium feraciſſima; ſitu oblonga, montibus partim, ac collibus fructiferis, & amœnis, partim latâ planitie nobilis. Porrigitur inter Ciliciam, Syriam, & Ægyptum. Eius longitudo (quæ eſt ab Ortu in Occaſum) inter duo promontoria, Acamantha & Dinaretha, ſiue extremas Clides 220. millibus paſſuum conſtat: centum & ſexaginta duorum quidam numerum ponunt. Maior latitudo à Cormachite Ciliciç anguſtias verſus Aquilonem ſpectante, ad Phrurium promontorium (quod ad meridionale Inſulæ ſitum latus eſt) 60. paſſuum millia continet. Ambitus 650. millia complectitur. Strabo 3420. ſtadiorum numerũ ponit. Plinius alium. Diſtat autem ab Alexandriâ Ægypti millibus paſſuum quingentis, à Cretâ 400. à Ioppe Iudeæ portu 200 à Tripoli Syriæ 100. à Sataliâ, aut Attaliâ Pamphyliæ oppido maritimo 60. Fuit olim varijs nominibus appellata, nunc Acantida Acamantis, Ceraſtis, Aſpelia, Amathuſia, Crypta ſeu Crypton, Colonia, & Minois: nunc Paphia, Salamina, Ceraunia, & Cytherea, à præcipuis huius Inſulæ vrbibus; nec non Macaria, id eſt Beata, ob agrorum olim fertilitatem, & delitias varias: hodie Cyprus vocitatur: in ſacris verò Literis Cethin, ſiue Chitim, vel Chetim nomen obtinuit. Olim nouem regnorum ſedes erat, vt Pomponius, Plinius, alijque referunt: in quâ oppida quindecim priſcis temporibus hæc illuſtria fuere; Paphos, Palæpaphos, Cithera, Curias, Cithium, Corinæum vel Ceraunium, Salamis vel Salamine, Amathus, Lapithus, Soloë, Tamaſus, Chytri, Arſinoë, Carpaſium, & Golgoë ſiue Colaë: quæ omnia vel funditùs euerſa, & extincta, nil præter nomen retinuere, vel in humiles abiere pagos: de quibus hæc paucula retuliſſe ſat erit.

Plin. l. 5. c. 31. — *Lib. 14.* — *Lib. 5. ca. 31.* — *Iſai c. 23.* — *Geneſ. ca. 10.* — *Pomp. l. 2. c. 7* — *Plin. l. 5. c. 31*

PAPHOS, quæ & Neapaphos, hodie *Baffos*, vna è quatuor Cypri vrbibus, quæ vltimorum regum tempore reliquæ fuere, exiguum refert pagum, ad auſtrale ſitum latus. Ab Agapenore olim condita, Veneris templo, portu, & regiâ ſtatione celebris fuit: Diſtat à Palæpapho (vt Strabo notat) ſexaginta ſtadijs. Hîc Paulus & Barnabas fidem Chriſti prædicârunt, & Eraphram Epiſcopum conſtituerunt.

Lib. 14. — *Act. Apoſt. cap. 13.*

PALÆPAPHOS, id eſt vetuſta Paphos, à Papho rege Pygmalionis filio condita, ad auſtrale item littus iuxta Zephyrium promontorium ſita, poëtarum carminibus nobilis, frequenter terræ motu collapſa, nunc ruinarum tantùm veſtigijs, quæ olim fuerit, oſtendit. Hîc olim Veneris templum percelebre exſtitit; in quo promiſcui ſexus homines nudi Veneri ſacrificium facere ſolebant, quod templum precibus Barnabę Apoſtoli concidiſſe, veterum memoriâ proditum eſt. Hîc quoq; Paulum & Barnabam Euangelium Chriſti prædicaſſe, ac Sergium Paulum proconſulem ad fidem Chriſti conuertiſſe; nec non Elymam magum,

Hieron. in Vita Malchi.

magum, Iudæum, & Pseudoprophetam cæcitate percussisse sacræ narrant Literæ. Hîc etiamnum veteris Ecclesiæ ruinæ ostenduntur, & sub ea fornix, in quo carcerati fuere Paulus & Barnabas. Adamantes hîc in vicino littore reperiri referunt indigenæ. *Act. Apost. cap. 13.*

CITHERA Veneris item vrbs, à quâ Citherea appellata fuit, haud procul à Papho in eodem littore sita, Porphirusæ nomen prius habuisse aliqui volunt: hodie pagus est, Conuclia nomine; cuius territorium frumento, gossypio, & saccaro abundat, & in primis aquâ optimâ irrigua est.

CVRIVM seu Curias Veneris Acreæ templo quondam insignis, & sedes regia, hodie Limissus pagus est, de quo supra egimus: alij tamen, vbi nunc Piscopia pagus est, in nono à Limisso lapide Curiam extitisse putant. *Ptol. Geograph. lib. 5. cap 14.*

AMATHVS antiquissima vrbs, & sedes regia, ab Assyrijs Nino regnante condita, à quâ & Insula Amathusiæ nomen sortita est, in sexto à Limisso posita lapide, solo tenus æquata, nil præter rudera vetusta ostendit.

CITHIVM, vel (vt alij volunt) Citto, omnium totius Insulæ antiquissimum oppidum, à Cithin vel Cethin Noëi nepote (vt ferunt) conditum, hodie Chiti nuncupatum, ad australe quoque situm latus, octauo à Salinis lapide, præter turrim vetustam & semidirutam, humilesque aliquot domunculas, nil reliquum habet. Zeno Citticus Stoicæ sectæ auctor, & Apollonius medicus, Strabone teste, hic nati dicuntur. *Genes. ca. 10.*

SALAMIS, vel Salamine à Teucro rege Telamonis filio ædificata, postea Costantiæ à Costâ rege nomen obtinuit: distatque à Famagostâ duo circiter millia passuum; humilem modo referens pagum: quem Famagostam veterem appellant. Ex hac Asclepiadem & Solonem Philosophum Atheniensium legislatorem ortos ferunt. *Lib. 14.*

CARPATIVM, siue Carpasium, vrbs antiquissima, iuxta Sarpedonem promontorium (vt Strabo notat) sita, hodie ignobilis est vicus, Carpasso nomine, vel secundum quosdam vulgò Villa Diui Ioannis. *Lib. 14.*

CORINÆVM, vel Ceraunium à Cyro exstructum, in scopulo prærupto, ad septentrionale littus situm, Insulæ olim nomen dedit: diciturque hodie Cerines pagus: habitatore vtcunque frequens, atque arce firmissimâ & inaccessâ, à Lusignanis regibus quondam instauratâ nobilis: quæ etiamnum valido Turcarum præsidio munitur.

LAPHETO vel Lapithos regia quondam sedes, à Lacedemonijs instaurata, statione & naualibus nobilis, distat à Ceraunio duodecim circiter millia passuum: hodie antiquum nomen obtinens, humilem *Strab. lib. 14.*

refert pagum; ſed qui vberrimo gaudet ſolo, goſſypio, ſaccharo, citreis, aureiſque pomis abundante.

SOLOE vrbs quondam regia, à Solone (vt quidã volunt) condita, hodie etiam pagus eſt Solia nomine, ad ſeptentrionale poſita latus, inter Cormachiti, & Alexandretæ cuſpidem media. Strabo Solum antiquitùs dictam, ac portum habuiſſe, & flumen, & Veneris ac Iſidis delubrũ: eamque Phalerum & Acamantem Athenienſes condidiſſe, incolasq; Solios appellatos ſcribit.

Lib. 14.

ARSINOE ſic dicta ab Arſinoë Ptolomęi Lagi regis Ægypti ſorore, hodie pagus eſt Cruſocus nomine, aurifodinis, & chryſocollæ, ac vitrioli mineris in primis celebris: alij tamen ſitam fuiſſe putant vbi nunc Leſcara pagus eſt.

Reliquæ vrbes quo loco extiterint, vel ignotum, vel obſcuriùs traditum. Fuere enim præter memorata, inſignia oppida Aphrodiſium, Idalium, Centria, Tremithus, Cyniria, Acte, Macaria, Matium, aliaque complura: quæ quidem omnia ita in cinerem abiere, vt vix eorum aliqua hodie extet memoria. Noſtra hac tempeſtate ex tot vrbibus duæ tantum in Inſulâ Leucoſia nempe & Famagoſta remanſerunt. Sic autem naturâ comparatum eſt, vt rerum omnium perpetua ſit quædam viciſſitudo, & immutatio: nec enim ſub Sole eſt quod ſtabile ſit, ac perpetuum quicquam; ſed quæ oriuntur, neceſſariò intereunt. Quapropter haud mirum videri debet cuiquam, ſi quemadmodum in reliquis Maris Mediterranei Inſulis, ita & in Cypro quoque Inſulâ acciderit; vt quæ olim claræ & illuſtres in eâ ciuitates extiterint, harum hodie vel nullum planè appareat veſtigium; vel obſcuriores, multoque minores effectæ ſint, & rurſus aliæ in quarundam locum ſucceſſerint, quæ nunc temporis ſuperſunt, vti in Leucoſia (vulgò Licoſia, aliàs Nicoſia dicta) itemq; Famagoſta, quæ olim Leucata, & Arſinoë fuiſſe putantur, videre eſt. Sed quemadmodũ ciuitatum facies immutatæ, ſic etiam regio ipſa variam ſæpius perpeſſa fortunam, diuerſos quoq; experta eſt rerum dominos. Nam eiectis ex Inſulâ regibus, quos nouem numero fuiſſe veterũ ſcriptis proditum eſt, à Cyro Aſſyriorum Rege occupata fuit, poſteà Græcorum Tyrannis ceſſit: Ptolomæo etiam, & Demetrio, Ægypti & Syriæ regibus diu paruit. Inde à Romanis Ptolomæo erepta ſine bello, per P. Clodium tribunum Romano Imperio addita eſt. Eoque poſtmodum labente ad Imperatores Græcos peruenit: qui cõſtitutis in eâ Ducibus, per multa annorũ curricula eam rexere: Quorum tyrannide diu oppreſſa manſit, vſq; dum Richardus Angliæ Rex Hieroſolymã contra Saracenos claſſe profecturus, denegato ei ab Iſaace quodam Comneno, Inſulæ tum Duce portu, alijsque iniurijs acceptis, indignitate tantæ rei motus, vi factâ Inſulam occupauit, eamque latè populatus, vrbes & oppida

Luc. Flor. l. 3

pida incredibili quodam successu, celeri victoriâ in potestatem redegit; captasque vrbes magno suorum præsidio muniuit. Posteà Guidoni Lusignano Hierosolymorum Regi à Saracenis pulso eam vindidit, & cum Hierosolymitani titulo commutauit: atque hinc factum, est vt Anglicis regibus Hierosolymitani regni titulus cesserit. Lusignanus itaque nobilibus Gallis in eam deductis, Gallorum Cyprum coloniam effecit. Posteà Sultanis Cayrensibus facta tributaria, extinctis Lusignanæ familiæ Regibus, qui per annos 283. eam rexerant, ad Venetos peruenit: quos ex sale & vectigalibus quingenta millia scutorum annuatim percepisse, ijsque mercibus commutatis, ac Venetias delatis tantundem lucratos esse, fama est. His demum anno 1571. à Turca expulsis, Ottomannis cessit: ijsque etiamnum subest. In quatuor olim regiones, Salaminiam, Paphiam, Amathusiam, & Lapithiam diuidebatur: sed hodie in decem ditiones tota Insula distribuitur: quarũ hæc sunt nomina: Paphus, Audimus, Limissus, Masotus, Salines, & Messarea; quæ omnes ferè Meridiẽ spectant, & maritimæ sunt: diuidunturq; à cæteris Septentrionem spectantibus, Carpasia, Pentalea, Ceraunia, & Crusoco continuâ montium serie. Inter has sola regio Vicecomitatus nomine, inter Cerauniam & Salines media, mediterranea occupat. Montana hęc mitia admodũ, nec valde eminentia sunt. Altissimus omnium Olympus mons est, Trobodos, vel Trochodos hodie à Græcis appellatus, quatuor milliarium altitudinis, circuitus quinquaginta quatuor; Veneris Acreæ templo quondam clarus, quod (vt Strabo refert) nec videre nec adire mulieribus licebat; in quo monte & Olympiam vrbem olim conditam nonnulli putant. Is hodie Michaëli Archangelo dicatus, sacellum eiusdem nominis in summitate habet. A Græcis autem monasticæ vitæ hominibus habitari cœptus, & octodecim monasterijs exultus, adeò procedente tempore hortis, vineis, viridarijsq; ornatus est, vt loci amœnitate, elegantiâ, & culturâ omnium in Insulâ celeberrimus euaserit: est enim plurimis & lympidissimis fontibus scatens, ac totus ferè nemorosus. Verùm, vt est nihil in rerum naturâ stabile, monachis tandem à barbaris loco pulsis, in desolationem abijt; atque etiam maiori ex parte desertus & incultus iacet Huic proximus est, & altitudine conspicuus Mons Crucis vulgò dictus, in cuius vertice templũ Iouis olim extitit: hodie Cruci sacratus est: cuius nominis occasionem dedisse fertur D. Helenæ in Iusulam aduentus: quæ cum portionem Crucis hîc reliquisset, templo etiam insigni locum illustrasset, à Cruce nomẽ indidit. Distat autem à Salinis circiter 20. millia passuũ, itinere propter crebros & frequẽtes adscẽsus difficili & permolesto: estq; sacello summo iugo montis imposito, in quo etiamnum particulã Crucis asseruari nonnulli putant, percelebris. Plurima habet Insula promõtoria, quorũ, quæ ad Occasum, Meridiẽ, & Ortum

Lib. 14.

Ortum emittit, alibi meminimus, & ordine recensuimus, vt superfluum
Plin. l. 5. c. 14 sit ea hîc iterum enumerare: à Septentrione Crommion vel Crommiorum est promontorium, nunc Cormachiti, vel Cornachietti caput: & Callinusa, nunc Limnito, itemq; Delenum. Vrbium quas in Insulâ superesse diximus, altera maritima, altera mediterranea est. Maritima Episcopatu quondam nobilis, & portu ditata insigni & tutissimo; ad extremitatem, qua Orientem spectat, iuxta antiquæ Salamis reliquias condita, à Costo rege Diuæ Catharinæ patre, vel ab Augusto, ob partam contra Antonium & Cleopatram Actiacâ pugnâ victoriam, quasi Fama Augusti (vt aliqui volunt) Famagostæ nomen obtinuit, cùm anteà Arsinoë ab eius conditrice (vt multorum est opinio) appellaretur. Est autem vrbs sic satis ampla, & frequens, triangularem ferè referens formam, atque vnicum totius Cypri propugnaculum. Nam qua terram spectat, firmissimis munitionibus, à Venetis quondam exstructis, tutissima est; cæterùm durissimæ rupi imposita, cuniculis, subterraneisque dolis haudquaquam obnoxia; tametsi barbarorum incuriâ & supinâ negligentiâ mœnia hodie passim lacera, & ruinæ proxima spectentur. Altera Lusignanæ familiæ Regum quondam sedes, Leucata prius, à Leucate primi Ptolomæi filio, nunc Leucosia, vel Nicosa dicta, meditullium quasi Insulæ occupat: situmque habet in perampla planitie, cui Messarea nomen est, longa septuaginta octo, lata triginta millia passuum; fructiferis circumsepta collibus, situ multum amœna, atque aquis irrigua, & vberrima. Templum in eâ cathedrale olim Sophiæ sacrum, eleganti structurâ visitur; cui iuxta accubat Archiepiscopalis domus, in quâ olim Metropolita ac regni Primas, natus legatus Pontificis dici solitus, domicilium habuit. Templum hodie à Turcis profanatum, & in Messitam versum, spurco Mahometæorum cultui dicatum est; in quorum ritus tota concessit Insula. Cæterùm vrbs ipsa prægrandis quidem, ac formâ sphericâ, vndecim propugnaculis munita, latissimisque præcincta fossis, totius Insulæ magnitudine & situ principatū tenet: ruinis tamen deformata, squalida, & immunita; mœnibus laceris, vel ruinam minitantibus, militum incursum & oppugnationem non sustinet. Fluuius seu torrens Pedeus nomine eam interfluit; quod pontes lapidei indicant: estque interdum vehemens & violentus, tametsi nos alueum calore siccatum inuenimus. Regia hæc sub Imperium Sultani Cayrensis anno à Christo incarnato 1423. redacta, qui pactus annuum tributū, duodecim millium Cechinorum eam regibus Lusignanæ familiæ restituit. Per quinquaginta & amplius deinde annos pace fruita est: donec tandem Iacobus Ioannis regis ex illegittimo thoro filius, expulsâ Carulotâ sorore, & iustâ regni hęrede, quæ Sabaudicorum Ducis filio nupserat, ope & auxilijs Sultani Ægyptij eam armis occupauit. Is non

multo

multò post, ductâ in vxorem Catharinâ Venetâ, ex nobili Corneliorum familiâ, à senatu Veneto prius in Diui Marci, siue Reipublicæ familiam adoptatâ, & constitutâ, de publico centum millium ducatorũ dote, fato functus est, coniuge prægnante relictâ. Quæ cum posthumum masculum edidisset, vix annum superstitem, suorum persuasu Regnum Reipublicæ cessit. In Venetorum itaque redacta potestatem, ad annum vsque 1571. Venetis fascibus paruit: quo tempore cùm Selimus eius nominis secundus Turcarum Imperator eam tanquam in Sultanorum Ægyptiorum iura successor, indicto Venetis bello repeteret, in barbarorum potestatem venit. Post varias namque atrocesque quadraginta dierum oppugnationes, superante hostium multitudine, quos 80 millia armatorum numero fuisse fama est, miserè capta & direpta est; nobilitate extinctâ, cæsis magistratibus, ducibus, præsidiarijs, cæterisque vrbis incolis in seruitutem abductis. Atque hinc successu temporis euenit, vt quæ olim regia licèt, & illustris extiterit, hodie magnificentiam omnem ob Turcarum tyrannidem amiserit. In deterius enim & in præceps cùm ad barbarorum manus deueniunt, alta & regia quæque indies collabuntur & corruunt; auctoritate interim, ornatu, & opulentiâ cuiusque regionis imperij sedem sectante.

Parem quoque fortunam passa est & Famagosta. Post expugnatam siquidem Leucosiam, motis repentè castris, ad expugnandam Famagostam aduolârunt Turcæ: quam tamen non eâdem facilitate, sed demum post annuam obsidionem, cæsis in ea septuaginta suorum millibus, potiti sunt; dedentibus se præ nimiâ rerum inopiâ ac fame oppidanis, pactâ tamen priùs cum Mustaphâ Turcarum supremo duce omnium incolumitate. Sed immanis barbarus prorsus pacti immemor, cùm *Marcus Anton: Bragadenus*, *& Astor Balleonus* primarij vrbis duces, compluribus comitantibus militum ducibus, vrbisque nobilibus, in castra ad ipsum profecti, vt clauibus portarum traditis, abeundi (vti conuentum erat) commeatum peterent; ille verò eos in tentorium ad se introductos priùs benignè excepisset, laudassetque eorum fortitudinem, & studium in defendendâ pro Principe suo clarissimâ vrbe; mox in subitum furorem versus, contra datam fidem, ac omne ius gentium, non solum *Astorem Balleonum*, virum illustrem, & militari disciplinâ clarum, aliosque primores cæsis ceruicibus interfici, & cæteros armatâ cohorte hastatisque Ianizaris in eos missis trucidari, sed & *Marco Antonio Bragadeno* vrbis præfecto, inter Venetos patricios armorum studio, & constantiâ singulari viro, post aurium abscissionem, inauditâ barbarie atque horrendo spectaculo, per carnificem Iudæum crudelem in modum viuo pellem detrahi præcepit. Qui inspectãte totâ vrbe, inter istos acerbissimos cruciatus tantâ fortitudine,

animiq́ue conſtantiâ, atque eâ frontis oriſque ſerenitate dicitur emicuiſſe, vt lætari potiùs, quàm quicquam pati videretur. Neque his contentus ſæuus barbarus, pellem inſuper *Bragadeno* detractam Conſtantinopolim tranſmitti, ac paleâ impletam in ipſo nauali ſuſpendi, iuſſit: quam tandem poſt multa annorum curricula eius Frater liberiq́ue maximo ære redemptam, Venetias tranſportari, vrnaq́ue marmorea in Templo D D. Ioannis & Pauli condi curarunt: hoc addito in perpetuum amantiſſimi patris, atque æternæ memoriæ viri teſtimonium Epitaphio.

D. O. P.

M. ANTONII BRAGADENI DVM PRO FIDE ET PATRIA BELLO CYPRIO SALAMINÆ CONTRA TVRCAS CONSTANTER FORTITERQ. CVRAM PRINCIPEM SVSTINERET LONGA OBSIDIONE VICTI A PERFIDA HOSTIS MANV IPSO VIVO AC INTREPIDE SVFFERENTE DETRACTA

PELLIS.

ANN. SAL. CIƆ. IƆ LXXI. XV. KAL. SEPT. ANTON. FRATRIS OPERA ET IMPENSA BYSANTIO HVC

ADVECTA.

ATQVE HIC A MARCO HERMOLAO ANTONIOQVE FILIIS PIENTISSIMIS AD SVMMI DEI PATRIÆ PATERNIQVE NOMINIS GLORIAM SEMPITERNAM.

POSITA.

ANN. SAL. CIƆ. IƆ. LXXXXVI VIXIT ANN. XLVI.

Leucoſiâ & Famagoſtâ expugnatis, Cerauniaq́ue arce in deditionem acceptâ, ad reliqua facilè oppida & pagos patuit acceſſus. Nam neque propugnaculis, nec milite præſidiario munita, oppugnationem prohibere nequibant, vt nullo negocio in ius Turcarum ceſſerint: quæ quidem omnia vnius Baſſæ hodie ſubſunt imperio. Is Leucoſiæ domicilium habet: eſtq; ſupremus magiſtratus Turcicus, auctoritate cũ noſtris Proregibus æquiparandus. Nam nõ ſolùm in inſulanos, ſed & omnes inſulę magiſtratus, Saniaccos, Cadios, Subaſſios, itemq; milites pręſidiarios, ſiue equites, ſiue pedites ſint, imperium habet; regniq; totius sũmas, Turcarũ legibus, moderatur habenas. Fungebatur hoc munere cùm nos in in Inſulâ hæreremus, Calaber quidam, humili natus loco, Chriſtianæ fidei apoſtata, nomine Iaffer Baſſa, Chriſtianis (vt ſolent huiuſmodi homines) infeſtiſſimus. Præter has vrbes pagi vulgò Caſalia circiter 850 ſupereſſe hodie in inſulâ memorantur: qui quidem frequentes olim licèt extiterint, & diuitijs ac rerum copiâ abundantes, habitatoribus (vti fertur) ad 160000 adſcendentibus, nunc tamen Turcarum ob tyrannidem deſerti vt plurimùm, & infrequentes ſpectantur.

ctantur. Præſtant cæteris Lapithus, Cilurus, Carpaſſus, Leſcara, Conſtantinum, Limnati, Silica, Arnica, Pellendria, Chilani, Coloſſus, Piſcopia, Salines, Conuclia, Otima, Serines, Arzus, Omodus, Cruſocus, Solia, Morfu, Limiſſus, & Leſca. Incolæ præter Turcas, Mauros, & paucos Hebræos, maiori ex parte Græci ſunt (quibus & ſermo Græcus, & Græci characteres; quanquam nonnihil à Creticâ dialecto lingua ipſa euariet) Chriſtianæ fidei cultores, & Græci ritus omnes. Adſunt prętereà & Maronitæ, & Neſtoriani, Iacobitæ, Cophtique, qui è Palæſtinâ profugi, captâ iam Hieroſolymâ, è Saladini regno pulſi, ſedē ibidē fixere; ac ſuę quique ſectæ in hodiernū vſque diem obſeruāt ritus. Turcę (vt fide dignorū relatu accepimus) vix ſex millia hominū cōſtituūt; cùm Chriſtiani è cōtra ad 28 millia, fœminis & pueris exceptis, adſcēdere dicantur. Ferūt propterea Cyprij iniquè hoc Turcicum iugum; aſt ferunt, cùm nullum ſperēt à Chriſtianis Principibus (à quibus quàm longiſſimè diſſiti ſunt) opem, auxiliúmve. Tentare idcirco quippiam pro libertate non audent, Putant tamen ſi à Chriſtianis ſubſidij aliqua ſpes injiceretur, cùm nec arma ipſis deſint, nec animus, & numero etiam Turcas longè ſuperent, facillimè barbarorum ſeſe excuſſuros iugum. Sed (proh dolor) ea eſt hodierna Principum Chriſtianorum miſera & planè deploranda conditio, eaque mētis cæcitas, atque inter ſe inuidiæ odijque acerbitas, ac fidei & pietatis tepor, vt poſthabitâ communi omniū cauſâ, in quâ eſſe deberent vigilantiſſimi, malint omnia peruertere, & labanti Reipublicæ Chriſtianæ auxilia ſubtrahere, Chriſtianū ſanguinē effundere, & ſęuum in mutua viſcera ſtringere ferrū, quàm Turcarum iugo & tyrannide oppreſſis ſuppetias ferre, & immaniſſimū Chriſtianorū hoſtem, ac tyrannū impijſſimum bello petere, eiuſq; atterere & debilitare vires. Hęc quotidianis lachrymis miſeri Cyprij deplorant: neque ſe vnquam liberandos ſperant, niſi cœlitùs auxilium affulſerit. Atque hæc & his maiora cùm ſuâ tum maiorum ſuorum culpâ mereri ſe libere confitentur: quippe qui iuſtum Venetorum imperiū exoſi, graui nēpe ſe iugo oppreſſos arbitrati, quod exteræ nationis hominibus parerent, Turcarum ſe ſubdi & ſubeſſe imperio ſæpiùs exoptârunt, eorumq; tyrannidem Chriſtianorum Principum imperio prætulerunt: verum, vt mihi inſulanorum Primores narrauerunt, ſuo malo & damno nunc demum experti ſunt, quantū falſâ opinione decepti à vero aberrauerint: Longo ſiquidem vſu iam planè didicerunt, quàm longè Chriſtianorum Principum mores & moderamina à Turcarum regimine, ſeu potiùs tyrannide abſint: quantumque inter vtriuſque dominatum interſit. Apud Chriſtianos namque ratio, & æquitas, ac pietas locum habent: apud Turcas verò hæc omnia exulant, nilque præter meram tyrannidem inueniri datur.

Sed hæc obiter. Redeo itaque eò vnde digressus eram, regni Cyprij statum & conditionem iam declaraturus. Incolæ vltimo Regum ac Venetorum imperio in sex diuersa hominum genera distribuebantur, Paricos nempe, Lesteros, Perperarios, Albanenses, Venetos albos, & Nobiles. Parihi siue Parici, Latinis Coloni, infimi generis ac seruilis conditionis homines erant, vsque adeò dominis obnoxij, vt propemodum vitæ necisque potestatem in eos haberent. Nam præter censum annuum (quem dominis soluere tenebantur) singulis etiam septimanis duas operas gratis præstabant, ac tertiam quoque fructuum partem quotannis referebant: eoque præterea in eos iure vtebantur domini, vt libera eis potestas esset eos vendere, ac permutare, carceribus mancipare, proscribere, flagris cædere, tormentis subjicere, omni denique pœnâ corporali (solâ capitis exceptâ, quæ ad solum regem spectabat) affligere. Hoc vnico interim miseris illis manente solatio, & spe, quod solutione sexaginta scutorum aureorum personalem libertatem redimere poterant: ea tamen conditione, vt nihilominus agri illorum dominis iure paricorum obnoxij remanerent. Hos sequebantur Lesteri, siue Elesteri, id est quasi liberi, siue libertini: qui quidem & ipsi Paricorum erant è numero; sed pecuniâ, vel gratiâ dominorum, vel aliâ quâdam viâ libertatem consequuti; diuersa tamen ratione. Nonnulli quippe absolutè liberi efficiebantur, quùm alij personali duntaxat libertate potiti, nihilominus rerum suarum nomine dominis essent obligati; vt qui quotannis quindecim aut sexdecim, alij plura, aut pauciora perpira, siue hyperpira soluere cogebantur: quorum occasione Perperarij siue Hyperperarij coloni in ordine tertij dicebantur. Albanenses ex Albaniâ seu Epiro oriundi, liberi erant homines, & publica sub regibus & Venetis merebant stipendia. Hi littus interdiu noctuque obequitabant, per vices excubias agebant, atque à prædatoribus piratisque insulam tutabantur: qui posteà cùm sedem in insulâ fixissent, Albanensium nomen obtinuere. Veneti albi, liberi quidem & ipsi habebantur: census tamen annuos principibus aut nobilibus viris soluere tenebantur. Nobiles cæteris præstabant, & ipsi in duas distincti classes. Primas tenebant Principes, & Barones, seu Domini (vt aiunt) titulati: secundas Patricij reliqui. Neque enim Venetis insulam moderantibus soli nobiles Veneti iure nobilitatis fruebantur, sed & Senatus Veneti priuilegio reliquis omnibus Veneti imperij ciuibus, quos vt minimùm quinquennium Leucosiæ habitasse constabat, id quoque iuris erat. Hodie barbarorum tyrannide Christianis omnibus eadem conditio est: neque enim nobiles à plebeis discernuntur: sed æque omnes seruiunt, & tanquam vilissima mancipia habentur, dominus, seruus, diues, pauper, senex,

puer,

puer, domina, serua: ita vt vnà omnes, nemine prorsus excepto, Turcarum iugum experiantur: quorum quidem moribus iam dudum assueti, simul etiam vitia hauserunt: sunt tamen cæteris Græcis Turcarum subditis & humaniores & mitiores, atque in aduenas omnes benigni & faciles: ingenio quidem acuto & subito, ac linguâ manuque prompti; fortes insuper & neruosi, atque armis idonei, sed genio & voluptati præ nimiâ soli feracitate vt plurimùm indulgentes. Fœminæ pleræque lasciuæ, & à veteribus haudquaquam degeneres, quæ(vt Iustinus refert) priusquam nuptui traderentur, exteris nautis se prostituebant: vt non abs re Veneri sacratam Cyprum à Veteribus proditum sit; vel eo magis, quòd omnia ibi affatim suppetant, quæ Veneri fomenta subministrant. Nunc paucula de eius vbertate attingamus.

Abundat Bombyce, seu Serico, Gossypio, Lino, Lanâ, Frumento, Oleo, Melle, Caseo, Butyro, Vinoque præstantissimo, & stomacho in primis vtilissimo, adeoque durabili, vt in octoginta & plures annos incorruptum (vti accepimus) seruetur. Natura rubrum est, sed (quod mirum dictu) vetustate albescit, & quodam modo canescit; balsamo virtute comparandum, ægrisque corporibus, modicè sumptum, admodum proficuum: cæterùm non nisi assuetis, siue nouum, siue vetus, gratum; picem siquidem redolet plerumque, quòd in picatis dolijs contineatur, quæ vina tetro sapore inficiunt, diutissimè tamen conseruant. Vuas adhæc in rugas siccatas, quas vulgò *Zibibo* vocant, nigri coloris optimas, crassasque in magnâ copiâ producit: vt & segetes, ac varia legumina. Dici autem vix potest quàm vberis glebæ sit regio, modo in continuis æstatis caloribus humor ne desit, sed diligenter irrigetur: qua in re nullis sumptibus, nullisque laboribus parcunt: nam fluminibus siue torrentibus deficientibus, puteos habent altissimos & patentes, è quibus fictilibus ollis, magnis rotis, ab equo circumactis, aquarum copiam exhauriunt immensam, quâ arua adaquant. Anni tempora hîc cum naturâ nostræ regionis collata, præpostera videntur: æstate enim adeò sicca, atque adusta Solis ardoribus sunt omnia, vt vix vllis in locis (nisi irrigatione iuuentur) vel herbulam conspicias. Hyeme contrà, post autumni crebras pluuias, cāpis passim irriguis, lætam vbique herbam, ac prata ridentia spectes; vt hyemem verius æstatem dixeris. Sanè iter facientibus, arantibus, & quiduis operæ ac negocij exercentibus, ægris etiam, hyems æstate ipsa multò oportunior est; neque enim frigore molestantur, nisi cum boreales spirant venti, quinimò adeò lenis & tepore mixta solet esse hyems, vt eâ durante, pecora perinde ac si Ver inciperet, virentia pascua saltusque perquirant. Alia æstatis ratio: vehemens enim & omnibus molesta: omnia torpent, nec aduenis, nec indigenis tutum sub

meridiem vſquam progredi: quare domi ſe continent, ac tectorũ præſidio mortiferos Solis calores, quà poſſunt, fugiunt. Solis autem ortum præuertunt, crepuſculum captantes: vtq; conſulant ſanitati, ientaculo aduerſus ingruentẽ debilitatem vires firmant. Noctu agricolæ in primis humi proſtrati ſub dio nudi cubitant, honeſtiores ſtragulis incubant, ventiſq; expoſiti, ac linteamine vix operti obdormiunt. Si proficiſci quopiam neceſſitas vrgeat, noctu id faciunt, interdiu quieſcunt. Sed iam ſatis de æſtate hyemeque: inſulæ vbertatẽ proſequamur. Miranda hîc ex Eboſiâ canna (quam Cannam mellis hodie appellant, ex quâ Saccharũ conficitur) arundinum ſeges eſt; nec minor goſſypij fruticis: vtriuſque culturam alibi explicauimus. Alumen ſciſſile album & nigrum, Pix quoque; Reſina, Sulphur, Gypſum quod è terra foditur, & Salnitrum multis ibi in locis abundè prouenit, Iaſpidem, Achatem, Smaragdum, Cryſtallum, Corallium, rubrum albumque, nec non Adamantem, orientali tamen & pretio & duritie inferiorem, alioſque lapides pretioſos producit: ſed & Auri, Ferri, & Æris fodinis, Vitrioli item omnium optimi, & rubiginis Æris, ad medicinæ vſum idoneæ, nec non Marchaſitæ, cùm albæ, tum rubeæ diues eſt. Amiantum quoque lapidem priſcis notiſſimum, Alumini ſciſſili (quod vulgò plumoſum dicitur) perſimilem, qui nullo igne aduritur, apud Amiantum pagum in multâ copiâ gignit. Ex eo lintea & funebres tunicas texere ſolebant veteres; quæ ſordidatæ igne purgabantur, aquâ lotæ indureſcebant: his cadauera comburenda, vt cremati cineres cõmodiùs conſeruarentur, atque à reliquâ fauillâ internoſcerentur, obtegere veteribus in more fuit. Sed hodie huius generis telæ vſus exoleuit. Laudanum præterea, Thus, Styrax, Manna, Scammonea, Crocus, Coriandrum, Suſimanum vel Seſamum, Rhus ſeu Sumach, Lentiſcus, Rheubarbatum, Colocynthis, Thymiama, Maiorana, Hyſſopus, aliæq; quam plures plantæ ſaluberrimæ, ac medicâ virtute nobiles, hîc abundant, Pepones itẽ, Melones, Anguriæ, Cauli flores, Faba Ægyptia ſeu Colocaſſia, aliæq; herbę ad quotidianos hominũ vſus optimæ, in maximâ hîc naſcũtur copiâ. Iuxta pagũ Calopſidẽ copioſè proueniũt herbę Sodæ nomine; ex quorũ cineribus ſapo conficitur, itemq; aliæ, quibus vndulati panni (quos vulgus Italũ Zaabelota appellat, atq; ab indigenis è caprarũ pilis egregij & plurimi cõficiuntur) purgantur, lauanturque. Puluis adhæc vulgò Cyprius dictus, miro odore fragrans, ac multo in pretio apud Italos è quibuſdã herbis odoriferis, vel (vt alij volũt) è rore coloris viridis, ſupra ſaxa herbaſq; decidente, & ſiccato, dum albeſcat, cõponitur. Abũdat pręthereà omnis generis arboribus; Ceraſis, Caſtaneis, & Sorbis exceptis; quarum loco præſtantioribus, ac multò nobilioribus naturæ beneficio gaudet, Occidentalibus haudquaquã conceſſis,

cessis, imò vix cognitis, Musis nẽpè, Dactylis, & Charnubis. Relinquo Aurantia, Citrina, Armeniaca, ac Punica mala, quorum ingens ibi copia. Syluæ hîc cupressinæ plurimæ. Terebynthi itẽ arbores copiosæ. Ex his Resina, quã Terebinthinã vocant, stomacho ac sanguinis reiectioni in primis conducẽs, omniũ optima atq; odoratissima profluit. Omnis item generis volucrũ peringentẽ alit numerum. Palumbes, Coturnices, Perdices, Attagenes, Anates, Anseres hîc ferè infiniti; Turturũ nõ minor quàm apud nos passerculorũ copia. Hi adeò domestici, vt in tectis, publicis plateis, vt hortis frequentes conspiciantur, & cum hominibus quasi conuersari videantur. Auiculę (quas Cyprias vulgò appellant Itali) hortulanis Italiæ non absimiles, tam copiosè hîc nascuntur, adeoque pingues, vindemiæ præsertim tempore (quo vuarum acinis & lentisci semine vescuntur) euadunt; vt infinitas ferè aceto odoriferisq; herbis condîtas, & vrceolis immissas, venum Venetias exportent. Principum nobiliumque totius Italiæ mensis gratum, lautum, & vsitatum obsonium. Aquilæ & Falcones hîc plurimi. Sacri & peregrini volatilium hostes aliunde aduolantes, hîc etiam capiuntur. Feræ syluestres, Damæ nempè, Cerui, Lepores, Cuniculi, aliæque hîc innumeræ; noxiæ, aut rapaces nullæ. Verueces præterea prægrandes, ac mirum in modum obæsi, quibus caudæ cubitalis longitudinis, adeò latæ & crassæ, vt non solùm posteri ora animalium tegant, sed & librarum duodecim pondus nonnunquam superent. Nascitur hîc quoque Chamæleon animal quadrupes, monstruosum & deforme valdè; vnũ (dum Arnicæ hæreremus) apud Minoritarum Guardianũ, vnum apud Græcum quendam illius loci incolã & vidimus viuum, & contrectauimus, cùm nequaquã noxius sit. Est autẽ altitudine palmaris, lõgitudine sesqui palmum non excedens; diuersâ varietate conspersus, vt pardus: rostrum habet simile ranæ, caudam prælongam, exilem, ac in tenuitatem desinentem, & implicantem se viperinis orbibus, crura recta, vngues aduncos, vt volucres; pellem asperum, vt crocodilus; ventrem flaccidum, & strictum; latera ventri iunguntur, vt piscibus, & spina simili modo, dorsus gibbosus, vt camelis; incessus tardior, vt testudini. Oculi in recessu cauo, tenui discrimine, prægrandes, & corpori concolores; quos nunquam operit: nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumaspicit; hianti semper ore; Aluũ nunquã purgat, cùm sit clausus vndiq;, solusq; animaliũ cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento viuit. Sed coloris natura mirabilior: nam ad quoscunq; colores, quos proximè attingit, rubro & flauo exceptis, facillima conuersione variatur: maculas tamen nigras nõ mutat, sed pellẽ tantũ, vnde vulgò natum prouerbium, *Chamæleonte mutabilior*: quod in hominẽ inconstantem, ac lubricæ fidei torqueri solet. Ceterùm fluuium insula

nauigabilem

nauigabilem nullum habet, sed riuulos & torrentes aliquot: præcipuos Pedeum, Leucissiam præterfluentem, Lycum ex Olympo demanantem, & Tenum. Ex hisce vbi abundant, aquas rotis hauriunt; quibus prædia atque arua circumjacentia humectant. Ob aquarum vero penuriam sepiùs annonæ inopiam passa est hæc Insula; præsertim Helenæ Constantini Magni Imperatoris matris temporibus, quibus per triginta & amplius annos habitatoribus vacuam extitisse Græci traditione populari referunt. Fontibus namque exsiccatis, & hiante terrâ æstibus, aridoque effecto solo, agriculturam non exercuisse indigenas, & ob id alio demigrasse omnes. Tandem Helenam præfatam cùm ad insulam hanc Hierosolymis redux appulisset, tantæ desolationis causam sciscitatam, commiserationis intimo affectu motam, precibus à Deo pluuiam, & pristinam fontium scaturiginem impetrasse, insulamque totam, euocatis è continenti populis, antiquo suo nitori & frequentiæ restitutam memorant. Id præterea Cyprus patitur incommodi, quòd vermium quodam genere quandoque infestetur: qui singulis ferè triennijs (si sicciores anni fuerint) paulatim crescentes, mense Martio iam alati, & digiti crassitudine, longisque tibijs, similes locustis volatum instituunt: vbi autem volare incipiunt, velut è cœlo demissa grando, voraci ore omnia deuastant, ventisque impulsi, tantâ copiâ, ac multitudine volitant, vt instar nebulæ densissimæ videantur: cumque virentem omnem herbam absumpserint, fame demum enecati intereunt; fœtoreque teterrimo post se relicto, aërem terramque infectant: ex quo dira quandoque lues oritur. Solent propterea incolæ horum oua diligenter inquirere, & inuenta cum suis nidis & cubiculis disperdere: id enim nisi faxint, in infinitum prope numerum sub torridâ illâ plagâ excrescerent. Quanquam verò pestifero hoc animalculorũ genere infestetur, æstibusque vel maximè obnoxia sit, atque aëris idcirco nonnullis in locis vigeat inclementia, ad soli tamen feracitatem, sitûsve elegantiam, ac rerum omnium affluentiam nihil insulæ deest; nec vllo externo eget adminiculo: quod & Ammianus Marcellinus testatur: *Tanta* (inquit) *tamq; multiplici fertilitate abundat rerum omnium Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus à fundamento ipso carinæ ad supremos vsque carbasos ædificet onerariam nauem, omnibusq; armamentis instructam mari committat.* Hæc ille. Vnde non immeritò olim Macaria, id est beata dicta fuit. Diuitijs namque abundans, & rerum copiâ exuberans, ac delitijs affluẽs, quicquid suaue, quicquid optabile, ac gratum vsquam excogitari poterat, licebat hîc conspicere, habere, frui. Maximarum eius diuitiarum meminit Lucius Florus. *Cypriæ* (inquit) *opes à Portio Catone Liburnis per Tiberinum ostium inuectæ, latiùs ærarium populi Romani impleuerunt*

uerunt, quam vllus vnquam triumphus. Hodie tamen non eadem manet Insulæ conditio, ac facies: barbarorum siquidem tyrannide (proh dolor) oppressa, antiquo decore & splendore exuta, squalida, inculta, & deserta multis in locis ac neglecta iacet. Ciuitates iampridem famosissimæ, & frequentissimæ, splendidis, magnificisque exornatæ ædificijs, iam ruinosæ, sordidæ, & infrequentes; oppida & pagi, frequentiâ quondam celebres, deserti passim & desolati spectantur. Est namque Turcarum deuastare vrbes & oppida, depopulari agros, & ad nihilum quæcunque magnifica & splendida reducere. Hæc de Cypri descriptione. Reliqua modò quæ nobis ante discessum ex insula acciderint, prosequamur.

CAPVT XVII.

Nauigium ex genere Caramussalinorum conductum. Discedendi venia cum difficultate ab Emino obtenta. Ex insula discessus, & ad nauigium mari reditus: inibi cum nauarcho litigium; eiusdemque exactio. Libani montis conspectus: & ad littus Phœnices appulsus.

DECIMO SEPTIMO Kal. Octobris, Minoritis, atque in primis iudiciario Consule Veneto procurantibus, nuncius expeditur ad Famagustanum portum, nauigij conducendi causâ. Cum etenim in Salinarũ statione nullus adesset Caramussalinus (ita actuariam nauem vocant Turcæ) quo cum in Syriam transfretare commodum esset, ad primarium Insulæ portum mittere celerem necessum fuit. Id siquidem iam dudum vsu venit, vt qui in Iudæam nauigare velit, nisi rectà Tripolim Syriæ petat, primâ relictâ naui, quâ Venetijs disceditur, aliud nauigium ex genere Caramussalinorum, quo in Palæstinam transfretet, in Cypro conducere debeat: neque enim naues Venetæ in Syriam nauigantes, Ioppensem portum (vt olim solebant) hac tempestate petunt, sed Alexandretam in Sinu Issico sitam vrbem adnauigant. Itaque cùm in quartum iam diem nuncij reditum frustrà expectantibus nauigium satis commodum Salinas appulisse nunciatum esset, ne diutiùs differre abitum cogeremur, Consuli Veneto negotium dedimus, vt cum nauarcho (quem Raisium Turcæ, Veneti Patronum nuncupant) de naulo transigat. Erat is natione Syrus, conditione Christianus, ac præter Arabicam, Turcicam, Græcam, & Italicam callebat linguam. Hanc igitur oportunam occasionem, quod pro interprete nobis esse posset, haudquaquam negligendam putauimus. Post multam tandem & diligentem Consulis operã & fidem, Cechinis viginti vno Venetis de naulo cum Nauarcho pacti

ſumus. Haud multò poſt redit nuncius,qui pepigiſſe ſe de naulo cum Nautâ Farnagoſtano triginta quinque Cechinis Venetis, & pro arrhâ ſex aureos dediſſe, ac ipſum mox cum nauigio affuturũ nunciat. Quid agendum hac in re eſſet, diu hæſimus ambigui:in diuerſa enim tendebant animi: hi minori nauigio,tanquam promptiori & inſtructiori ſuſcipiendum iter ; illi contrà maiori vaſtum ingrediendum pelagus ſuadebant. Tandem in eorum itum ſententiam, quibus minor placebat nauicula;eâ pręſertim de cauſâ,quòd cooperta,compacta ſolidè,& duplicibus velis, atque etiam remis inſtructa eſſet; qui ad portum capeſcendum, contrarijs maximè obſtantibus ventis, nauigantibus quandoque ſummo vſui & adiumento eſſe ſolent. Dimiſſo igitur maiori nauigio,quod iam portum appulerat,arrhæ iacturam fecimus ; tres inſuper toleros nuncio numerauimus. His rebus ita compoſitis,de veniâ impetrandâ ab Emino pro diſceſſu agitur, eodem Conſule curante. Capſas interim,cæteraq; vtenſilia, in reliquo itinere nulli vſui futura,è naui Venetâ in terram exponi curamus ; vt Arnicam Minoritis cuſtodienda in reditum noſtrum deportarentur: nihil enim præter cibaria ad alimoniam neceſſaria,induſia item,collaria,& linteola aliquot, quibus ab immunditia nos tueremur, nobiſcum ferre curæ fuit. In littore igitur expoſita, à miniſtris Emini inſpecta ſingula diligenter, & perquiſita fuere ; certiores vt fierent ſi quas merces vectigales continerent: nullis verò huiuſmodi inuentis, auehendi veniam, poſt longam tamẽ moram,conceſſere, Hiſce expeditis,nauiculario iniungimus,vt quæ ad victum neceſſaria in naui Venetâ relicta erant, in ſuam inferat. Eminus vbi id reſciuit, nautis ne accedant,aut quicquam noſtrarum rerum in ſuam transferant nauiculam, ſeuerè prohibet; & ſub pœnâ capitis interdicit, ne ſe inſcio è portu ſoluant, altumque petant. Nobis verò, quæſito pretextu,nos cum vectigalibus velle defraudare reſpondet, ac quicquid noſtri iuris in Venetâ relictum eſſet naui, in terram exponamus quantocyus per interpretem iubet ; vt liberè à ſuis inſpici queat: quod niſi ſtatim fiat, nullam nobis abeundi poſtmodũ facultatem cõceſſurũ minitatur. Quid multa ? nullus omnino excuſationi cùm eſſet locus,morem inuiti gerimus:ſub veſperum cuncta in littus exponi curamus,& vt miniſtri perſcrutẽtur ab Emino petimus. Ille quòd ſerum eſſe ſimularet,non permittit:ſub dio idcirco, adhibitis cuſtodibus ea relinquere,ac in poſterum diem differre abitum coacti ſumus. Primâ luce ad nos redit Eminus,inſpici à miniſtris ſingula imperat, qui licèt nihil quod vectigalium ſolutioni obnoxium eſſet,inueniſſe ſe referrẽt, aſportandi tamen veniâ denegatâ,abitum noſtrum remoratus eſt;moris eſſe aſſerens, vt corteſiæ ſibi (ita gratuitum donum vocant Turcæ Maurique)ante diſceſſum à mercatoribus, ceteriſq; alienigenis qui piam

piam detur:neminemq; immunem dimitti:consuetum idcirco se velle munus, priusquàm abitum paremus:quod si denegetur, nequaquã discedendi veniam se nobis concessurum. Post multa, parere necessum fuit,cum reniti non daretur. Tribus igitur Cechinis (sic enim Consul Venetus cum eo pactus erat) numeratis, abeundi veniã impetrauimus. Omni itaq; commeatu celerrimè nauigio imposito,nauarcho,vt abitũ acceleret,& cæteris rebus in itinere necessarijs prospiciat,iniungimus. Is haud ita multò post nautas aquandi gratiâ ad vicinum littori puteũ ablegat:qui vbi rediere, atq; omnia parata renunciarent,malacia suboritur, quâ in vesperum durante, in statione detenti sumus. Sole demum ad Occasum vergẽte,ac vẽto leniter à terrâ spirante,omnes (me excepto) nauigium conscendêre:ego verò, quod vicarium Hierosolymitanum (qui in eum vsque diem in naui latuerat Venetâ) inuiserem, & ipsi discessum nostrum lætus annunciarem,vnà cum Arnicæ Guardiano ad Venetam nauem in proximâ statione hærentem,scaphulâ seu lintre perrexi, & Vicarium anhelantem discessum, vt res suas colligeret, quò commodiùs & tutiùs in alterum nauigium transponi & recipi possent, admonui: sub mediam quippe noctem adfuturos se cum nauigio comites, vt eum è naui liberarent, promiserant. Statâ itaque horâ, profundo noctis silentio accedunt comites, ac summâ cum difficultate, nec nisi quatuor tolerorum solutione vltra promissum naulum, voluisse eò accedere nauarchum referunt. Periculum idcirco in morâ rati, festinanter Vicarij sarcinas ex Venetâ in nostram transferri, recondique curamus. Mox Arnicæ Guardiano valedicto, Vicarius vnà mecum nauigium conscendit. Interim vnus è comitibus Lusitanus presbyter, vel nauigij paruitate terrefactus, vel itineris pertæsus, se febre correptum simulans, Venetam repetit, ac cœptum nobiscum continuare iter recusat;commodiorem se velle expectare, viribus recuperatis, transfretandi occasionem, asserens. Quid ei posteà contigerit, anne voti compos factus sit, vel in itinere defecerit, ignotum nobis hactenus. E Palæstinâ reduces, cùm Alapiam Syriæ vrbem venissemus, id vnum accepimus, Alexandriam Ægypti eum petijsse, hoc consilio, vt per Arabiæ deserta ad Montem Sinai pergeret, inde Palæstinam accederet, posteà in Cyprum renauigaturus. Dum verò à naui soluimus Venetâ, remisque propellunt nauigium nautæ, ad iactum vix lapidis progressis nobis, ecce Nauarchus nouas rursum molitur insidias: nimio se grauatum onere queritur, ac nolle se idcirco progredi. Adhæc strepitus ille edere, ciere turbam, obiurgare nautas, portum se repetiturum simulare, & nisi nouem aurei Veneti vltra promissum naulum numerentur, nunquam se altum petiturum minitari: nos contrà

demulcere verbis hominem, instare precibus, senos illi daturos aureos, vt institutum iter prosequatur, altumque petat, promittere. Precibus tandem promissisque placatus assentitur, velaque faciēs iter prosequitur. Vento autem placido lentè admodùm progredimur, vicinūque radentes littus, parum eâ nocte profecimus. Proximâ quippe luce octo duntaxat milliâ passuum, nec amplius, nos confecisse comperimus; turrique in aduerso littore conspectâ, è regione Chitti, seu Citti promontorij nos nauigare cognouimus. Locus is antiquissimâ vrbe, ac regiâ quondam sede celebris, etiamnum hodie ob viridaria elegantia, pomorumque aureorum & citreorum vbertatem, totius Insulæ præcipuus habetur. Inde ventis ad Aquilonem vergentibus vela in altum dirigimus: mox aurâ inualescente, Cyprus obtutibus nostris subtrahitur, nocteque sequenti, plenâ lucente lunâ, secundis velis ab alto iter peregimus.

Postero die, vndecimo Kal Octobris, è puppi sequentibus nos ventis, prosperè admodùm nauigauimus. Circa meridem terram eminus conspicimus: summa esse Libani montis iuga nautis referentibus. Sole ad occasum vergente, prospero ventorum flatu terram adnauigantes, Sidonem Phœnices vrbem præterlabimur; littusque Phœniciæ Tyrum vsque eâ nocte paulatim legimus.

CAPVT XVIII.

Vrbis Sidonis descriptio: in portum Tyri appulsus; ibidem mora, & trepidatio: Vicinorum Arabum in littore tripudia & lotio.

Strab. lib. 16 Plin. lib. 5. c. 19.

EST Sidon, Sait hodie, siue Saida Turcis, Mauris, Italisque appellata, vrbs Phœnices quondam opulentissima & celeberrima; in sacris quoque literis clara, ac Tyri æmula: quâ cum & vetustate, & nominis claritate diù certasse fertur; à Sidone primogenito Chanaan (vt Iosephus) vel à Candmo Phœnices fratre (vt alij autumant) condita, Thebarumque, Beotiarum parens, ad radices Antilibani, à quo vix mille passibus abest, iuxta mare in rupe quâdam, longitudine ab Aquilone sese in Austrum extendente, sita; cuius vtrumque cornu castris olim validissimis, sed collapsis hodie, & neglectis, munitum fuisse cernitur. Latronum speluncam, non vrbem dixeris; adeò suis ruinis horrida est, habitatore omni penè vacua, paucissimis Mauris, Truscisque exceptis. Portu quidem ditata insigni, & capaci, sed infrequenti. Solo gaudet opimo, & vbere. Agri circumiacentes aquarum riuulis & fontibus irrigui, mirâ fertilitate exuberant: incultos tamen plerosque nostrâ hac tempestate conspicias. Claruit olim, Christianâ

1. Antiq. 12. Hieron. in Quæst. Hebraic. super. Genes.

ſtianâ in Syriâ floreſcente religione, Epiſcopali ſede, Tyrenſi Archie- *Lib.16.*
piſcopo ſubiectâ. Fuereque Sidonij (vt Strabo refert) multarum o-
lim atque optimarum artium magiſtri, atque optimi in primis circa
Aſtronomiam & Arithmeticam Philoſophi. Bethus, Diodorus, alij-
que viri illuſtres, eodem teſte, hac oriundi. Baali ſiue Belo hîc diui-
ni honores habiti: cui & Ieſabel Sidoniorum regis filia, & vxor Achab *3. Reg. c. 16.*
regis Iſrahel, altaria erexit, ſacerdotes inſtituit, & ſacrificia obtulit; *& 21.*
virumque, vt idem faceret, induxit. Coluere præterea Sidonij Aſta- *Ioſeph. An-*
roth, & Aſtarten: quos & Salamon rex vxorum ethnicarum inſtinctu *tiq. lib. 8. c.*
adoraſſe legitur. In tantæ autem idololatriæ atque immanium ſcele- *7.* *4. Reg. c. 23.*
rum pœnam ſæpe variam deuaſtationem vrbis ſuæ (quam Hieremias,
Ezechiel, & Ioël prædixerant) experti ſunt. Nabuchodonoſor fame *Hierem. c. 57* *Ezech. c. 28.*
& peſtilentiâ domitam primùm cepit; dein Alexander Magnus; de- *Ioël. c. 3.*
mum anno poſt Chriſtum natum 636 Saraceni, quorum iugum plu- *Ioſeph. 11.* *Antiq 8.*
rimis ſæculis perpeſſa eſt: donec tandem à Balduino primo Hieroſo-
lymorum Rege Saracenis erepta, Chriſtianæ libertati reſtitueretur.
Succeſſu verò temporis collapſa, à Diuo Ludouico Gallorum Rege
anno 1250 denuò reſtaurata, ac præſidiario militi tuenda tradita, ad
annum vſque 1289 Chriſtianorum imperio paruit. Denique ſic per-
mittente diuinâ iuſtitiâ, à Saracenis rurſum occupata, Mamelucho-
rum durum paſſa eſt imperium: Quibus circa annum Domini 1517 à
Selymo Turcarum Imperatore extinctis, Oſmannico dominio cum
cæteris Phœniciæ vrbibus acceſſit: eique etiamnum paret. Haud pro-
cul ab orientali vrbis portâ, qua Cæſaream itur, ſacelli cuiuſdam ruinæ
ſuperſunt, eo (vt ferunt) loco, quo mulier Cananea pro filiâ ſuâ dæ- *Math. c. 15.*
moniacâ Chriſto ſupplicans exaudita eſt.

Secundo à Sidone lapide, Auſtrum verſus, haud procul à littore, *Ioſeph. 8. An-*
Sareptæ vrbis (quæ Hebræis Sarphat fuit) occurrunt reliquiæ; vbi He- *tiq. 13.* *3. Reg. c. 17.*
lias propheta à viduâ hoſpitio exceptus eſt, cuius hydriæ farina, Vatis *Lib. 9.*
promiſſione & beneficio, non defecit, nec lecythi oleum imminutum
eſt. Vrbs hæc à Chriſtianis Palæſtinam moderantibus Epiſcopali ſede,
Tyrenſi Archiepiſcopo ſubiecta, nobilis fuit.

Secundo à Sarepta lapide Auſtrum verſus Eleutherus fluuius ex Li-
bano monte in Ithuræam fluens, inter Tyrum & Sareptam medius in
mare illabitur. Ab hoc flumine Antilibanus initium ducit, & contra
Aquilonem vltra Tripolim ad oppidum Archis vſque ſeſe extendens,
triginta milliarium ſpatium abſoluit: à littore autem haud procul re-
cedit; quinimò multis in locis adeò ſe mari vicinum reddit, vt ab eo *Ioſeph. 13.* *Antiq. 7. &*
alluatur. Plinius teſtudinum multitudine eum abundare ſcribit. Ioſe- *8. Machab. 1.*
phus & ſacræ Literæ frequenter eius meminerunt. *c. 11, 12.*

Sub auroram inſequentis diei Tyri portum ingreſſi, iuxta vrbis mu-

ros anchoras iecimus; ſubſtitimuſque ibi toto eo die, noctéque proximâ; quòd portu egredi aduerſis ventis non tutum eſſe Nauarchus diceret. Interim tamen nec terram captare, nec deſertæ vrbis perluſtrare ruinas datum fuit; vetantibus id maximè Arabibus, in proximo degentibus: quorum metu perterritis, & ne dolos & inſidias ſtruerent, veritis, in Continentem deſcendere haud tutum nobis videbatur. Dum verò in portu hæremus, circa meridiem plurimi Arabum, tam viri quàm fœminæ turmatim ad littus accurrunt: dumque noſtro approperant nauigio, choros ſuo more ducere, tripudiare, altum canere, mox feſſos tripudijs, marinis aquis ſeſe immergere, ac ſe mutuo lauare; denique toto ſic corpore nudos, iam lotos lætoſque ad proximum collem arboribus conſitum properare; ibique aliquamdiu inter opacas arbores ſe occultare eminus conſpicimus. Attoniti inſolito hoc ſpectaculo, quod genus hominum eſſet, quid ſibi hæc vellent tripudia, lotiones, cantus, occultationes, à nautis ſciſcitamur. Illi Arabes eſſe, ac Veneri hoc modo operam dare ſolitos reſpondent. Gens hæc vaga, ſine ſedibus in tentorijs habitans, haud procul à Tyro in edito quodam colle caſtra fixerat. Horum mores & vitæ inſtituta alibi explicauimus. Poſt horam atque alterā, vbi nos iactis anchoris in portu ſubſiſtere cognôrunt, accurrunt ocyùs, & ex vrbis ruinis, (à quibus vix iactum lapidis aberamus) proclamant, longumque cum Nauarcho nautiſque ſermonem miſcent: eunt, redeuntque ſæpiùs, nouaque cum nautis colloquia inſtituunt. Quid tractent, quídve petant, dum à nautis quærimus; ipſi etiam admoniti & rogati nolunt indicare: quòd maximum ſanè nobis metum incuſſit, cum Nauarchum potiſſimùm, & nautas de dolo ſuſpectos haberemus. Eorum ſiquidem fraudem & fallaciam in multis iam ſæpius experti, ac dolis ſtruendis, parandiſque inſidijs id genus hominum aptiſſimum cognoſcentes, verebamur plurimùm ne rebus noſtris inhiantes, Arabibus nos proderent & venundarent, noſtraſque res omnes diriperent. Auxit hunc timorem parua ſcaphula, ſeu linter, quæ ſola portum nauibus vacuum ad ſecundam noctis horam ingreſſa, & lentè ac tacitè remis incitata, tanquam latebras quærens, protinus poſt vrbis muros ſe abdiderat. Id enim vbi animaduertimus, technas & dolos ſubeſſe veriti; haud abs re conſternato omnes fuimus animo: vel eò magis, quòd omni prorſus humanâ ope deſtituti, atque vndique barbaris circumſepti, planè inermes, & imbelles in alieno hæreremus ſolo; nec ipſis quoque nautis ſatis confideremus; adeoque nulla nobis euadendi ſpes reliqua fore videretur. Fracti igitur animo, quid conſilij capiendum, quídve agendum ſit, ignorauimus: tandem è neceſſitate virtutem parantes, diuino in primis implorato auxilio, vnico in extremis periculis neceſſitatibuſque

remedio,

remedio, ac tuto refugio, timorem soluimus: metuque omni deposito, vim vi repellere, si hostis adsit, statuimus; mortem potiùs oppetere parati, quàm viui in manus barbarorum venire. Impetus itaque Arabum in horas imò in momenta expectantes, defensioni nos paramus. Erat in fundo nauigij loco saburræ silicum ingens copia; ex ijs, dormientibus nautis, centena aliquot grandiora eruimus: his singulis diuisis, ac certo cuique assignato numero, idem de fustibus qui aderant, fecimus. Atque his demum telis, si accedant, latrones istos repellere stat animus. Circa tertiam noctis horam proclamant ex vrbis ruinis barbari, nullo à nautis, siue dormientibus, seu somnum simulãtibus, quòd forsan nos vigilare cognoscerent, dato responso. Nos verò iam iam adfuturos hostes rati, per integram ferè horam arrectis auribus stetimus; & quanquam neminem se loco mouentem, aut tentare accessum conspiceremus (nox enim sideribus illustris facilem prespectum dabat) impetum tamen repentinum veriti, stationem relinquere, & quieti nos dare, aut somnum capere, totâ eâ nocte nequaquam ausi sumus. Secus autem quàm opinabamur successit: nullo enim accepto damno, vt illuxit, piscatores Mauros fuisse ex nautis intelleximus: qui tamen an verum referrent, dubitationem vehementem nobis injecere; cum maximè præteritæ noctis illorum summum atque altum silentium fraudis suspicione nequaquam carere omnibus persuasum esset. Quia verò dum in portu hæreremus, nonnulla de opulentissimæ ac præclarissimæ quondam vrbis Tyri situ, conditione, ac facie à nobis obseruata sunt, lubet ea obiter hîc annotare.

CAPVT XIX.

Vrbis Tyri descriptio.

EST Tyrus omniũ Phœnices vrbium vetustissima: potẽtissima olim, *Isai. c. 23.*
& totius orbis nobilissimũ emporium, à Tyro Noëi nepote & Ia- *Gen. c. 10.*
phetis filio septimo (vt Berosus refert) paulò post diluuium condita: vt *Lib. 4.*
Quintus Curtius, ab Agenore: à Phœnice autẽ rege, Iosue Israhelitici *Ioseph. 8. Antiq. 3.*
populi duce, instaurata; Sidoniorũ dein sub Sãpsone colonia effecta, ab *Iustin Hist. lib. 18.*
ijs renouata, Hebræis Sor vel Zor, Gellio & alijs Sarra, Mauris Sur ho- *Lib. 5. c. 19.*
die vel Zur dicta; ambitũ (teste Plinio) 19 millia passuum habuit. Hæc multis casibus defuncta, & post excidiũ renata, nunc tandem diruta penitus, plena ruinis & deserta iacet: quinimo vsqueadeò deuastata & euersa est, vt desierit esse ciuitas; tantumque leuia pristinæ potentiæ vestigia in ruinarum magnitudine demonstrentur: ita vt non immeritò de illa dici possit, quod de magnis vrbibus Arcadiæ à quodam dictum olim fuisse refert Strabo: Magna ciuitas magna solitudo est.

Præter-

Præter arcus enim, fornices, dirutarum ædium parietes, turresque collapsas, ac mœnium reliquias, ruderaque immensa nihil est quod cernas. Communis quidem hæc vrbium Phœniciæ conditio est, cùm vel maiorum barbaries, vel bellicæ frequentes clades totam illā Phœnices oram, ac politissimam regionis faciem mutârint in ruinas deformes, atque horridas desolationes. Quod an rerum solitâ vicissitudine, quâ vetera quæque, magnifica licèt atque præclara fuerint, nunc intereunt, nunc noua resurgunt; eundem & ipsa quandoque finem consequutura: an verò irâ diuinâ, scelerum vindice, acciderit, nouit ille, cui nihil ignotum. Sanè constat Ezechielis vaticinio Tyrum ob nimium fastum, impietatemque euertendam aliquando. Sic enim per
c. 26. eum ait Deus; *In nihilum redigam te, & non eris; & requisita non inuenieris vltra in sempiternum.* Et alibi; *Negociatores populorum sibilauerunt super*
c. 27. *te: ad nihilum deducta es, & non eris vsque in perpetuum.* Et paulò post;
c. 28. *Dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.* Forma, quantum ex ruinis colligi licuit, sphærica est, trium circiter milliariū ambitus. Situ multùm amœna, rupi durissimæ imposita, olim insula; præalto quippe mari septingentis passibus (vt Plinius refert) vel iuxta
Lib. 5. c. 19. Lib. 4. Q. Curtium quatuor stadijs à Continenti diuisa, marinis fluctibus vndique circundata erat: quam propterea rectè in corde maris sitam, vr-
c. 26. & 27. bemque inclytam, ac perfecti decoris vocat Ezechiel. Hanc Nabuchodonosor Chaldæorum Rex post excidium Hierosolymitanum tre-
11 Ant. 13. decim annis (vt Iosephus scribit) arctissimè obsedit: sed cum arietibus, alijsque bellicis machinis muros quatere nequiret, hac spe capiēdæ vrbis deiectus, exercitum saxa prægrandia comportare imperauit: quibus mare inter vrbem & Continentem mediū impleret. Exstructo igitur aggere, machinisque mœnibus admotis, cum vrbem iam capiēdam Tyrij conspicerent, auro, argento, omnique supellectili præciosâ nauibus impositâ, vrbe fermè vacuâ relictâ, nouas sedes quæsierunt; & partim in Cyprum, partim Carthaginem, atque alij alias Ionij Ægeique maris insulas adnauigarunt. Capta denique, combusta, & fūditus euersa vrbs, septuaginta annis adeò desolata mansit, vt in derasæ vrbis planiciè piscatores retia expanderent & siccarent; quod & Eze-
c. 29. & 32. chiel prædixerat: *Et dabo te* (inquiens) *in lympidissimam petram: siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis vltrà.* Post septuaginta annorum desolationem restaurata, ac pristino nitori restituta, ducentis fermè annis floruit. Deinde vetusto Nabuchodonosoris opere, vel maris illuuie, vel Tyriorum industriâ destructo, ab Alexandro Magno denuò bello petita, & obsidione pressa, eiusdem regis operibus ex insulâ facta peninsula, rursum Continenti iuncta est. Is enim exstructis è lignis, seu cratibus, saxisque aggeribus, atque impletis freti angustijs, post septem mensium

mensium obsidionem eam cepit, diripuit & incendit totam. Agger ille successu temporis ita creuit, vt hodiè, quâ vrbi iungitur, sexcentos & amplius passus in latitudinem pateat, mari vtrimque alluente. Capacissimo & tutissimo quondam ditata fuit portu; cuius extrema latera mare versus ambibat magnæ molis agger, ex ingentibus saxis in mari prææalto fundatis, atque in crassissimum exsurgētibus murum; qui contra vndarum impetus procellasque tutam nauibus stationem redderet. Hodie maiori ex parte fluctibus obrutus, & continuâ maris agitatione corrosus, vix vllius vsus esse potest. Eius tamen ampla vestigia (quæ tranquillo interdum mari conspicienda sese præbent) ipsi, dum in portu hæreremus, conspeximus. Sunt autem qui veteris Tyri hæc reliquias putant; sed vbi nunc Tyri ruinæ spectantur, ea nouæ vrbis rudera esse existimant. Præter hunc portum est & aliud intra vrbis mœnia nauigiorum receptaculum, amplissimum quidem & tutissimum, triremium stationi accommodum. Id naues admittit angusto ostio, inter geminas vtrimque turres, ad vsum publicanorum portorium administrantium (vt multi opinantur) olim exstructas. Ostium catenâ ferreâ transuersâ claudi solere vero est simile, vt aditus exitusque nocturni præcluderentur. Hærent etiamnum sinistri lateris turri infixæ decem ingentes marmoreæ columnæ, ęquo interstitio diuisæ, ad ostij (vt puto) ornatum additæ. Fuit autem Tyrus magnificis quondam columnis, pyramidibusque marmoreis, atque alijs cùm publicis tùm priuatis ædificijs mirum in modum exculta: quorum plurima etiamnum vestigia supersunt. Nam præter muros altissimos, excelsasque turres, æquâ inter se proportione distantes, emicant inter cætera altissimorum parietum Cathedralis Ecclesiæ (in quâ Almericum regio ornatu nuptiarum solemnia celebrasse fama est) reliquiæ. Duo item iuxta orientalem portam egregij operis templa, magnâ tamen ex parte collapsa, & diruta: maius titulo Sepulchri Dominici decoratum, minus Diuo Ioanni discipulo Domini dicatum; vtrumque reliquijs multorum Martyrum sub Diocletiano passorum quondam clarum. In maiori, ponè Altare maximum, Magni Origenis corpus conditum ferūt. Federici quoque primi Imperatoris hîc (dum se lauare vellet) submersi, eo in loco quiescere ossa dicuntur. Extra portam orientalem prope mœnia exiguum visitur sacellum, vbi (vt multorum opinio est) mulierem clamasse sacræ narrant Literæ: *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti.* Luc. 11. Alij istius sacelli exstructionem aliò referunt, putantes ibidem extitisse lapidem illum, in quo Christū sedisse, & quieuisse sæpiùs à maioribus traditū est. Hunc autem à Christianis in summo honore habitum, & illæsum mansisse referunt: donec tandem anno salutis 1124. Veneti, post expugnatam vrbem, eum abstulerint; &

nauigio impositum Venetias asportârint, atque in æde D. Marci eximio loco collocârint; vbi etiamnum visitur, & à plerisque honoratur. Meminit huius lapidis Andreas Dandulus Venetorum Dux in suis Chronicis: qui etiam super eius residuum templum in honorem Saluatoris constructum refert. Fuere Tyrij quondam terrâ marique potentissimi, nauigationi, & mercaturæ vt plurimùm dediti, ac quasi vniuersi maris domini: homines vel maximè industrij, atque omnis generis artium & scientiarum peritissimi, & (vt Q. Curtius vult) qui primi aut literas docuerunt, aut didicerunt. Ob Tyrij quoque coloris pretiosissimi, & nobilissimi (quem alij purpureum, puniceum, vel phœniceum, nos ab vrbe hac Sarrâ *Scarlaecken* vel *Sarlaecken* vocamus) inuentionem, ac confectionem fuere celeberrimi. Peculiarem antiquitùs habuere regem, & opulentissimum: quorum in sacris Literis crebra fit mentio, præsertim regis Hyram, qui Salomone regnãte claruit, & ad Templi Palatijque regij ædificationem artifices & ligna cedrina è monte Libano ipsi transmisit. Cui Salomon reddere volens beneficium, præter olei, vini, & frumenti ingentem copiam, viginti oppida donauit: quæ ille vt perlustrauit, spreuit, terramque Chabul, id est (Iosepho teste) displicet appellauit. Vt autem Tyrij ante aduentum Christi, ac paulò post idololatriæ, alijsque nefandis vitijs summoperè addicti fuere; Iouem enim (quem Baal nominarunt) Saturnum, Herculem (cui nomini vrbẽ dicauerunt) & Astarten (quæ Romanis Pallas) coluere: ita post eius Passionem, Euangelio iam totâ Syriâ clarescente, virtutibus, ac veri Dei cultui planè se mancipârunt; atque inter primos Christianę fidei veritatem amplexi sunt; eamque intrepidè diuersis persecutionis temporibus confessi, proprio sanguine signârunt; infinitorumque pænè Martyrum relicto numero confirmârunt. Hinc etiam cùm posteà altiores Christiana religio radices egisset, vrbs ipsa Archiepiscopali sede decorata, totius Phœnices facta est metropolis; quatuordecim ciuitatum assignatis ipsi Episcopis. Vrbes quibus Archiepiscopatus præfuit, fuere Sidon, Ptolemais, Caiphas, Botris, Tripolis, Orthosia, Archis, Aradus, Fortosa, & Maraclea. Postà tamen, diuinâ sic disponente iustitiâ, anno à Christo nato 636 à Saracenis occupata, annis 488 eorum iugo oppressa mansit. Balduinus dein, eius nominis primus Hierosolymorum Rex, anno 1112. eam recuperare satagens, post quinque mensium frustra tentatam oppugnationem, obsidionem soluere coactus est. Balduinus autem secundus anno salutis 1124 per Guaremundũ Hierosolymorum Patriarcham eam ex infidelium manibus eripuit, & pristinæ libertati restituit. Copioso namque comparato exercitu, ac Venetæ in primis instructissimæ classis auxilijs, cùm terrâ marique eam Guaremundus obsedisset, ac

Lib. 4.
Plin. lib. 5. c. 19.
Strab. lib. 16.
2. Paral. 2. 8. 9
3. Reg. 9.
8. Ant. 3.
Q. Curt. lib. 4
Strab. lib. 16
Act. 11.
Euseb lib. 8. Hist. Eccles.
Niceph. lib. 7. Hist. Eccl. c. 7.
Tyr. Bel. sacr. lib. 11. c. 17. & lib. 13 c. 2. 23. & lib. 14 c. 12.
Tyr. Bel. sacr. lib. 11. c. 17.
Tyr. Bel. sacr. lib. 12. c. 24. 25. & lib. 13 c. 4. 5. 6 7. 9 10. 11. & 13 & lib. 14. c. 13, 14

ac diu multumque acerrimè oppugnasset; quinto tandem obsidionis mense, ciuibus fame eam dedentibus, occupauit. Venetis ob res bene gestas tertiâ vrbis parte permissâ, vbi suis ponderibus, mensurisq; proprijs vterentur, ac quæuis mercimonia immunes distraherent, additò etiam Prætorio, vbi iudicia in suos cùm ciuilia tum criminalia proprijs legibus liberè exercerent. Expugnatam ad hunc modum vrbem, rursum in Phœniciæ metropolim Balduinis erexit; sex (pro quatuordecim, quibus antea præerat) subiectis Episcopis. Fuere hi Sidoniensis, Acconensis, Caiphensis, Sareptanus, Porphyriensis, & Barutensis. Posteaquam verò annos circiter 165 in hoc rerum statu fuisset, Hierosolymorum Regibus à Sultano Ægyptio regno pulsis, rursum anno Reparatæ salutis 1289 à Saracenis post tertium obsidionis mensem, deditione à ciuibus factâ, occupata est: denique à Selymo Turcarum Imperatore Sultanico exstincto Imperio, deletisq; Mamelunchis, expugnata, vnà cum cæteris Phœniciæ vrbibus Turcarum ditioni accessit: quorum tyrannidem etiamnum patitur; abiecta planè, squalida, & suis quasi ruinis sepulta. Coloniæ eius (teste Curtio) pænè orbe toto diffusæ sunt; Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Magni nominis viri hac oriundi: inter cæteros Apollonius, Antipater, & Vlpianus celebris legum interpres; quod & ipsemet testatur, & Italici iuris priuilegio, atque immunitate ab Imperatoribus dotatam scribit. Dido etiam Beli filia, Pygmalionis Tyriorum regis soror, ex eâ originem habuit: quæ occiso à fratre viro suo Sichæo Herculis sacerdote, effossis clam thesauris, conscendens nauem, & fratris tyrannidem fugiens; cum ad eam Africæ regionem, quæ Zeugitana olim, hodie Tunisi regnum appellatur, appulisset; in ipso littore Carthaginem condidit, quæ posteà nobilissima Africæ vrbium, antiquæque Romæ æmula euasit. Cæterùm vbertate agrorum, situsque amœnitate nulli terrarum postferenda Tyrus. In colles arboriferos quippe, fructiferosque, ac latam planiciem vbique herbidam, virentem, & amœnissimam regio omnis distincta est; deserta licet & inculta hodie plerisque in locis spectetur. His de Tyro dictis ad nauigationem reuertamur.

Tyr. lib. c. 13. 14.

Hereld. Cont. Bel sacr. lib. 2 c. 2.

Lib. 4.

Strab. lib. 16.

lib. 1. ff. de Cens.

Iustin. li. 18.

CAPVT XX.

E portu Tyrensi discessus. Noua Nauarchi insidiæ. Ptolemaidis, Caiphatis, Cæsareæ Palæstinæ, aliarumq́ maritimarum vrbium, ac totius Palæstinæ littoralis tractus Ioppen vsque descriptio. In portum Ioppensem appulsus; atque ibidem mora.

NONO Kal. Octobris orto iam Sole Nauarchum anchoras vt eleuet, & è portu soluat, hortamur. Ille verò nauigare se ventis aduersis non posse respondet: vt enim ex præteritæ noctis molestiâ nos metu concussos cognouit, aduersos ventos simulauit, vt pauidos & mente consternatos magis magisque terrefaceret, & afflictis maiorem afflictionem adderet: id sibi persuasum habens, se aureos aliquot priùs nobis emuncturum, quàm discederet: vel eò magis, quòd in portu periculoso, atque Arabum in vicino littore hærentium infestationibus obnoxio, nos minimè velle subsistere, sed quiduis potiùs daturos, vt inde solueret, crederet. Nos verò, cognito eius astu & malitiâ (serenum siquidem erat cœlum, ac ventus satis prosper) primùm blanditijs, mox minis hominem aggredimur. Hæreat, inquimus, quamdiu velit in portu, nihil ad nos: satis annonæ nobis esse ad plurimos dies: ipse, quid è re suâ sit, videat: gratum quidem nobis futurum, si vela faciat, & ventis fauentibus nauiget; sin minus, nihil nos morari: id verò certò sciat, si per ipsum stet, quominus iter prosequamur, & ipsum annona deficiat, ne vel particulam quidem panis, vel guttam vini se suosque à nobis accepturos: contrà verò, si portu egrediatur, victum omnem se suosque ex voto Iaffam vsque à nobis consequuturos. Victus tandem, siue minis siue precibus, aut promissis, vbi nos sine metu esse animaduertit, anchoras erui, ac vela flatibus dari imperat. Placido igitur vento portu egredimur, ac Tyri mœnia præterlegentes, nil nisi immensa rudera, lapidumque aceruos passim conspeximus.

Paruo quasi confecto milliario, decidentium aquarum strepitus, ac murmur ingens nostris obstrepit auribus. Vnde aut quales hæ aquæ sciscitamur à nautis: illi fontes esse propè aiunt, è vicino monte tanto impetu scaturientes, vt statim vi ac rapacitate aquarum molas aliquot circumagant, moxque in mare deferantur. Celebris hîc locus est, Puteus aquarum viuentium dictus; cuius in Canticis sæpè meminit Salomon. Continet autem (vti nobis retulere nautæ) fontes seu fauces quatuor amplissimos, quadratâ formâ, muro è saxo durissimo circundatos; è quibus varij deducuntur aquæ ductus, & riuuli, totam fere

Tyri

Tyri planitiem, agrosque vicinos irrigantes, ac fœcundantes.

Primo à fontibus milliario Sandalium castrum in ipso littore occurrit, quod ab Alexandro Magno conditum, & ab eo Alexandrium, Arabicè Scandarium appellatum, posteà à Balduino primo Hierosolymorum rege, cum Tyrum obsideret, restauratum, Sandalium dici cœpit: fuitque à dicto Rege traditum custodiæ quorundam Gallorũ, quos & nobilitauit, & Sandalino cognomine insigniuit. E quorum prosapiâ originem ducere non obscurè putauerim insignem nostræ Batauiæ familiam Sandalinũ nomine, viris aliquot dignitate & nominis claritate nostro sæculo percelebrem. Olim quidem illud munitissimum extitit Castrum; nunc verò desertum & dirutum penitus, situm est in agro peramœno, fontibus & riuulis irriguo, atque vberis soli. *Tyr. Bel.sacr. lib. 11.c.30.*

Haud procul inde in ipso littore turris quadrata spectatur, *Nacora* nomine, recens à Turcis ad piratas arcendos, tutandumque littus exstructa.

Dum sic fœliciter progredimur, ventoque placido sulcamus vndas, iamque monti Saron vicini sumus, Nauarchus rursum nouas insidias parat: & vt erat versutus, & in fallendo exercitatus, ad eliciendam denuò pecuniam, impiam fraudem comminiscitur; esse è nostris (inquit) Hebræum quendam, atque Acrim propterea velle adpellere, vt exeat, non enim, Christianus cum sit, cum Hebræo, Christianorum hoste, se portum Ioppensem accessurum. Obstupescimus omnes, ac subitâ re perculsi, vnde hæc illi nata opinio, à nautis quærimus: obiectum crimen negamus, Christianos esse omnes, Hebræum neminem, constanter asserimus. Mirari idcirco, quis illi tam insignis commenti author fuerit. Vbi Iaffam nos conduxerit, experimentum faciat. Quod si, vt autumat, nos falsa dixisse comperiat, non defuturam vtique occasionem, quo dignam de nobis sumat pœnam. Si tamen Acrim adpellere persistat, faciat quod è re suâ futurum putet: nos causam communem defensuros. Vt autem constantes nos esse, nec hæsitare quippiam animaduertit, mutato consilio, Cypri id sibi pro certo relatum esse inquit: velle tamen nobis fidere, ac rectà Iaffam petere. Pergimus itaque, ac montis Saron costam, pagumque Zis Mauris dictum, placido vento præterlabimur. Circa quartam diei horam prosperi à puppi sequuntur nos venti Aquilones: ijsque spirantibus Acræ cuspidem, montemque altissimum, quem Scalam Tyriorum Iosephus vocat: mox horâ quasi meridianâ Acrim, à Tyro viginti millia passuum dissitam præter vehimur.

Vrbs hæc à Syriæ Regibus Demetrio & Ptolomęo frequentata, prius Accho, siue Aco, & Cod. Straboni Aca dicta, Ptolomaidis posteà nomen sortita est: dein Claudij Cæsaris colonia effecta, sed nomine *Hieron. in loc Hebr. lit. A. Lib. 16.*

mine tantum, non re, vt Vlpianus putat, nunc Acri, & Accon nomen obtinuit; fuitque olim celebris Phœnices vrbs, & Strabone teste, magna ciuitas. Formam habet triangularem: cuius bina latera mare alluit; tertium planitiem respicit, muris & antemuralibus cincta, portis, turribus, fossisque munita, collapsis tamen hodie, & neglectis. Portu ditata capacissimo, tutissimoque, mœnibus partim incluso, vrbique vtilissimo, vel eò magis, quòd tranquillam nauibus præbeat stationem; vnde etiamnum totius Palæstinæ præcipuum est emporium. Hac (vt Strabo refert) Persæ receptaculo contra Ægyptios vtebantus; quam posteà Alexander Syriæ Rex Antiochi Nobilis filius occupauit, & in regni sedem elegit; nuptiasque hîc cum Cleopatrâ Ptolomæi Regis Ægypti filiâ celebrauit. In Mahometæorum dein potestatem duce Haomero anno salutis 638 delapsam, ac multis sæculis ab ijs possessam; Balduinus eius nominis primus Hierosolymorum Rex, Genuensium auxilijs, & classe septuaginta nauium rostratarum adiutus, post viginti dierum oppugnationem, ciuium deditione recuperauit; & Christianæ libertati restituit, templis item ac turribus mirificè decorauit. Genuensibus pro præstitâ operâ vectigalium parte permissâ, ecclesiâ quoque, & vico, vbi plenam iurisdictionem perpetuò haberent, donatis, assignatisque pro cuiusque merito prædijs & domicilijs. Post multa tandem annorum curricula à Saladino Ægypti & Syriæ rege recepta, atque iterum à Philippo Adeodato & Richardo Angliæ Rege, post tertium obsidionis annum Christianis reddita: deniq; anno 1291 à 190000 Saracenis violenter expugnata, & incendio absumpta; postmodum tamen à Mameluchis restaurata; ijsque tandem exstinctis à Turcis subacta, Osmannico Imperio addita est, cui etiamnum paret. Superest ex veteribus ędificijs peringens & magnificum templum Diuo Ioanni quondam sacrum: cui adiuncta hæret præalta turris; longè adnauigantibus conspicua. Muscarum turrim olim vocatam nonnulli autumant; vel ideo fortassis, quod Beelzebus Muscarum Dei fanum ibi extitisse opinio sit: alij tamen Pharum & speculam (quod magis crediderim) fuisse putant: vnde ad indicanda vada nocturno tempore aduenientibus nauibus lumina exhibebantur. Visuntur prætereà aliæ multæ hîc vetustæ turres, partim collapsæ, partim ruinosæ: quæ nihilominus etiamnum pulcherrimum eminus prospectum præbēt, atque vrbis magnificentiam ostentant. Frequens huius vrbis in sacris Literis fit mentio. Hic Ionatas Machabæus purpurâ indutus latus regis Alexandri in nuptiarum solemnitate clausit. Eandem postea ingressus perfidè à Ptolemensibus captus est, ac mille Iudæi, qui cum eo intrauerant, interfecti. Hîc Paulus Apostolus Tyro veniens diem integrum

Lib. 1. ff de Cens. — *Lib. 16.* — *1. Mach. 10.* — *Tyr. Bel. sacr. lib. 10. c. 28* — *Herold. Cont. Bel sacr. lib. 1. c 7. & lib. 2. c 11. & lib. 5. c. 6. 7. & li. 6 c 7. 10.* — *Herold. Cont. Bel. sacr lib 2 c. 9 & lib 4. c. 13.* — *1. Mac. 5. 10 11. 12. 13. 2. Mach. 13.* — *Act. 21.*

grum apud fratres egit. Christianâ postmodum fide in Syriâ propagatâ, Episcopali sede Tyrensi Archiepiscopo subiecta claruit. Adiacet vrbi Ortum versus planities perampla, & fertilissima, fontibus irrigua, vineis, hortisque cultissima; quam torrens Belus à Galilæa ortum trahens, secat mediam; atque vrbem præterfluens in mare labitur. Id ab Acri cuspide ad Carmeli montis vsque promontorium sinum efficit, hemicycli formam referentem, latitudine millium passuum duodecim; quem nos recto tramite traiecimus, & relictâ ad læuam Ptolemaide, & Caiphâ oppidulo, Carmelum versus vela direximus: cuius extremum cacumen (quod rostri instar longiùs in mare se porrigit, distatque ab Acri octo circiter millia passuum) haud ita multò post attigimus. Inde crescente vento, Castrum Peregrinorum, Atrit, & Cæsaream Palestinæ felici nauigatione, turgidisque velis paucis horis præterlapsi sumus. Tyr. Bel. sacr. lib. 13. c. 2.

Circa vesperum, languescente vento, parum profecimus: nec enim cuspidem proximam, distantem à Cæsareâ decem millia passuum, eo die (vti sperabamus) attingere potuimus: irruentibus namque tenebris, vix quinque millia passuum absoluere datum fuit. Itaque ne in littus parum cognitum impelleremus, ad quintum supra Cæsaream milliarium, quinquaginta millia passuum eo die emensi iter, subsistimus; atque anchoras iuxta littus loco sanè incommodo iacere cogimur; vbi multo cum tædio totâ nocte consedimus: exposita quippe aperto mari nauicula, à salientibus vndis in latera impingentibus, quandoque etiam superantibus, mirum in modum, ac velut ebria agitabatur: nos verò sursum deorsumque iactati, & ex immodicâ nauis agitatione conquassati, non solum corpora languida cibo aut quiete non refecimus, sed & totam noctem insomnem traduximus. Ne verò memorata loca silentio prætereamus, ea quæ de ijs nobis innotuêre, quæve obseruatione digna duximus, paucis subjiciemus.

Caiphas olim ciuitas Episcopatu nobilis, à Caiphâ pontifice eius conditore (vt quidam volunt) sic dicta, olim Porphyria, & Porsina, vt Tyrius putat, hodie Casas Turcis Maurisque appellata; nunc oppidulum, seu humilis potiùs & ignobilis pagus, ad radices Carmeli ab aquilonari latere in interiori sinu iuxta littus situm habet; à Carmeli extremo cuspide quatuor distans milliâ passuum, totidemque ab Accone. Iuxta fluit, atque in mare se exonerat torrens Cison. Is ex monte Thabor scaturiens, in duos mox diuisus riuos, quorum alter Ortum versus in mare Galileæ labitur, alter ad Occasum mediam Galileæ 3. Bel. sacr. c. 14. & lib. 10. c. 6.

planitiem

planitem iuxta Naim oppidum perlabens, multiſque auctus riuis, tandem iuxta Caipham mari miſcetur.

Ioſ. c. 19. Carmelus mons Hebraicè Charmel, mons eſt excelſus valdè, mari imminens, glebæ olim fortunatiſſimæ, & vbique cultiſſimus, vitibus, oleis, arbuſtis, fructiferiſque arboribus, atque herbis odoriferis nobilis: nunc contrà totus ſterilis, incultus, dumis, vepribus, aliјſque arboribus infructuoſis horridus. *3. Re. 18.* In ſacris Literis Heliæ frequentatione in primis celebris eſt. Hic namque Baalis pſeudoprophetas, numero 850 ad iudicium vocatos, præſente Achab rege, & idololatriæ conuictos neci dedit. Cum enim illi nequicquam cultris ſe dilaniantes idolo immolarent; ille Deum Iſrahel, igne cœlitus demiſſo, verum eſſe Deum comprobauit: tandemque ad vnum omnes perdidit. Hîc fugiens Ieſabelem vxorem Achab, longo tempore latuit. Pluuiam hac largam, cum regnum Iſrahel nimiâ ſiccitate, ſterilitateque diu multumque laboraſſet, poſt longas preces à Deo impetrauit. Carmelitarum ordinem ab hoc monte originem & nomen ſumpſiſſe authore Alberto Patriachâ Hieroſolymorum circa annum ſalutis 1200 nonnulli autumant. In occiduo montis cliuo Caſtellum viſitur dirutum; iuxta quod eſt vetuſti operis templum, Diuæ Virgini (vt volunt) dicatum; hodie ruinoſum, & derelictum. Haud procul inde in montis decliuitate aliud quoque extat templum Diuo Eliæ prophetæ dedicatum: vbi eum latitaſſe, atque etiamnum eius ſpeluncam oſtendi ferunt.

Atrit olim oppidum in ipſo littore poſitum, angulum ſeu cuſpidem in mare eminentem efficit; diſtatque à Carmelo decem milliâ paſſuũ, hodie funditùs dirutum, & ſolo æquatum, nil præter nudum nomen, & vetuſtæ turris reliquias retinet.

Tyr. Bel. ſacr. lib. 10. c. 26. Caſtrum Peregrinorum, aliàs Petra inciſa, Mauris *Tortora* dictum, decimo milliario ab Atrit poſitum, cuſpidem in mare ſe extendentem occupat, foſſiſque à Continenti diuiſum, ac marinis fluctibus circundatum, inſulam efficit; formamque refert quadrangularem, muris vndique cinctum, ac quinque turribus exornatum, quarum quatuor totidem angulos occupant, quinta excelſior cæteris medium arcis tenet. Hanc inter ſcopulos Comes Toloſanus Raimundus, regnante Balduino primo, ad Peregrinorum ſecuritatem exſtruxit. Hodie tamen neglecta, ruinoſa, & habitatore vacua cernitur. Iuxta hanc idem Balduinus in prædones in inſidijs latentes irruens, ab vno, caſu in regem vibrante iaculum, pænè morti traditus eſt.

Ioſeph. 13. Antiq. 18 21 & 14. Ant. 5 & 15. Ant. 10 12. Tyr. Bel. ſacr. lib. 10. c. 15. Cæſarea Paleſtinæ, prius Πύργος, hoc eſt Turris Stratonis appellata, ab Herode rege poſtmodum reſtaurata, Cæſareæ nomen in honorem Auguſti Cæſaris obtinuit. Veſpaſianus poſteà deductâ eò coloniâ, Flauiam nuncupauit. Vrbs fuit quondam maxima, opulentiſſima, & potentiſſima,

potentissima, ac totius Iudeæ propugnaculum munitissimum: cuius antiquæ magnificentiæ, splendoris, ac potentiæ facilè fidem faciunt ingentium templorum, turrium, atque è marmore ædificiorum regiorum amphiteatri, & theatri, aliorumque operum amplissimorum ingentes ruinæ, & perampla vestigia. Hodie tamen suis ferè ruinis sepulta, deformis tota, squalida, & deserta penitus iacet. Mare mediterraneum, in cuius littore sita est, ab Occidente respicit; ab Ortu paludem aquarum dulcium habet. Portum ad vrbis ornamentum & defensioné regio planè opere, & magnis sumptibus Herodes exstruxit, & in honorem Augusti Sebasten vocauit: cuius etiamnum aliqua extant vestigia. Hîc Cornelius centurio cum totâ suâ familiâ à Petro Apostolo primus ex gentibus baptizatus est. Hîc Philippus diaconus Paulum hospitio excepit. Hîc Agabus Propheta Zonâ Pauli seipsum ligauit, eumque Hierosolymis in vincula conjiciendum prædixit. Hîc causam publicè coram Herode Agrippa & Felice Præside Paulus dixit; ac post diuturna vincula à Festo Præside ad Cæsarem appellauit. Hîc Agrippa, dum quinquennalia celebraret, & ad populum concionem haberet, neque adulatorum voces, Deum eum esse dicentium, reprimeret, ab angelo percussus interijt. Christi fidem amplexa Episcopatu claruit. Posteà à Mahometæis subacta, ijsque denuò à Balduino primo, Genuensium auxilio erepta, & vi capta; ac Christiano cultui restituta, rursum Archiepiscopali sede decorata est; ac viginti sub se Episcopos habuit. Post varios tandem casus Turcarum Imperio addita, etiamnum horum tyrannide premitur.

Ioseph. Ant. 15. c. 10. & Ant. 17 c. 6. & 1. Bel. c. 20.

Act. 10.

Act. 21.

Act. 23. 24. 25. 26.

Ioseph. 9. Ant. 7.

Act. 12.

Tyr. Bel. sacr. lib. 10. c. 15. 16.

Octauo Kal. Octobris, horâ antelucanâ, anchoris receptis, placido spirante vento, vela in altum dirigimus: Castrum interim Nefisum littori proximum præterlegentes. Locus is apud Turcas Maurosque in summâ veneratione est: Messitam siquidem ibi habent ab accolis summoperè frequentatam. Vrbem Capharsalama hoc loco quondam extitisse quidam volunt; quæ postea ab Herode Rege restaurata, & in honorem Antipatri patris Antipatrida dicta; Hieronymi demum temporibus Assur vel Arsur dici cœpit. Huc Paulus Apostolus, centũ & septuaginta stipatus militibus, Hierosolymis captiuus deductus est, Cæsaream inde ducendus ad Præsidem; coram quo causam suam dicturus sisteretur. Hanc Balduinus primus Hierosolymorum Rex, Genuensium adiutus classe, terrâ marique obsedit, ac ciuibus eam dedẽtibus cœpit, & Christiano cultui restituit.

Tyr. Bel. sacr. lib. 10. c. 14. Hieron. ad Eustochium

Act. 12.

Peractis ab alto duodecim circiter millibus passuum, adlęuam vertentes proram; terram versus nauigamus: paulò post optatam dudum Iaffam (olim Ioppen) eminus conspicimus, læti admodum, ac mirè hilares, quod iam medium peregrinationis laborem ferè superassemus.

mus. Inde sensim terræ continenti appropinquantes, circa quartam postmeridianā horam in portum inuehimur: mox summâ lætitiâ demissis anchoris, flexis genibus hymum *Te Deum Laudamus* pro more concinimus, debitasque Deo Optimo Maximo, quòd tot tantisque laboribus, periculis, & ærumnis defunctos, saluos & incolumes ad desideratum perduxisset portum, gratias egimus. Quibus ritè peractis, Vicarius Hierosolymitanus Minoritatum Dux ex nautis quēdam Ramæ ad ordinarium Hierosolymitani monasterij interpretem Attellam nomine cum literis misit, hoc ei iniuncto onere, vt veniâ in Continentem descendendi à Ramæ Cadio impetratâ, confestim ad nos rediret; ducesque itineris securitatis causâ adhiberi solitos, itemque Mucharos secum adduceret: non enim sine comitatu cuiquam pede terram contingere tutum est. Redit proximâ luce nauta, interpretem Damascum profectum renunciat: nec mora, alius statim Hierosolymam mittitur, qui Guardianum Monasterij S. Saluatoris de nostro aduentu certiorē faceret, de absentiâ interpretis Ramensis nunciaret: instaretque vt quā citissimè aliquis ex Bethleemiticis interpretibus ad nos mittatur, qui è nauigio nos liberet. Interim toto triduo (nec enim citiùs qui missus fuerat reuertebatur) in portu hærendum fuit. Maritimo autem itinere à Cypro Iaffam vsque, atque etiā cùm hîc in portu subsisteremus, multa nocturni frigoris, & aëris passi sumus incommoda, gelidi præsertim roris; qui multò spissior in Orientis partibus cadit, quàm in nostris: cum etenim aperto nauigio sub dio dormire cogeremur, adeò singulis noctibus rore conspersi fuimus, vt pluuiâ potiùs madidos, aut aquis immersos dixisses: ex quā re maiorem ego quàm cæteri capitis offensam passus sum. Accessit deinde grauius malum, supremum mihi vitæ minitans periculum. Septimo namque Kal. Octobris, cum ex nostris nōnulli natandi causâ sese in portu marinis aquis immisissent (est autem portus vadosus plurimis in locis, & scopulis vt plurimùm obsitus) ego quoque aliorum exemplo & suasu allectus, quòd putarent aquæ salsedine crurium scabiem, ex itineris incommodis, cibi item, potusque varietate contractam, tolli posse; natandi imperitus, iuxta scopulum sedi nudus, crura vt abluerem, placido interim spirante vento, sole alioquin ardentissimo, nullum verò inter lauandum sensi calorem: mox in somnum resolutus, per horam atque alterā in ipso scopulo obdormiui: expergefactus pellem crurium, dextri præsertim, ab imo pedis ad supremum vsque femoris ex Solis ardore contractam, turgidam, rubescentemque comperi. Paulò post in nauigium à nautis delatus, dolorē auctum sensi, quo indies crescēte, tertio die pedibus insistere nequiui. Terrestri denique itinere, dum Hierosolymam proficiscimur, vehementi Solis æstu adeò vtrumque intumuit crus, vt inflatum vtrem dixisses:

xiſſes:tumore verò in ſaniem & pus paulatim abeunte, ſummos dolores paſſus ſum:vbi Hieroſolymam venimus, in febrem præterea incidi, ac toto quatriduo cruciatibus immenſis conflictatus, morbo pœnè confectus ſum. Sed cùm Minoritarum pharmacopœus debita remedia adhiberet, venamque mihi incideret, diuinâ in primis opitulante manu factum eſt, vt putridâ illâ materiâ matureſcente, ac pelle fatiſcente, ſanies erumperet, ac febris me derelinqueret. Atque ita poſt dies aliquot priſtinam ſanitatem recepi.

Vnicam è genere Caramuſſalinorum in portu offendimus nauiculam, quæ paulò antequàm nos, eò Tripoli Syriæ aduenerat. Huic ſeruitorius erat lembus, nobis nullus, quo in Continentem deportaremur. Id cum animaduerteret illius nauigij ſcriba, natione Græcus, & Italici idiomatis peritus; vbi nos Venetos eſſe intellexit, ad nos venit; Venetorum ſe ſubditum eſſe, ac Zacyntho oriundum, ait: vltroque operam ſuam omnem nobis offert; deque annona in proximo littore comparandâ curam ſuſcipit. Tametſi enim in Cypro abundè nobis de plurium dierum commeatu prouiſum eſſet, quia tamen Nauarcho, & nautis toto itinere victum ſuppeditaſſemus, ac Turcis Mauriſque, dum in portu hæreremus, captandæ beneuolentiæ ergo reliquum impartiti eſſemus, annona nobis defecerat, nihilque eduliorum reſtabat. Itaque ſcribæ huius operâ nos ſubleuante, omnium neceſſitatibus ſubuentum ilicò fuit. Nam ille præter panem, aquam, fructuſque recentes, etiam piſcatorem ad nos adduxit, magnos ac varios piſces venales habentem; quorum quinquaginta libras (penſi ſiquidem in Palæſtina piſces veneunt) tribus libris Venetis, quæ viginti quatuor ſtuferos noſtræ monetæ æquant, emimus. Vili ſanè pretio: nam Venetijs tribus vt minimum aureis conſtitiſſent.




IOANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARII HIEROSOLYMITANI ET SYRIACI

LIBER SECVNDVS,

Peregrinationem enarrans in Palęstinam.

CAPVT I.

E naui in littus Iaffense descensus. Iaffæ seu Ioppe descriptio. Iter Ramam vsque: & vrbis Ramæ delineatio.





TERTIVM iam diem in portu hęrentes, nautæ expectamus reditum, quem ad Guardianũ montis Sion interpretis euocandi gratia, Minoritarum vicarius Hierosolymam amandauerat. Is quinto Kal. Octobris primâ ab ortu solis horâ ad nos redit, cum Bethleemitico interprete *Stayâ* nomine, ac *Mousâ* quodam Ramensi, Christiani ritus vtroque. Hos à Guardiano Hierosolymitano missos, vt è nauigio nos liberent, nunciat. Interpretes nauem ingressi, adesse duces, atque in promptu esse asinos, mulasque, quibus Ramam veheremur, referunt: itineris enim duces, quo securius iter foret, & *Mucharos* (Agasones & asinorum aliorumque iumentorum seu animalium baiulantium actores hi sunt) secum adduxerant. De efferendis igitur sarcinis agitur, curante *Mousâ*: quibus è nauigio in lembum transpositis, atque in proximum littus iuxta vetusti fornicis ruinas delatis, nos quoque in Continentem descendimus; fornicem ingressi proximum, quo commodiùs Solis æstum euitaremus: statimque in genua procidẽtes, Teramque Sanctam exosculati, supplices Deo reddimus preces. Is enim Peregrinis Christiani nominis, Catholicis pręsertim mos est: qui hoc humilitatis actu, confessi priùs, & communicati, plenam peccatorum indulgentiam (à summis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus concessam) consequuntur.

Hæsimus in littore per horam atque alteram, *Emini* vicarium, cæterosque *Caffararios* expectantes. His etenim & vectigalia, & cafarri, cùm rerum, tum personarum, antequam itineri nos committere liceret, persoluendi erant, Vicarius is Samaritanus natione, professione Hebræus; Turcarum more vestitus erat, & capite quidem pileo è panno rubro, nõ vti cæteris Orientis Hebræis mos est, sed formâ tereti atque rotundâ, instar Tulipanthi Turcici. Vbi accessere *Caffararij*; de pretio pro capitum redemptione, & vectigalium solutione pro sarcinis agitur. Post plurimas rixas contentionesque, semiducato pro singulis, pro sarcinis verò, quæ ad minoritas spectabant, sex ducatis Venetis Emini vicario numerandis, pactum fuit. Cum *Caffararijs* pro caffarris cùm rerum tum personarum duobus, totidemque cortesijs· sic enim gratuitum donum vocant. Adhæc Turris custodi, & *Emini* famulo maidini deni numerati sunt. Quibus omnibus solutis, à barbarorum molestijs liberamur. Ne verò quæ de Iaffæ situ, facie, conditioneque hodierna nobis innotuerint, silentio prætereamus, paucula hæc, priusquam iter prosequamur, subiungere visum est.

IAFFA seu Iapho, Ioppen dixere veteres, antiquissima Iudeæ ciuitas iuxta littus maris à Iaphete Noëi filio ante Diluuium condita; vrbs quondam fuit frequentissima, atque ampla, vt & rudera peringẽtia, & dirutorũ ædificiorum ruinę amplissimæ, quæ in editum lapidum aceruum, atq; eminentẽ cliuum exaggeratæ, & coaceruatæ sunt, id facilè testantur. Sita in edito promontorio, distat à Cæsareâ Palæstinæ triginta millia passuum, ab Hierosolymis quinquaginta: portu quondã Iudeæ nomine, tutissimo quidẽ, licet paruo, nobilis: in quo olim ligna Libani, aliaque ad Templi ædificationẽ necessaria ratibus applicuere. Is nunc arenosus, & multis in locis vadosus, minoribus tantum nauigijs non caueatis, vsui est: angustum habet ostium, atque aditu difficile, & periculosum; quod vix nisi Aquilonari vento subeas. In sacris Literis præclaræ huius vrbis crebra fit mentio, estque Petri hospitio apud Simonem coriarium, & miraculis memorabilis. Tabitam hîc ad vitam reuocauit, viros Cæsareâ à Cornelio centurione angeli monitu missos suscepit. Hîc idem Petrus extra se raptus vidit vas instar lintei magni, è cœlo in terram demissum, quadrupedibus, serpentibus, & volatilibus cœli refertum, audiuitque vocem de cœlo dicentem sibi: *Petre, occide & manduca.* Hic Ionas nauem intrauit, cum fugeret à facie Domini in Tharsis. Hic Iudas Machabæus portum succendit, scaphas exussit; & qui ignem effugerant, gladio peremit; vt Iudeos à Ioppitis fraude submersos vlcisceretur. Hac tempestate adeò deuastata est, vt ciuitatis faciem omnino amiserit; adeoque lapidum potiùs congeries, quàm ciuitas dicenda sit. Tres solum fornices ex tot tantisque veterum ædificijs in ipso littore reliqui & semiduruti supersunt: turris item his contigua, & mœnium pars exigua, è saxis quadratis: reliqua collapsa omnia, & in cinerem versa. E fornicibus duo Mauris stabuli & habitationis loco sunt: in ijs quippe cõueniunt interdiu, & domiũt noctu: tertius ad Emini vsum occlusus est. Littus sub vrbis ruinas emporij loco indigenis seruit: segetes enim hic ac fruges, fructusq; recẽtes ex vicino solo, aut è proximis maritimis vrbibus huc aduecta, Mauri quotidie venũ exponũt. In ruinarũ fastigio duę quadratæ formę & pinnatæ prominẽt turres, nouiter exstructæ, Italorũ peristrophijs nõ absimiles, bõbardis & custodibus ad littus tutandũ munitæ, viginti fortè passus ab inuicẽ distãtes: quibus proxima est cisterna aquæ frigidæ & optimæ, aduenis in portu hærẽtibus sũmo vsui. Portum (quãtũ visu colligere licuit) manu factũ, atq; inter scopulos excauatũ existimauerim; opinionis meæ hãc causam habeo, quod totus ille tractus portũ ambiens, qui à meridie præsertim & Occidente ab vndarũ impetu procellisque interna tutatur, & securã nauibus stationem reddit, non ex congestis arte saxis fabricatus sit, vt multi errore ducti autumant; sed

Ios. 19.
Plin. lib. 5 c. 13.
Strab. lib. 16
2. Paralip. 2.
Act. 9. 10.
Ion. 1. & ibi Hieron.
1. Mach. 10. 12. 13. 14.
2. Mach. 12.

ſed ex perpetuâ conſtet rupe: quæ, quâ parte Occidentem reſpicit, continuâ maris agitatione, & fluctuum impetu concuſſa, multis in locis corroſa & perforata conſpicitur: quâ verò Meridiē ſpectat, cum amplior ſit ac latior, nec tam vehementi vndarum percuſſioni obnoxia, integrior minuſque læſa remanſit. Horrea meridionalibus his ſcopulis (complanatis vt plurimùm) quandoque fuiſſe impoſita opinio eſt. Amplum ſiquidem planumque locum, mercibus deponendis cuſtodiendiſque accommodum exhibent. Atque ita ſe rem habere, non leui argumento ſunt exciſæ in ijs columnæ aliquot, quibus rudentes
Strab. lib. 16. alligari ſolent: quarum vnam atque alteram, dum in portu me laua-
Pli. l. 5. c. 13 rem, me conſpexiſſe memini. Monſtrantur in ipſo littore iuxta portum ſaxa quædam ac rupes prægrandes, ad quas Andromedam à belluâ marinâ deuorandam, niſi Perſeus illam liberaſſet, cathenis alligatam ferunt. Sæpiùs direptionem & excidium paſſa eſt vrbs hæc. A
1. Mach. 10 12. 13 14. 15 Machabæis namque aliquoties occupata, à Romanis bis capta, & fū-
2. Mach 12 ditùs exciſa; à Gallis etiam (quamuis turribus tunc & muris validiſſimis
Egeſip. lib. 2. c 14 munita) expugnata, & Mahometæis erepta; rurſum ab ijſdem recu-
Tyr. 10 Bel. perata, denique à Turcis ſubiugata, etiamnum his ſubiecta manet.
ſacr. 7. 18 21. Chriſtianis Palæſtinam moderantibus, Epiſcopali ſede & comitatus titulo nobilis, diu claruit. Cuius titulo in hunc vſque diem patritius quidam Venetus ex illuſtri familiâ Contarena donatus, & vulgò *Conte del Zaffo* dictus, inter equites auratos Venetos primas tenet. Atque hæc de Iaffæ vrbe ſufficiant: iam iter proſequamur.

Solutis Emino vectigalibus, Caffararijs item ex voto ſatisfactis, clitellarios conſcendimus aſinos: nam in equis iſtac iter facere, aut ſellis vti, Chriſtianis nefas eſſe putant. Aſinis nulli erant ſtapedes; nonnullis etiam nullæ habenæ: quâ de re à Vicario Hieroſolymitano itineris duce præmoniti, priuſquam nauigio exiremus, quiſque ſibi par ſtapedum ex funibus aſſeribuſque, quo in itinere vteretur, confecerat. Cœptum itaque carpentes iter, præcedentibus in equis itineris ducibus, Emini nempe Ramenſis filio, Arabum duce, & Genizaro milite, acinace, haſtâ, & clypeo armatis, cliuum inter Iaffæ ruinas aſcēdimus. Vbi ad ſummitatem eius ventum eſt, amplam ingredimur planitem, aridam, incultam, & ex parte arenoſam: in qua tamen fœniculum & thymiama abundant. Etſi verò campos hîc vbique apertos habeas, eminus tamen montes, maximè ad Orientem, facilè conſpicias.

Ad quingentos ferè paſſus progreſſis, obuiam venêre duæ Arabum turmæ, nullo nobis ob ducis præſentiam illato damno. Hi in ipſâ viâ vtrimq; tentoria fixerant, ſuoſq; paſcebant greges atque armenta, è camelorum, boum, & caprarū numero non ſpernendo conſtantia. In hac planitie Ionathas Apollonium ducē cum ſuo exercitu deleuiſſe fertur.

Ad

Ad tertium à Iaffâ lapidem castellum Asor seu Iasor, ruinosum hodie, ac vicum ignobilem & exiguum pertransijmus medium. Paulò vlteriùs ad dextram elegantem Turcarum reliquimus Meßitam, nouem sphæricâ formâ fornicibus ornatam. E regione huius Meßitæ puteus extat aquæ optimæ: ea rotis circumactis hausta in supposita labra effunditur: estque non solùm hominibus & animalibus, sed agris quoque vicinis adaquandis percommoda. Substitimus hîc aliquantulum, sitis extinguendæ causâ, quâ vel maximè ob vehementem solis ardorem atque æstum pænè intolerabilem laborabamus omnes. Vicinum omne solum opimum, & agriculturæ commodissimum, ac satis cultum offendimus: prȩter agros enim Gossypio cultissimos, plurimos etiam *Angurijs* refertos videre erat. Est autem *Anguria* fructus maior humano capite, cortice viridi, formâ rotundâ, multi succi, humorisque, coloris rubri vel albidi, & maximè refrigerantis: ita vt à morbidis & febricitantibus edatur impunè: nam mirum in modum sitim sedat; vt hac de causâ in regione aridâ & caloribus infestatâ in pretio habeatur. Miranda hîc quoque ex Ebosiâ cannâ (quam Cannam mellis hodie appellant) arundinũ seges erat; ex quâ Turcæ Maurique Saccharum conficiunt; exprimuntque liquorem ad sitim sedandam Orientalibus vsitatum. Vt autem Lectori notum fiat, quis in excolendis Sacchari cannetis apud Turcas sit vsus; lubet obiter hîc adjicere, quæ ea de re ab indigenis didicimus. Agros ferè planos, irriguos tamen, & decliuiores, vt aqua post irrigationem paulatim in inferiores agri partes decurrat, seminandis Sacchari arundinibus deligunt. Has in frusta sectas, & medium pedem longas, mense Aprili seminãt, terraque obruunt: quæ ternâ repastinatione herbis internascentibus exsurgunt, frequenterque irrigantur: gaudent enim & campo aprico, & plurimâ irrigatione. Ad trium ferè digitorum magnitudinem, sex verò aut quinque pedum longitudinem excrescunt. Has autem paulatim maturescẽtes circa Nonas Decembris demetunt. Est verò Cannæ mellitæ caudex nodosus totus, spongiosus, plenus medullâ, cortice tenui, dulci succo: qui hac arte exprimitur. Caudex totus frustatim concisus, ac torculari compressus, succum emittit; qui in cacabum dimissus, igne supposito concoquitur, & expurgatur: sed moderatè coctus in speciem mellis traducitur: perfectiùs deinde in vasa figulina reconditus, vbi refrixerit, in saccharum vulgare, perfectissimè verò, ac tertio recoctus, repurgatusque, in laudatissimum coalescit.

Post sitim sedatam rursum iter carpimus, Ortumque versus procedentes, mox Liddam, vrbem antiquissimam Diospolim olim nuncupatam, distantem à Ramâ tria millia passuum, eminus conspeximus. Hæc Diui Georgij martyrio, ac tumulo, & in primis Petri Apostoli *1. Mach.11.*

Act. 5. dicatione, & miraculo celebris est. Nunc solo æquata, & in cinerem ferè versa, tota neglecta iacet: præter pauca enim Maurorum tuguriola solum superest templum, in Martyris memoriam à Richardo Angliæ rege (vt aliqui putant) restauratum supra fundamenta antiquioris delubri, à Cæsare Iustiniano (vt volunt) erecti: quod paulò ante aduentum Bullionij Ducis cum suo exercitu Saraceni solo tenus deiecerunt; ne Christiani in vrbis Hierosolymæ oppugnatione trabibus Ecclesiæ, quæ multæ proceritatis erant, vterentur, easq; in machinas & tormenta conuerterent. Id hodie partim in Meßitam versum Turcis seruit, partim etiam cum adiuncto monasterio in Calogerorum Græci ritus monachorum domicilium cessit, atque etiamnum vsui est. Plurimi in hoc martyris corpus, alij caput tantum asseruari putant. Vt vt est, non solum Orientis Christicolis, sed & ipsis Mahometæis vel maximè venerabile est: qui & frequentissimè illud inuisunt. Quotquot enim à Mechanâ peregrinatione per Palæstinam ad propria redeunt, deuotionis ergo adire illud haud negligunt; precibusque inibi Deo redditis, largas etiam eleëmosynas erogant, & martyris sepulchrum venerantur. In summo siquidem honore Diuum Georgium habent, vt quem suæ sectæ protectorem eximium existimant: quod vel inde facilè quis colligat, quòd Christi Diuorumque imagines vbicunque repertas lacerent, deleant, deturpent; ab vnius tamen Georgij imagine abstineant: cuius rei oculati testes sumus. Dum enim Arnicæ (quæ Cypri oppidum est) moram per dies aliquot traheremus, omnes quidem imagines in Minoritarum sacræ ædis parietibus depictas, vel oculis, vel faciebus, vel aliâ parte defœdatas, mutilas, aut laceratas omnino offendimus: at solius Georgij equo insidentis, & tulipanto ornati, imaginem Turcas illæsam reliquisse comperimus.

Tyr. Bel. sacr. lib. 7. c. 12.


Iter prosequentes Ramam versus, iuxta oppidum ad dextram ingens & insigne ac vetusti operis præteruecti sumus fanum, quo nullum illâ in regione vidimus vel elegantius, vel magnificentius. Id eleganti & præaltâ turri ornatum, insigne olim monasterium contiguum habuit, Sophiæ sacrum; cuius etiamnum plurimæ supersunt reliquiæ: inter quas videre est varia Christianorum monumenta, & sepulchra peruetusta: nunc verò in Meßitam versum, & à Santono, qui proximas ædes inhabitat, occupatum, Christianis haudquaquam patet. E regione templi secus viam ampla & profunda visitur piscina, seu aquarum pluuialium conserua, quadratâ formâ, ex quadratis & dolatis lapidibus constructa, triginta circiter pedum latitudinis; quam transeuntes aquâ penitus carentem ac siccam inuenimus.

Aduesperascĕte iam die Ramam venimus: vrbem ingressi secus mœnia ad solitum peregrinorum hospitium vrbis muris contiguum deducimur.

cimur. Id Nicodemi domum & habitationem quondam fuisse vulgò persuasum est. A Philippo posteà Burgundionum Duce coëmptum,& in Franciscanorum monasterium, ac Occidentalium Peregrinorum hospitium conuersum, eorum vsui hactenus cessit. Egregium sanè & peramplum fuisse ædificium, extantes adhuc reliquiæ & ruinæ peringentes satis testantur. Has inter Sacellum ostenditur ruinæ proximũ, in quo olim Crux pervetusta collocata fuit; nunc Lucam (quæ vrbs Italiæ est) translata, & à Lucẽsibus in summâ veneratione habita: quam Nicodemi opus esse veterum memoriâ proditum est. Tria tantùm quatuórve hodie supersunt cõcamerata cubicula: reliqua exterioribus exceptis muris, collapsa, & ruinosa iacent. Cubicula hæc nil præter nudam humum nudosq; parietes continent; quos interius ambit murus, tres circiter pedes altus, latus totidem, superficie planâ, qui scamnorum necnon culcitrarum loco Peregrinis seruit: nulla enim hic alia scamna, nullæ sedes, nulli lecti, nulla vtensilia; vt carcerem veriùs dixeris, quam diuersorium. Licet autem omni cõmoditate careat, nec hospitij nomen mereatur, eâ tamen ratione commendandum est, quòd cisternam seu dulcis & salubris aquæ puteum in mediâ areâ contineat, Peregrinis ad sitim sedandam in primis oportunam; aduenis item interdiu noctuque tutam præbeat stationem & receptaculum. A Turcarum namque ac Maurorum infestationibus, molestijsque securi hîc quiescunt & pernoctant. Neque desunt interim Christiani indigenæ, qui in ipso impluuio, quasi in foro publico, oportunè sanè quævis ad alimoniam necessaria, præter vinum, abundè venum exponunt; panem puta subcineritium (Fogaccios vocant Itali) carnes coctas, gallinas, anates, perdices, oua, pisces, fructusque recentes: quæ omnia mediocri quidem venundant pretio. Depositis itaque sarcinis, rebusque nostris pro temporis ac loci commoditate collocatis, ad Subassium, itemque Eminum mittimus interpretem, vt de solitâ cafarrorum & vectigaliũ solutione cum vtroq; agat, & abeundi veniam impetret: proximâ enim luce discedere decreueramus. Is mox re infectâ redit: excusare se Subassium, & quod malè haberet, domo sibi egredi non licere, ideoque sarcinas nostras inspicere nequaquam posse refert: abesse quoque supremum Arabum ducem, rediturumq; crastino: differendum idcirco abitum in tertium vsque diem, atq; interim de cafarrorum solutione commodiùs agi posse: postridie verò Subassium si vires ipsi suppeterẽt, ad nos venturum, vt Raisium (ita Guardianum appellant Mauri) inuiseret, eiq; de nouâ dignitate gratularetur. Putabat enim Subassius Minoritarum Vicariũ, quòd octo secum adduxisset monachos, in Guardianum electum, ideoque consuetum se munus accepturum.

Quarto itaque Kal. Octobris, vti promiserat, nostrum accedit hos-

pitium Subaſſius, Emino comite: Storeâ humi ſtratâ, in patulo vt conſideat vterque, per interpretem inuitatur: Illi pedibus pro more decuſſatim inter ſe complicatis, reſident. Vtroque ſalutato & nos aſſidemus. Reſalutant illi comiter: deque itineris ſucceſſu quærunt. Poſt multa Vicario fælicem cum dignitate gratulantur aduentum, illique fauſta & proſpera omnia precantur. Mox de donis, quæ attuliſſet, ſubdit Subaſſius. Vicarius ad hæc per interpretem reſpondet, gratias ſe quidem habere de tantâ humanitate; Raiſium tamen (quod ille putaret) non eſſe ſe creatum; de muneribus igitur adferendis non cogitaſſe. Ille inſtare, ac dicere, certò ſibi de dignitate conſtare, nec admittere excuſationem: velle vt ſibi ſatisfiat: id niſi fecerit, non dimiſſurum ſe quenquam. Vicarius contrà negare, & addere, ſi ſibi nolit fidere; Hieroſolymam mittat, qui de rei veritate inquirat: manſurum ſe dum nuncius redeat: ſi mendacem comperiat, pœnâ dupli mulctet. Vbi intrepidum Vicarium animaduertit, verbis eius fidem adhibens, acquieſcit. Porro de ſummâ caffarorum nihil quicquam remittere Minoritis voluit. Licet enim dimidium ij pendere conſueuerant, ille integrum popoſcit; atque ſex Cechinos aureos, vt nos ſinguli, ſoluere iuſſit. Quinimo & pro corteſiâ Emini filio omnium nomine ſeſqui cechinum dare coacti ſunt. His rebus expeditis, ſolutiſque cafarris, ac diſcedendi veniâ obtentâ, cum Mucharis de pretio vecturæ agitur: cum quibus poſt multas rixas, clamores diutinos, ac ſtrepitus peringentes (nihil enim barbara illa gens abſque ſtrepitu agere aut paciſci cum aliquo nouit) de talero pro quolibet conuentum eſt. Dimiſſis Mucharis, ac quartâ iam inſtante noctis horâ, quieti nonnihil nos dedimus, proximâ luce profecturi. Priuſquam autem iter proſequamur, quæ de Rammæ hodiernâ conditione, ſitu, facieque obſeruauimus, duximus addenda.



RAMMA, quæ & Rama, Turcis Remle, Mauris Ramla, quod terram arenosam significat, in peramplâ, fertili, & amœnâ sita planitie; insignis quidem olim, & splendidissima, & opulentissima ciuitas; atque vniuersæ Iudeæ præcipuum emporium fuit: cuius rei facilè fidem faciunt ingentes ædificiorum ruinæ, ædesque collapsæ amplissimæ, florentissimę & ditissimæ quondam vrbis testimonia: nunc verò ruinis deformis, infrequens & collapsa vt plurimùm, fœda & squalida iacet; ita tamen, vt inter ruinas casulæ quamplures surgant. Muris verò, fossis, turribus, portisque hactenus maiori ex parte integris, vtcunque munita est. Arimathiam olim nuncupatam nonnulli autumant, illius Iosephi patriam, qui Saluatoris nostri corpus sanctissimum à Pilato acceptum, & sindone inuolutum, Sepulchro suo nouo condidit. Visuntur in hac vrbe duæ insignes Ecclesiæ; in Turcarum ambę Meschitas versæ: quarum vna Diuo Ioanni discipulo Domini dilecto dicata, antiquum nomen obtinet; altera quadraginta martyribus sacra, & Diuæ Mariæ ad martyres appellata; ob martyrum reliquias ex Sebaste Armeniæ maioris vrbe huc delatas, etiamnum Christianis venerabilis est: neutram tamen intrare, nisi solis Mahometæis permittur. Bazarrum autem (Forum sic hodie vocare consueuerunt Mauri Turcęque) hic visitur satis amplum, ex quadratis & dolatis cōstructum lapidibus, & in porticus aliquot & officinas diuisum. Nouũ


1. Mach. 11.

Ioan. 19.

insuper, cum adessemus, inchoatum erat publicum Chan, seu diuersorium ingens, atq; amplũ, quadratâ formâ, lapideum totum, & in varia cubicula diuisum; spatiosam in medio continens areã. Eius generis ædificia Mauri Chan, Turcę Carauanseræi, hoc est ædificiũ destinatum Carauanis, appellãt: in eâ namq; Carauanæ (quæ hominum animaliũq; itinerantium, ac sagmata portantium copiosa sunt agmina) diuertũt ac stabulantur noctu, quo securiores sint aduersus Arabes. Solo gaudet fertilissimo, frugibus multifarijs, frumento nempe, hordeo, & leguminibus, vitibus etiã, & oliuis, alijsq; diuersi generis arboribus satis culto. Incolæ (qui quidem infrequẽtes) plerique Mauri sunt, Christiani pauci, Turcæ pauciores. Hisce omnibus præsunt in iure dicũdo Cadius & Subassius, supremi vrbis magistratus Cadius primas tenet; penes quem omne iudicium consistit: Subassius secundas: is sontes ad iudicium cogit, in crimina inquirit, reis torturam adhibet, & in eos pro Cadij arbitratu animaduertit.

CAPVT II.

Ramâ discessus. Crebræ Arabum vexationes. Per montana Iudeæ iter: & ad Vrbem Hierosolymam appulsus.



A Castellum boni latronis.
B Arabes equitantes.
C Puteus S. Iobi.
D Casale.
E Peregrini iter facientes.
F Ecclesia septem fratrum Machabæorum.

TERTIO

TERTIO Kal. Octobris, horâ tertiâ antelucanâ excitamur à Mucharis: equitandum esse obstrepitant: cogunt iumenta, nocte licet subobscurâ, conscendere. Comitantibus igitur interpretibus, Mucherorum duce, ipsisq; Mucharis per medium vrbis asinis insidentes cum sarcinulis nostris procedimus: quod alioqui illucescente die haudquaquam licuisset: indignum quippe facinus Mahumetæi putant (ijs maximè in partibus) Christianũ suas per vrbes aut oppida equitare, aut equo vel asino vehi. Vrbe egressi, Ortum versus, per amplissimam planitiem iter egimus. Ad decimum demum ab vrbe lapidē collem adscēdimus, oleis ficubusq; cultissimum; in cuius summitate castellum vetustissimũ, ruinosum, & habitatore vacuum ad dextram præteriuimus. Id vulgò Boni latronis Dismæ castrum vocant; quem eo loci natum putant. Celebre quondã fuit ob insigne delubrum; cuius etiamnum supersunt vestigia plurima, & ruinæ amplissimæ: hodie etiã Christianis Catholicis venerabile est. Transeuntes enim eminus salutant, Christum latronem ad se trahentem adorant; & vt ipsos quoque ad se trahat, suppliciter precantur: vti à nobis quoque factum est. Hac siquidem actione septenariam à Pontifice Maximo concessam indulgentiam promerentur.

A læuâ ad iactum lapidis Turcarum extat Messita, quam olim ritui Christiano dicatam, & in honorem septem Martyrum Machabæorum (quorum etiam corpora eo loci condita putantur) exstructam asserunt: iuxta quam fonticulus est aquæ optimæ.

Mox vbi collem adscēdimus, equites duos admissis equis ad nos properare cõspicimus: illi iam vicini, gradũ sistamus inclamitant: paremus iubente Interprete, quòd Arabum esse ducem, nec eius imperium, vllo modo esse contemnendum, diceret. Is verò plures nos esse ratus, quàm Ramæ annotassent, adeoq; fraudē cõmisisse existimans, denuò omnes numerari iussit: vt verò vidit nos dolo minimè obnoxios esse, placatus barbarus, non solũ dimisit immunes, sed & comitē se nobis adiunxit, & ad fastigiũ vsq; proximi collis benignè deduxit, atq; ibi maidinis aliquot corte siæ nomine ipsius famulo numeratis, à nobis discessit.

In descensu collis alius Arabum Dux nobis obuius, cafarros deposcit. Vt autem ab Interprete Macharisque intellexit consuetos à nobis solutos esse Ramensi Subassio, nullâ illatâ iniuriâ abire nos sinit.

Progressi ad quingentos circiter passus, puteum secus viam ad læuã offendimus, rotundi atque ampli oris, & profundum maximè: quem vulgò Iobi puteum vocant.


Inde duo quasi millia passuũ progressi, tertium ab Arabibus duodenis, humi in ipso itinere sub olearũ vmbrâ procũbentibus, subsistere cogimur: viã namq; pręcluserant, nec abire sinebãt. Quid velint quærimus: illi cafarros sibi soluendos aiunt. Interpretes Ramæ omnia Subassio

soluta

ſoluta reſpondent: Syngraphum exhibent: Mucharos etiam idipſum affirmaturos addunt. Viſo Syngrapho, examinatiſque Mucharis, tranſitum concedant: priùs tamen quàm progredi liceret, panes aliquot corteſiæ loco ipſis dono relinquere oportuit.


Haud procul inde ad Orientem aſperius ingredimur iter: à littore namque hactenus amœna & fertiliſſima planities eſt, perpaucis admodum, iiſque amœnis & fructiferis interiacentibus collibus. Hinc Hieroſolymam vſque montes ſunt ſaxoſi, valleſque aſperrimæ, & parum fertiles. Itaque per opacas & anguſtas valles inter altiſſimos aſperrimoſque vtrimque montes, ſyluis denſiſſimus refertos, Iudeæ montana adſcendimus, viâ admodum difficili, ſaxoſâ, & aſperâ.

Vix autem medio inter nemoroſos montes peracto milliario, Arabs quidam arcu ſagittiſque armatus nos inſequitur: gradum vt ſiſtamus inclamitat: nos tamen pergimus. Ille tandem anteuertit iter, & viam impedit, ac cafarros ſibi dari poſtulat: & niſi pareamus, aduenturos ſtatim, qui ſibi opem ferant, abitumque nobis impediant, minatur. Etſi verò iam Ramæ omnes ſolutos & interpres & Muchari dicerent; ille nihilominus vrgere ſolutionem, addere minas, atque etiam vim inferre cœpit. Quocirca periculum ab importuno barbaro veriti, maidinos aliquot per Interpretem illi numerari iuſſimus. Quibus numeratis, inter horrida montana per frondoſas ſyluas, Charnubis, Lentiſcis, Arbutis, Terebinthis, Ilicibus, Eleagnis, Oleis, Palmis, Moris albis, aliiſque diuerſi generis arboribus refertas, iter proſequimur: in quo item variæ nobis occurrerunt plantæ ſaluberrimæ, & medicâ virtute notabiles; Ciſtus, Ledon, Thymbra, Smilax aſpera, Maron, Origanum heracleoticum, Tragoriganum, Vmbilicus ſeu Cotyledon, Thymus, Hyſopus, Stachys, Ruta ſilueſtris, Aſphaltites, Cyclaminus, aliæque.



Ad

Ad quintum inde miliarium ædificium quoddam vetustum, ruinosum, quadrangulum, inscriptionem Arabicis literis rotundo in saxo incisam continens, à dextris reliquimus. *Serith* vulgò id nuncupant; distatque à Ramâ viginti milliâ passuum, totidemque ab vrbe Hierosolymâ. Hinc ad læuam montem adscendimus altiorem cæteris. Vbi ad summitatem ventum fuit, rursum ab Arabibus cafarros exposcentibus progredi vetamur. Interpretes consuetam cafarrorum solutionem Ramensi Subassio factam, reliquos verò extra ordinem solui solitos ex pacto Mucherorum Ducem soluturum aiunt: id vbi intellexere, missos nos faciunt. Vix tamen ad iactum sagittæ progressos Mucherorum Ducis perfidiâ subsistere iterum cogunt. Is siquidem cum paulò ante præcedere nos iussisset, cafarrosque Arabibus eo loci solui solitos, quos ipsemet soluere tenebatur, nos soluturos putaret, moram in itinere datâ operâ traxerat; quòd crederet nequaquam nos dimissuros Arabes, nisi debitis numeratis cafarris, atque ita se liberum à solutione futurũ. Verùm sua ipsum fefellit opinio: cùm enim præterijsse nos conspexisset, ac ratus ob moram quam traxeramus, Arabibus esse factum satis, è latebris prosilit, iterque prosequitur. Vbi ad Arabes venit, circumsistunt hominem, cafarros exigunt. Negat ille se daturum; nostrum esse soluere. Reuocent igitur nos: facturum se vt soluamus. Parent Arabes, atque illico nos reuocant. Vbi coram adstamus, strepitus ingentes edunt, mendacij Interpretes arguunt; falsò nos solutionem in alium reiecisse inclamitant: minas præterea addunt, ni duplum loco pœnæ soluamus. Interpretes contrà, summâ se affici iniuriâ à Mucherorum Duce, qui falsi ipsos insimulare audeat, constanter affirmant: eum soluendorum caffarorum onus in se suscepisse: Ita enim nos cum eo conuenisse, nihil vsquam de nostro expendendum esse. Obtestantur adhæc Mucherorum fidem: ipsos præsentes fuisse quando pactum cum Duce ipsorum iniretur: quòd si aliter compertum fuerit, velle se pœnæ libenter subiacere. Acquiescunt Arabes, interrogant separatim Mucharos, quærunt de pacti conditione. Ii Interpretum dicta confirmant, Ducemque solutioni obnoxium esse fatentur. His expeditis, & veritate iam compertâ, homines licet barbari, æqui tamen hac in re obseruantissimi, innocuos nos, Duce retento dum satisfaciat, dimittunt.



Inde quinque millia passuum vlteriùs procedentes, in decliui quodam loco oliuetis referto (Anathoth fuisse putatur) ad dextram iuxta viam reliquimus Templũ elegans atque amplum, ex quadratis & dolatis constructum lapidibus, Diuo Hieremiæ prophetæ (vt volunt) dicatum; atque eo positum loco, quo olim Sacerdotum ciuitas, natali Hieremiæ prophetæ celebris, extitit: vbi & agrum emit à patruele suo. Id quidem nostrâ hac tempestate etsi integrum quasi sit, soloque careat tecto, derelictum tamen, atque omnibus ornamentis vacuum cernitur. Ingentes iuxta hoc visuntur ruinæ diruti cuiusdam monasterij, à Minoritis quondam habitati; quod Arabes abhinc annis octoginta inuasisse, & monachos omnes trucidasse, ac bonis omnibus spoliasse, fama est. Prope id fonticulus extat aquæ optimæ: Maurorum tamen incuriâ neglectus, parum iter facientibus proficuus, & nullius ferè vsus est. Hinc ad dextram flectentes Orientem versus, per costam montis processimus: mox aliquantum viæ emensis, ad Meridiem eminus ostensum fuit rotundum collis cacumen, ceteris circumiacentibus montibus eminentius; quod Modinum Machabæorum seu Modeim vocitant: in quo Mathathiam patrem, Iudam strennuum, fratres, filiosque sepultos sacræ narrant Literæ.

Iof. 21. 1. Paral. 6. Ier. 1. 11. 29. 32.

1. Matth. 2. 9. 13. 16. 4. Mach. 5. 10. 13.

Octauo



Octauo hinc miliario ad Vallem Terebinthi, pugnâ inter Dauidē & Goliath celebrem peruenimus. Locus quo Goliathi in terram prostrato caput à Dauide abſciſſum traditur; ampliſſimo quondā delubro à Chriſtianis inſtaurato notabilis fuit. Huius fani, itemq; adiuncti monaſterij opere ruſtico ex pręgrandibus ſaxis quadratis & dolatis conſtructi, etiamnū plurimæ ſuperſunt reliquiæ. Iuxta quas pons lapideus in viâ occurrit, torrenti impoſitus; ex quo Dauidem cōtra Goliathem pugnaturum quinque collegiſſe lapides ſacra Scriptura teſtatur. 1. Reg. 17.

Ponte ſuperato, ad læuam fleximus, torrentemque ſiccis pedibus tranſiuimus: mox in proximum diuertentes oliuetum, ex longo iam & difficili itinere feſſi, fame etiam ac ſiti ferè exhauſti, ex aſinis deſcendimus ibidemque ſub vmbrâ Olearum nonnihil quieuimus, ac biſcocti panis fruſtulâ, & dulcis aquæ hauſtu è proximo fonte nobis allato, cum nullus alius nobis cibus eſſet, nec potus, famem ſitimque vtcunque ſubleuauimus.

Vallis hæc anguſta, vix quingentos paſſus ſuo ambitu complectitur: ſolum habet opimum, Oleis præſertim, alijſq; arboribus ſatis cultum. Ad aquilonare vallis latus in ipſâ accliuitate montis Turcarum viſitur Meſſita, fornicibus aliquot ornata, cui contiguæ hærēt ædiculæ quædam, vulgò *Calonia* vocatæ. Præter has, ruinaſque Templi & monaſterij, nullas alias in ipſa valle ædes, aut ædium veſtigia conſpicias.

Refecti aliquantulum (vt diximus) cœptum carpimus iter; asinisq; vecti montem Sochot adscendimus: inde per vias præruptas, difficiles, maximeque præcipites, accliui modò, modò decliui semitâ gradientes, nihil vsquam præter horridos, steriles, & incultos montes, ac lapidum aceruos, vallesque desertas conspicamur: neque enim vrbs ipsa Hierosolyma priùs conspicienda datur, quàm aridos illos incultosque montes ac valles superaueris. Quæ intuentibus nobis non tam stuporem attulere, quàm maledictionis Diuinæ manifestum indicium fuere. Cum enim terram hanc Promissionis, & præcipuè Hierosolymitanam plagam, rebus omnibus abundantem, & fertilissimam sacræ Paginæ olim extitisse confirment, & terram fluentem lacte & melle, itemque terram Frumenti, Hordei, ac Vinearum; in quâ Ficus, & Melagranata, & Oleæ nascuntur; cuius lapides ferrum sunt, & de cuius montibus æris metalla fodiuntur, passim appellent: quis non hodiernam sterilitatem ex diuinâ vindictâ prouenisse iudicet; & aliquo modo huc pertinere quod in Euangelio à Domino prędictum legitur? *Hierusalem* (ait) *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Etsi verò in primis iræ diuinæ hanc terræ desolationem attribuendam putemus, ex soli tamen conditione, & hodierno montium valliumque situ, ac facie facilè colligitur, Hierosolymitanum omne solum, vicinosque agros, arte, & labore, hominumque industriâ potiùs quàm naturâ fertiles olim extitisse. Regio siquidem per se sterilis & petrosa est; qualem etiam olim fuisse testatur Strabo, & ratio ipsa dictitat: quis enim legit vsquam terram in saxa mutatam esse? Non mirum igitur si cessante hominum industriâ & agriculturâ, prout cessat hodie maximè, fertilitas quoque iuxta diuinum eloquium, & prædictionem cessauerit. Quid enim est fertilissima prouincia, si ei agriculturam sustuleris? tribulos planè & spinas, dumos, ac vepres producere, & squalidam effici, quæ priùs segete variâ ac fructibus abundauerit, nemo est qui nesciat. Quantum autem florentibus Iudęorum rebus industriæ & laboris in colendis agris ipsi posuerint, & quanto sudore petrosos sterilesque montes in amœnissima vineta, & olíueta mutârint, montes gradatim compositi, & ad cultum præparati, satis superque indicant: non obscurum meâ opinione argumentum, quòd saxis excauatis, terram inter saxa erutam, vel aliunde asportatam ingesserint, atque ita montes per se steriles, saxis pro fulcro terræ adhibitis, graduũ instar composuerint; vineisque ac cęteris plantis excolendis idoneos reddiderint. Nam ab ipsis radicibus vsque ad summitatem montium muri quibus olim vineæ cingebantur, ita substructi conspiciuntur, vt


Exod. 3. Deut. 8. Ezech. 20.

Matth. 23.

Lib. 16.

graduum

gradüum theatri ſpeciem quandam repræſentent. Neque id à veritate abſonum alicui videri debet. cum idipſum in alijs quoque regionibus fieri pluribus notum ſit, & ipſi ſæpiſſimè vidimus : immò in plurimis Iudęæ locis inter glaream ſaxis & ruderibus in cumulos coaceruatis, etiamnum vineas & varias arbores creſcere omnibus, qui ea loca adierint, conſtat.



A Fons Gihon.
B Moſchea.
C Peregrini in terram proſtrati.
D Sepulchrum Turcarum.
E Mons Oliuarum.
F Sylo.

Circa veſperum ſole ardentiſſimo pænè exhauſti, & ex longo eius diei & duro itinere feſſi (quadraginta duo enim miliaria per loca aſperrima confeceramus) ad collis faſtigium, è quo ciuitas Hieroſolyma primùm conſpici potuit, peruenimus. Diſtat id ab Vrbe quingentos circiter paſſus, viâ ad Vrbem vſque decliui. Quâ conſpectâ, & aſinis illicò deſiliunt omnes, in genua procidunt; ac terram pro more deoſculati, hymnum *Vrbs beata Hieruſalem* elatâ voce concinunt : mox recitatis aliquot à Vicario, cæteriſque qui aderant Minoritis, ſolitis orationibus, Verſiculis, Antiphonis; gratijſque Deo optimo Maximo perſolutis, quòd ad hanc ſuo ſanguine pretioſiſſimo ſacratam Vrbem, cuius videndæ deſiderio ardebamus, nos perduxiſſet incolumes, pedi-

tes omnes reliquum itineris ad Portam vſque vrbis proximam confecere, me vno excepto, quòd pedibus æger, ex iumento deſcendere, & inſiſtere pedibus nequirem. Corde tamen humili & contrito, quod Deus non deſpicit, quantas potui Deo Saluatori gratias egi Vbi iam Portæ (cui à Iaffa nomen eſt) proximi eſſemus, atque ego cæteris peditibus aſino inſiderem : ecce Archiſantonus (qui dignitate ac veneratione apud Mahometæos par eſt Catholicorum Archiepiſcopo) eques nobis obuiam fit, pedite vexillum turcicum, arabicis ex auro notatum literis præferente. Quem vbi Minoritæ conſpicati ſunt, veriti ne ſi equitantem Mauri offenderent, ac in contemptum ſacrorum ſuorum id fieri exiſtimarent, me fuſtibus cæderent, vt ex aſino deſcenderem, ac pedibus reliquum itineris conficerem, admonuere. Parui, licèt inuitus, & ex iumento decidens, ad Portam non ſine immenſo crurium dolore claudicando perueni. Vbi nos Turcæ integram ferè horam (denunciato interim Zaniacco vrbis noſtro aduentu) remorati ſunt. Nam ſine eius veniâ Chriſtianis alienigenis vrbem intrare non permittitur. Collis ex quo primùm Vrbis patere conſpectum ſuprà diximus, mons Gihon eſt, in ſacris Literis celebris, & petroſus valdè. Extenditur autem decliuitate ſuâ ad vſque Portam vrbis veterē, olim Iudicialem appellatam, partim vrbis mœnibus incluſus, partim vrbem ab Occiduo & Aquilonari latere cingēs; à Meridie verò valle interiacente mediâ ab vrbe & monte Sion diremptus. Fontem in eodē monte ſcaturientem, quem ſacra Pagina Superiorem appellat, ad differentiam alterius, ad imos eiuſdem montis radices emanantis, qui Inferior dicitur, etiamnum ſupereſſe, eundemque eſſe aliqui volunt, qui ad dextram viæ in ipſo deſcēſu muris circundatus oſtenditur, ac Turcis loco lauatorij eſt. Ad læuam è regione fontis plurimæ viſuntur vineæ, & horti arboribus varijs exculti : iuxta quas in ipſâ viâ Moſchea cernitur recens extructa & muris cincta, Leonis ſimulachro contra Legem Turcarum ſupra oſtium inſculpto.

CAPVT III.

In vrbem Hieroſolymam ingreſſus. Benigna admodum apud Minoritas omnium noſtrûm receptio. Monaſterij & Templi ſancti Saluatoris deſcriptio. Deque ceremonijs in aduentu Peregrinorum à Minoritis fieri ſolitis : eorundemque Minoritarum conditione & numero.

POst longam moram, vbi Chiecagiæ miniſtri vnà cum Monaſterij Interprete ac Minoritâ quodam tandem aduenissent, in Vrbē introducimur. Chiecagia enim (qui vices Saniacci vrbis ſuſtinebat) veniam intrandi Vrbem Guardiani rogatu iam nobis conceſſerat. Vrbem

bem ingressi, ad læuam primùm ingredimur viculum, mox Septentrionem versus ad Monasterium Minoritarum ducimur. Id titulo Sancti Saluatoris clarum, in monte Gihon iuxta vrbis muros positum, Templum eiusdem nominis exiguum sanè intra septa comprehendit. Totum ædificium etsi non valdè amplum, ad duplicẽ tamen cõtignationem assurgit: cuius inferior pars hortum & aream in medio cõtinet, & in concamerata aliquot cubicula diuiditur: superior Templum, Porticum, Claustrum, Monachorum cellulas, Refectoriũ, aliaq; cubicula habet; & Minoritis satis commodam ac tutam habitationem præbet. Priùs verò quàm ad penitiora Monasterij introduceremur, Turcici ministri (qui nos comitati fuerant) omnium nomina, cùm propria, tum patris cuiusq;, tacito familiæ cognomine, notarunt. Mox ingressi Monasterium, in inferiori areâ sarcinulas nostras exponi curamus, vt Emini ministri an vectigales essent, cognoscerent: quas vbi immunes esse cognôrunt, discessere. Quibus digressis, Guardianus cęteriq; Minoritę humaniter ac benignè admodum nos excipiunt, & ad superiora Monasterij deducunt claustra: me verò ex cruribus & febri vehementissimè laborantem, vixque loco me mouere valentem, vnus Monachorum dorso sublatum ad Peregrinorum cubiculum deportauit. Fuere quidem olim quatuor numero cubicula Peregrinorum vsui destinata, à Minoritarum habitatione & cellulis nonnihil separata; sed duo tantum hodie, eaque inferiora ad fornicis formam & arcuato opere ædificata supersunt; reliquis superioribus ab hinc annis aliquot Zaniacci Vrbis iussu (quod nimium eminere, atque Arci vicinæ imminere diceret) deiectis, parietibusque demolitis. Vbi ad superiora ventum fuit, Minoritæ omnes, vnaque comites, post preces in Templo peractas, ad pedum lotionem, supplicationem, cæterasque ceremonias in Peregrinorũ aduentu à Guardiano fieri solitas, se præparârunt: quibus tamen ob corporis languorẽ, summâ cum animi molestiâ interesse non potui. Hæ verò (vti comites posteà retulere) ita se habent. Primùm quærit Guardianus an facultatẽ à summo Pontifice Romano, aut eius Vicario aliquo, vel Nuncio Apostolico habeant Peregrini, vt ad sacrosanctum Domini Sepulchrum se cõferant. Sub pœnâ siquidem excõmunicationis haud impetratâ veniâ Pontificiâ Catholicorum nemini sanctissima hæc adire loca vllo modo fas est: si quis tamẽ casu vel negligẽtiâ eã nõ impetrauerit, aut eâ opus esse nescierit, Guardianus potestate à sede Apostolicâ sibi cõcessâ in eiusmodi casibus dispensare, & ab excõmunicationis sententiâ eum absoluere potest. Lectis autem veniæ literis, si qui Peregrinorum eas habeant, Minoritæ solemnẽ instituunt processionẽ, siue supplicationẽ circum superius claustrũ, præcedente Cruce, ceroferarijs, & Thuribulo. Sequuntur Minoritæ: subsequuntur

Peregrini

Peregrini bini ordine, hymnum concinentes: *Te Deum Laudamus.* Hoc completo, & consuetis recitatis orationibus, ac canticis, in ipsâ porticu ante fores Ecclesiæ scamnis insidere Peregrini iubentur: Seniores è fratribus eorum lauant pedes; iuniores abstergunt linteo, & deosculantur. Peractâ lotione, Guardianus breuem de dignitate locorum Christi sanguine aspersorum, ad Peregrinos orationem habet: singulos admonet, vt toto spiritu orationibus vacent, mentem ad Deũ eleuent, eius mysteria contemplentur, ac gnauiter deuotioni incumbant: temporalia omnia & mundana iam posthabenda, Crucem esse portandam cum Christo, adesse enim tempus pœnitentiæ, quo transacta peccata deplorent, & exuto veteri homine, ac criminibus sacramentali Confessione expiatis, sacrâ demum Communione se muniãt, quo præteritorum laborum præmium abundantiùs consequantur. His præhabitis, & datâ omnibus à Guardiano benedictione, ad cœnam inuitantur, & satis lautè, loco à Minoritarum Refectorio semoto reficiuntur. Quâ finitâ, post Preces in Templo Deo Optimo Maximo exhibitas, ad cubicula Peregrinis destinata deducuntur. Vbi non plumeis lectis, sed duris culcitris, absque linteis, vestiti, ac solo stragulo tecti, indormiunt. Cæterùm Minoritæ Hierosolymitani, computatis simul quinque Bethleëmæ degentibus, itemque tribus Templo Sepulchri Dominici inclusis, numerum plerumq; viginti quatuor Monachorum constituunt; viuuntque Catholicorum Principum eleëmosynis: quas Christianâ pietate singulis annis, aut ad summum triennijs transmittunt. Quibus si destitui eos contingeret, nec necessarijs sumptibus satisfacere, nec Turcarum vexationes redimere, nec onera Peregrinorum sustinere, immò nec in vnum quidem mensem victum sibi comparare commodè possent. Nihil enim proprij ijs in partibus cùm possideant, & exiguas eleëmosynas à Peregrinis (qui rari cò hac tempestate veniunt) accipiant, varijs tamen & frequentibus Turcarum auanijs reddantur obnoxij, victum etiam omnem & vestitum ære redimere cogantur, tot sustinendis oneribus, tot superandis incommodis impares eos esse viribus facilè quis viderit. Commendandi sanè omnibus sunt modis, quòd humani sint, & hospitales maximè, Peregrinis quibuscunque omnem exhibeant operam, quid facto opus, quidve declinandum sit, cum fide edoceant. Quare maximo quin Peregrinis sint & solatio & vsui, neminem esse puto qui dubitet. Sine his enim nulla aut rara loca insigni aliquo mysterio clara adire, aut penetrare vlli commodum esset: nam neque adessent qui circumducerent, qui sacra aliqua loca indicarent, ab iniuriâ defenderent, & ad magistratus Turcicos prouocarent. Denique cùm indies illi victum Turcis Maurisque plurimis suppeditent, beneuolos se erga


omnes

omnes exhibeant, adeoque de ijs bene mereantur, ne ingratitudinis notam ſubeant Barbari; néve tot ac tanta negligere Monachorum beneficia videantur; horum reſpectu mitiùs cum Peregrinis agere eos facilè credendum eſt, quod alioquin non facturos, aut ſi faxint, poſt plurimas demum iniurias, & emunctiones præſtituros putauerim. Porrò id ſummâ admiratione dignum cenſeo, quòd ſoli Minoritæ, etſi varias & innumeras diuerſis temporibus perpeſſi calamitates, oppreſſiones, carceres, & mortes, tot ſeculis ijs in partibus inter medios Barbaros Fidei Chriſtianæ hoſtes acerrimos ſedem fixerint, cum nulli alij Chriſtianæ ac Catholicæ religionis viri tentare id auſi vnquam fuerint; neque etiam ſi tentent, admittantur. Diuini ſanè numinis nutu id factum exiſtimo: vt ſicut author eius religionis Diuus Franciſcus vitâ Chriſto ſimilior fuit, ſic à ſolis poſteris eius poſt res perditas Chriſtianorum ibi ſacra ritè fierent, vnde ſalus hominum prodijt.

Secundo ab ingreſſu vrbis die Monaſterij pharmacopæus & medicus laicorum ſenior de venâ mihi ſiniſtri brachij incidendâ, ſuaſit, ac perſuaſit vtiliter: nam quinto poſt die febris me dereliquit: atque inde paulatim cœpi conualeſcere.

CAPVT IV.

Sacri Monumenti Dominici Basilicæ introitus: eiusdemq́, ac Templi montis Caluariæ descriptio. Solemnis item Processionis ibidem habitæ, sacrorumq́, locorum inibi existentium narratio.



A Ostium Ecclesiæ S. Sepulchri, per quod ad penitiora datur aditus.
B Ostium alterum muro obturatum.
C Locus sessionis Turcarum.
D Scala quâ olim ad montem Caluarium dabatur adscensus.
E Sacellum montis Caluarij, eiusq́; fenestra qua supra aream patet.
F Sacellum B. Virginis & Ioannis Euangelistæ.
G Turris ecclesiæ fastigio carens.
H Introitus ædium Abassinorum.
I Introitus immolationis Isaac.
K Locus immolationis Isaac.
L Testudo templi S. Sepulchri.
M Apertura testudinis, quæ lucem in templo admittit.
N Testudo Ecclesiæ Golgothanæ.
O Cochlea quâ ad summitatem testitudinis adscenditur.
P Area templi.
Q Ostium Ecclesiæ Græcorum atq́; ædium Patriarchæ.

QVINTO Non. Octobris (qui Diui Francisci profestus erat) ab Vrbis Chiecagiâ intrandi Sepulchrum Domini venia impetrata est, solitis priùs solutis vectigalibus, quæ huiusmodi sunt. Pro Vrbis introitu duo Cechini Veneti: pro ingressu Sepulchri Dominici Cechini nouem: Semicechinus pro Sacchoro (vt aiunt) Officialium: Sesquicechinus pro cereis, in Processionibus ac sacrorum locorum visitatione

tatione incendi solitis. Neque enim aliter quàm horum præstitâ solutione, in templum sacrosanctum patet introitus. Circa horam igitur Vesperarum, Monasterio Minoritarum egressi, comitantibus Guardiano & cæteris Monasterij Fratribus, vnico custode Monasterij relicto, ad læuam Orientem versus, viâ leniter decliui descendimus. Est siquidem Monasterium in monte Gihon situm loco eminentiori ipso Caluariæ monte: à quo distat passus circiter 160. Aliquantulum progressi, à dextrâ Meridiem versus ingredimur viculum, in cuius ferè medio, iuxta vetusti operis Arcum transuersim positum, à sinistro latere primus ad Aream Sacræ Basilicæ Dominici Sepulchri est aditus, ostio angusto & depresso, adeoque humili, vt nisi reclinato ad ventrem capite ingredi nequeas. Inde sub fornice triginta passus longo ad interiorem Aream Basilicæ Sacræ contiguam itur: priùs tamen per gradus aliquos descenditur: & circiter decem passus procedendo, relinquitur ad dextram publicus Turcarum carcer, vetusti operis turris, Areæ meridionale claudens latus: Patet autem area in latitudine pedes circiter sexaginta, longitudine latitudinem nonnihil superante, quadratis è marmore strata lapidibus, & ædificijs vndique cincta; cui Cophtorum atque Abassinorum domus & Oratoria, itemque pars Montis Caluariæ ab Ortu, publicus carcer à meridie, Græcorum Patriarchæ ædes atque Angelorum templum ab Occasu, à Septétrione ipsa Sepulchri Dominici Basilica adiacent. In cuius ferè medio lapis insculpta Cruce ostenditur, quo loco Christum Cruce onustum & fessum cecidisse veterum memoriâ proditum est. Is cancellis ferreis circundatus, Christianis omnibus venerabilis est, atque osculari ab ijs solet. Basilicæ frontispicium Meridiem spectans (etsi potius eius latus dicendum sit: non enim valuæ Golgothanæ ædis, per quas ad vtrumque delubrum datur aditus, à fronte, sed à latere sunt meridiano) eleganti & regio est opere, ex quadratis & dolatis constans lapidibus, foliatis ornatum coronis, fascijs, columnis, parastatis marmoreis; ordinis Gothici. In eo duæ sunt ianuæ, quarum medium murus occupat, Turcis sessionem præbens, altus pedes tres, latus quinque. Quæ ad læuam adeuntibus occurrit, Peregrinis aperitur, cæterùm clausa remanet; quæ ad dextram, ac Caluariæ montis gradibus adhæret, muro obstructa est. Vtraque architrabe marmoreâ transuersariâ fulcitur: in quâ diligenti manu incisæ sunt variæ figuræ, Lazari resuscitationem, Christi in Ciuitatem Sanctam introitum, nec non ementium & vendentium in templo eiectionem repræsentantes. Gradus per quos ab exteriore Templi parte ad montem Caluariæ quondam patuit adscẽsus, etiamnum extant numero quatuordecim: in quorum summitate paruũ atq;

angustum est Sacellum, quadratâ formâ, alterum ex aduerso Areæ angulum complectens, quatuor ornatum columnis, angulos totidem sustentantibus, spherico coopertum fornice. Id vnicam à Meridie fenestram habet, quâ lucem admittit; cæterùm muro vndique obturatum, nemini accessum præbet. Referunt Minoritæ hoc loco stetisse Virginem Mariam cum Ioanne Discipulo, quando vnigenitus Dei Filius è Cruce vtrumque alloquens dixit Matri suæ: *Ecce Filius tuus*: dein Ioanni: *Ecce mater tua*. E regione huius Sacelli alterum aduersæ Areæ angulum occupat Turris insignis, atque alta, ex quadrato constructa lapide, quaqua versus æquilatera, lata pedes amplius duodecim, ex parte tamen collapsa, carensque fastigio: quæ media inter Græcorum ędes, & Dominici Monumenti Templum, vtriusque lateri adhæret. Postquam autem ad Templi fores venimus, quæ aduenarum tantùm occasione (vt diximus) patefiunt; nec nisi tributum soluentibus sunt peruiæ, aliàs seris & repagalis occlusæ, ac sigillo Saniacci perpetuò munitæ: offendimus illic Turcas quosdam muro (qui medius est inter Templi fores) tapeto instrato insidentes, nostrumque expectantes aduentum: qui vbi nomina singulorum annotassent, atque iterum nos numerassent, templũ nobis patefecere: quod statim ingressis nobis conclusum est, admissis priùs nobiscum ex Vrbis incolis compluribus Christianis: qui quotiescunque Christianos alienigenas introduci norunt, aduolant, vt & ipsi sacrosancta loca inuisant. Neque enim vlli id denegatur, modo Portæ custodi Maidinum soluat, vt peregrini. Indigenæ Christiani sacrorum locorum visitatione cursim peractâ, mox exeunt. ijs egressis denuò fores occluduntur, sigilloq; Saniacci muniuntur. Proxima verò luce reserantur, vt qui velint, possint exire: plerique per diem & noctem includuntur, vti Peregrino natione Gallo, qui paulò ante nostrum aduentũ è Tripoli Syriæ Hierosolymam venerat, atque vnà nobiscum Sepulchrum Domini ingressus erat, cæterisque Minoritis contigit. Si quis tamen diutius inibi hærere velit, facilè conceditur. Nos enim sex dies ac noctes totidẽ in Tẽplo mansimus: septimo die, solutis denuò duobus Cechinis, exiuimus. Vt autem in Templo morantibus alimenta quotidie subministrari commodiùs queant, inest ostio Templi foramen quadrangulare, latũ pedem vnum, craticulâ ferreâ in modum crucis obductum; per quod singulis ad victum necessaria à suæ nationis hominibus in vrbe commorantibus quotidie porriguntur.

Ingredientibus Ecclesiam primo loco occurrit Lapis Vnctionis Domini; sic dictus, quòd in eo vnctum fuisse Dominum à maioribus traditum sit. Vlteriùs, Septentrionem versus, ad læuam est sacellum, seu ædicula Sepulchri Domini, ad dextram Chorus Ecclesiæ Golgothanæ,

thanæ. Vtroque præterito, rectà ad Sacellum Apparitionis Mariæ Virginis peruenimus. Id aulęis sericis vetusti operis ornatur, Minoritisque loco Ecclesiæ, Chori, & Sacrarij est; horas siquidem Canonicas quotidie hîc concinunt, solemnia celebrant; & pretiosa ac rara Principuum atque Magnatum donaria, quæ religionis aut voti causâ in sacrosanctæ Dominicæ Resurrectionis Templo dedicata sunt, sacræ nempe vestes, ac vasa sanctiora, aurea, & argentea, tapetes item, & aulæa serica, asseruantur, capsisque conduntur. Tria autem ad Orientem continet altaria: quorum medium Diuæ Virgini sacrum, Altare Maius à Minoritis appellatur; in quo & Sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum thecâ ligneâ inauratâ conditum honorificè asseruatur: eo verò loco Christum Saluatorem post Passionem suam Matri apparuisse, piè à Christianis creditur: atque inde Sacellum nomen Apparitionis sumpsisse putatur. Quod à dextris est, Crucis Ara appellatur: quod à sinistris Altare Flagellationis dicitur, à parte columnæ, ad quã vinctus & flagellatus est Saluator; quæque ibi intra cancellos ferreos custoditur. Locus ipse satis amplus, formam quadrangularem refert, concameratus totus, atque vnicâ fenestrâ, quâ parte Orientem spectat, supra Aram Maximam admittens lucem.

Post preces ibidem Deo Optimo Maximo fusas, Minoritæ sacris induti vestibus, Guardianum Pontificali habitu, mitrâ, & pastorali ornatum baculo, ad sacrum vsque Saluatoris Domini Monumentum deduxere: mox solemnes Vesperas ante fores Dominicæ sepulturæ suaui symphoniâ decantârunt. Iis peractis, & ad sacrarium reuersi, sacras deposuere vestes: & Guardianus Pontificalibus exutus ornamentis, paulò post Aram Maximam thure adoleuit, Minoritis interim Antiphonam *Salue Regina* concinentibus. Mox recitatis Litanijs maioribus, quas Catholicas vocant, solemnis instituta est Supplicatio; hoc ordine. Præcedebant Cruciferi, Ceroferarij, & Incensor: sequebantur Minoritæ bini numero, dein Guardianus solus: postremò Peregrini, cereum quisque ardentem ferentes manibus. Egressi Sacrario, ac lento incedentes pede, Canticis & Hymnis Deum Optimum Maximum laudabant, eiusque sacra commemorabant mysteria, vtramq; & Golgothæ & Sanctissimi Sepulchri circumeuntes interiorẽ Ecclesię porticum; apud singula Sacella, mysterio aliquo notata, precibus intenti, aliquantulum remorabantur: Guardiano interim declarante mysteria ibidẽ à Saluatore peracta, rem sacram in ijs contentam, indulgentias etiam ea deuotè accedentibus à summis Pontificibus Romanis concessas; additâ pro cuiusque loci reuerentiâ breui exhortatiunculâ, memores vt essemus Passionis Domini: Terere siquidem nos pedibus ea loca, quæ vel Christi Sanguine adspersa, vel gloriosâ eius Re-

ſurrectione eſſent illuſtrata, vel angelicâ præſentiâ nobilitata, aut Matris Domini, Apoſtolorum, & Sanctarum mulierum frequenti viſitatione decorata, totque piorum Chriſtianorum & Sanctorum hominum oſculis & lachrymis irrigata: Ideoque debere reputare nos indignos, qui ad Sanctiſſima hæc loca admitteremur. Vt autem clariùs atque euidentiùs Lector intelligat, quæ in hoc ſacratiſſimo & auguſtiſſimo Templo extant loca, Chriſti myſterijs clara, ſolemni Supplicatione ab aduenis adiri ſolita, qui item hymni, Orationesque ſingulis in locis à Minoritis decantari dicique ſolent, initium & finem Supplicationis breuiter enerrabimus.

Math. 27. Ioan. 18. Incipit itaque ſolemnis Eccleſiæ Supplicatio ab Altari Flagellationis Domini, de quo ſuprà diximus, columnâ illâ, ad quam Chriſtus flagellatus eſt, quamque ſuo pretioſiſſimo cruore tinxit & adſperſit, notabili. *In Epitaph. Paulæ.* Hæc olim teſte Hieronymo porticum Eccleſiæ maioris Montis Sion ſuſtinens, venerabilis extitit: à Mahumetæis deinde fracta, & in duas partes diuiſa, vna Romam delata, altera (maior nempe pars) in Sacello Diui Thomæ Montis Sion diu cuſtodita fuit. Poſtmodum auctore Fratre Bonifacio eiuſdem Eccleſiæ & Monaſterij Guardiano, ad Templum Sanctiſſimi Sepulchri tranſlata, & in fruſta aliquot diuiſa, ac parte vnâ ibidem relictâ, cæteræ partim Paulo Quarto Pontifici Romano, partim Imperatori Ferdinando, Philippo Hiſpaniarum Regi, Senatui Veneto, & Reipublicæ Raguſinæ diſtributæ, & dono datæ fuere. Conſtat autem è marmore coloris rubri, candidis intermixtis notis, inſtar Porphyretici lapidis. Ante Aram ipſam Minoritæ flexis genibus in memoriam flagellationis Domini ſequentem concinunt Hymnum.

Eia fratres chariſſimi,
Chriſti mortis myſteria
Canamus, & veſtigia
Sequamur corde flebili.
Qui pœnam primi criminis
Delet vigore ſanguinis,
Hunc ad columnam acriter
Cædit Pilatus peſſimus.
Cur ſic, o crudeliſſime,
Flagellis eum percutis,
A quo vitam acceperas,
Vitam conaris rapere?
Cur tu columna ſoluere
Tunc noluiſti Dominum,
Cum te crudeles milites
Rigaſſent eius ſanguine?
Cur non fregiſti illicò
O tu columna immobilis,
Dolore Chriſti nimio
Flagellis tantis languidi?
Iam orans fudit ſanguinem,
Qui potuit ſufficere;
Nam gutta eius ſanguinis
Theſaurus fuit omnium.
Nos ergo qui diligimus
Hunc flagellatum Dominum,
Rogamus vt criminibus
Suis ignoſcat meritis.

Gloria tibi Domine,
Pro tanto fuso sanguine,
Et alaparum copiâ,
Vultui sacro inditâ. Amen.

Hymno dicto recitantur posteà sequentia.

Antiph. *Apprehendit Iesum Pilatus, & ad columnam ligatum fortiter flagellauit.*
Vers. *Languores nostros ipse tulit.*
Resp. *Et dolores nostros ipse portauit.*

Guardianus dein Orationem ad Deum habet his verbis.

Adesto nobis, Christe Saluator, per tuam personalem flagellationem, & per tuum stillantem & adspersum sanguinem pretiosum: vt omnia peccata nostra deleas: nobisq; tuam gratiam tribuas: & ab omni periculo & aduersitate protegas: & ad vitæ æternæ gaudia nos perducas. Qui viuis &c.

Sacello apparitionis egressi, ad læuam Ortum versus flectunt, & Choro Ecclesiæ Golgothanæ ad dextram relicto, ad antrum quoddam subobscurum eunt; quod Carcer Christi ab Orientalibus Christicolis appellatur: in eum enim coniectum Saluatorem, cùm ad Golgothæ montem baiulans Crucem duceretur, asserunt: ibique depositâ Cruce hæsisse, dum illa adaptata fouea, in quâ erigeretur, excauata, cæteraque salutis nostræ mysteria ad crucifigendum Dominum perfecta essent. Interim dum ad antrum proceditur, sequens à Minoritis concinitur Hymnus.

Qui lucem dedit patribus,
Cum illos ab his tenebris
Eduxit, & cælestibus
Ornauit donis gloriæ,
Qui est Saluator Seculi,
Ac vitam propter hominem
Morti paratus tradere,
Obscuro datur carceri.
O dolorosa vincula,
Quæ Dei Patris Filium
Tenetis velut pessimum,
Vt mortem detis corpori.
Dimittite hunc, & soluite
A Iudæorum vinculis,
Qui delictorum vincula
Soluit amore, morteq;.
Suffeceras iam tradere
Cum Iudas ille voluit
Denarijsq; vendere
Pro tali breui numero.
Solue tu Iesu animas
A criminum contagijs,
Quæ pietate corporis
Tui sacri deficiunt.
Ob peccatores talia
Tulisti in te Domine,
Vt tuam lucrifaciant
Et mereantur gratiam.
Ignosce nobis Domine,
Qui peccatorum pondere
Grauamur hic, quotidie
Vt detur tibi gloria. Amen.

Deſcenditur autem ad Carcerem tribus gradibus : eſtque ſub Georgianorum curâ; qui vnicâ tantum lampade locum illuminant : cæterùm omni penitus ornatu caret. Hymno finito, concinunt Minoritæ ſequentia.

Antiph. *Ego eduxi te de captiuitate AEgypti, demerſo Pharaone in mari rubro, & tu me tradidiſti carceri obſcuro.*

Verſ. *Dirupiſti Domine vincula mea.*

Reſp. *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

A Guardiano dein ſequens recitatur Oratio.

Domine Ieſu Chriſte, Angelorum decor, gaudium & libertas animarum, qui pro redemptione mundi capi, ligari, carcerari, alapis cædi, flagellari, & conſpui voluiſti : Fac nos, quæſumus, indignos famulos tuos, pœnas & contumelias pro tui nominis gloriâ lætanter ſuſcipere : vt ad tuæ pietatis conſortiū mereamur fæliciter peruenire. Qui viuis &c.

Hinc egreſſis iuxta ipſum Carceris oſtium, à ſiniſtro latere tabula marmorea occurrit, quatuor ſuffulta columellis, ſub quâ ſaxum eiuſdem amplitudinis ſolo affixum hæret, duo rotunda continens foramina, ſeſquipedis interuallum diſtantia, & profunda. Orientis Chriſticolæ locum hunc venerantur, pedes foraminibus inſerunt, tabulam ſuperiorem deoſculantur, & capitis vertice tangunt: Occidentales contrà nullum honorem exhibent, ſed tacitè prætereunt. Affirmant illi Chriſtum Dominum in foraminibus illis pedibus conſtrictum tanquam compede vinctum fuiſſe.

Poſt paſſus aliquot ad læuam rurſum flectitur Orientem verſus, à ſiniſtro Chori latere: præteritoque Sacello, in quo verum Crucis titulum (qui nunc Romam delatus in Eccleſiâ Sanctæ Crucis viſitur) olim aſſeruatum ferunt, ad aliud Sacellum acceditur, priori proximum, quod Armeniorum curæ cuſtodiæque commiſſum, eodem ferunt poſitum loco, quo milites Chriſti Saluatoris iam Cruci adfixi diuiſerunt ſibi veſtimenta, & ſuper tunicam eius inconſutilem miſerunt ſortem. In progreſſu ad hunc locum ſequens canitur Hymnus.

Pſal. 21. Ioan. 19.

CANAMVS modo canticum
Ad Saluatoris gloriam,
Dicamuſq; iniuriam
Quam paſſus eſt ab impÿs.
A Patre qui eſt genitus,
A quo ſemperq; gignitur,
Sed idem in eſſentia
Patris atque Paraclyti.

Qui à cœlorum ſedibus
Deſcendit huc obediens,
In habituq; hominis
Proprietate moriens.
Qui cœlos implet lumine,
Ornat quoque ſideribus,
Et quem adorant Angeli,
Veſtitu priuant milites.

Qui

Qui vitam dedit mortuis,
Donatq; Sanctis gloriam,
Amore motus feruido,
Et Charitatis opere.
Qui vinum fundit vineis,
Fructusq; dat arboribus,
Suis priuatur tunicis,
Sicq; nudus relinquitur.
Qui vestit volatilia,
Diuersisq; coloribus
Ac ornat agros roseis,
Ipse priuatur vestibus.
O gens iniquissima!
Quis te ditauit crimine,
Vt sortem in has poneres
Vestes, atque diuideres?
Hic super sacratissimas
Vestes miserunt milites,
Dantesq; sortes omnibus
Vt vnusquisque raperet.
Hic locus est sanctissimus,
Vbi Dauid oraculum
Completum est in sortibus,
De Christi sacris vestibus.
Precamur ergo cernui
Te creatorem sæculi,
Iam sic priuatus vestibus
Nos indue virtutibus. Amen.

Vbi iuxta Sacelli Aram ventum est, sistitur: canuntque Minoritæ sequentia.

Antiph. * *Milites postquam crucifixerunt Iesum, acceperunt vestimenta sua, dantes vnicuique militi partem.*
Vers. *Diuiserunt sibi vestimenta mea.*
Resp. *Et super vestem meam miserunt sortem.*

Tum hanc ad Christum fundit Precem Guardianus.

Benigne Iesu Christe, qui pro nostra redemptione ab indignis peccatorum manibus non solum in Cruce nudus suspendi, & mori voluisti; sed etiam tua sacratissima vestimenta partiri, & donari permisisti: concede vt spoliati vitijs, virtutibusq; adornati, tibi Deo viuo & vero in cœlesti gloriâ præsentari mereamur. Quæ viuis &c.

Paulò vlteriùs ad læuam per gradus triginta ad Diuæ Helenę Sacellum descenditur: transiturque inde per gradus vndecim viuæ rupi incisos ad Caluariæ montis Cryptam subterraneam: in qua Christi latronumque Cruces, Claui quoque & Corona spinea ab Helenâ Cōstantini Magni matre, muliere laudatissimâ inuenta fuere. Cauerna hæc longitudine pedes circiter viginti tres, latitudine sexdecim continens, formam refert quasi triangularem: in qua etiamnum cernitur rupis scissura, quæ tempore Passionis Christi contigit. Huic olim vallis cadauerum nomen fuit: in quam damnatorum quondam cadauera, patibula, ac reliquæ immundæ illuuies projiciebantur; vbi etiam à perfidis Iudęis Christi Passionem ac memoriam abolere cupiētibus, Christi & latronum cruces proiectas fuisse veterum memoriâ proditum est: quæ cùm trecentos & sexdecim annos ibi latuissent, ab Helenâ

Sulp. Seuer. lib. 2. Sacr. Hist.

Ierem. c. 31
Euseb. de vita Constan.
Paulin. ad Seuer. epist. 2.
Ruffin. in Hist Eccles.
Ambros. in Orat de obit. Theodos.

lenâ pijſſimâ fœminâ ſublatis ſordibus effoſſæ, atque illinc erutæ ſunt. Locus vbi Crux Chriſti inuenta dicitur, Altari & accenſâ lampade aſſiduâ illuſtratur: & in eo quotidie ferè Sacrum à Minoritis peragitur. Is ſpecum ſubeuntibus aduerſus, primùm occurrit: cui à dextris hæret locus, in quo latronum cruces repertæ fuere, tribus ardentibus lychnis continuò illuſtratus. Dum itur ad hunc locum, ſequentem canunt Hymnum Minoritæ:

Ad Crucis locum pergere
Debemus, & hunc quærere,
Velut fecerunt Martyres
Qui meruerunt gloriam.
O Crux miranda gloriæ
Scala! ad cœlos eleuans;
Per quam adſcendit Dominus,
In eâ fuſo ſanguine.
O Crux arbor digniſſima!
Quâ mediante animæ
Adſcendunt ad cæleſtia,
Et beatorum præmia.
O Crux ſcala excelſior
Cunctis altis arboribus!
Adiuua nos ab infimis
Ad cœlos vſque ſcandere.

Hæc illa eſt altiſſima
Scala, quam ſanctiſſimus
Iacob vidit in ſomnio,
Per quam pergebant Angeli.
O crux ſic admirabilis,
Ornata Chriſti ſanguine!
Quæ cum Sanctorum agmine
Mundum illuſtras lumine.
O Crux arbor dulciſſima!
Quæ mortis das myſterium:
Chriſti, nobis & pretium
Donaſti, atque gaudium.
O Crux aue ſpes vnica!
Inuenta hic ab Helenâ:
Per te hic nobis gratia
Detur, & ſurſum gloria Amen.

Poſt Hymnum decantatum dicuntur ſequentia.

Antiph. *Orabat Iudas, dicens, Deus Deus meus, oſtende mihi lignum ſanctæ Crucis; cumq; adſcendiſſet de lacu, perrexit ad hunc locum, vbi iacebat ſancta Crux.*

Verſ. *Hoc ſignum Crucis erit in cælo.*

Reſp. *Cum Dominus ad iudicandum venerit.*

Guardianus denique Chriſtum Saluatorem inuocat, oratque his verbis.

Deus, qui hic in præclarâ Crucis ſalutiferæ inuentione Paſsionis tuæ miracula ſuſcitaſti: concede vt vitalis ligni pretio æternæ vitæ ſuffragia conſequamur. Qui viuis &c.

Hinc ad ſuperiora, quâ ventum eſt viâ, regreſſi, adeunt Sacellum Diuæ Helenæ dicatum, Arâ inſigni, ſolioque marmoreis exornatum. Hoc ex ſolido marmore, eoque albiſſimo, exſtructum, Chriſtiani Orientales Helenæ ſedem fuiſſe autumant; idque ex maiorum traditione accepiſſe memorant. Hîc rurſum ſubſiſtitur; atque in laudem Helenæ Hymno ſequenti decantato, reliquæ pro more à Minoritis dicuntur Preces.

Nunc

Nunc Helenæ suffragia
Quæramus primùm laudibus,
Vt cum beatis meritis
Acquirat nobis veniam.
Deuota Christi Helena
Crucem quæsiuit feruida:
Quam reperit cum Titulo,
Coronâ, Clauis, Lanceâ
Quam Crucem vt acquireret,
Tulit timorem omnibus
Sub pœna mortis ilico,
Amore ardens cœlico.
Inuentâ Cruce Domini,
Canamus illi canticum,
Qui dedit talem gratiam,
Donatq; sursum præmium.
O Helena sanctissima,
Quæ Crucem tantæ gratiæ
Amasti totis viribus,
Nos tuis iuua precibus.
Exaudi sancta Trinitas
Preces Sanctorum omnium,
Vt per eorum merita
Dones & nobis gloriam. Amen.

Antiph. *Helena Constantini mater Hierosolymam petijt.*
Vers. *Ora pro nobis Beata Helena.*
Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Dein Guardianus Deum hac Prece alloquitur.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili virtutem rectæ intentionis corroboras; præsta quæsumus, vt S. Helenæ Reginæ exemplo, cuius studio desideratum Regis nostri lignum sanctæ Crucis detegere dignatus es, ea quæ Christi sunt, iugiter indagare, & te fauente consequi mereamur. Per eundem Christum &c.

Est autem Helenæ Sacellum quadratâ formâ, cęteris vtriusque Templi Sacellis & maius & altius, quatuor marmoreis suffultum & ornatum columnis, ac fornice tectum sphærico. Columnę ob loci humiditatem, nam subterraneus est, guttas emittunt: Nonnulli id miraculo attribuunt; putantes eas lachrymas fundere, & quasi Passionem & Mortem Domini sui plangere. Quod quale sit, pius Lector iudicet. Constat nihil esse hominibus tam incredibile & absurdum, quod Deo volente fieri non possit. Inde ad superiorem rursum adscenditur Ecclesiam; ad cuius summitatem vbi ventum est, ad læuam est Sacellum Abassinorum, columnâ in primis venerabile; in quâ Christus à Pilati militibus chlamyde coccineâ indutus, arundinem dextrâ tenens, spineâ coronâ (quam è Rhamno, *Nausegi* Arabibus dicto, plexam multi putant) coronatus, illusus, consputus, & alapis cæsus est. Vnde Coronationis & Improperij Columna etiamnum dicitur. Est autem duorum pedum altitudine, colore candido, nigris intercurrentibus maculis, ac mirè splendentibus, quæ sub altari lampade semper accensâ illustrata asseruatur. Dum ad hunc proceditur locum, Hymno sequenti Flagellationem Christi commemorant Minoritę.

Christi iam improperia,
Quæ tulit, & ludibria
Canamus, & purpuream
Vestem, sputa, & alapas.
Iam flagellato corpore
Christi Iesu, effunditur
Sanguis ab his crudelibus,
Aue Rexq́ clamantibus.
Perfundunt vultum sanguine,
Fixa Corona capiti,
Quam ponunt illi milites,
Spinarum, & arundine.

Heu qui semper gloriæ
Honorisq́ meruerat
Coronam! cur sic vepribus
Circundant, & aculeis?
Fundamus vultum lachrymis,
Pro pietate Domini,
Vultum cuius sic impij
Fuderunt sputis sordidis.
O tu Iesu Sanctissime,
Concede nobis pretij
Partem Sacrati Sanguinis,
Quem tunc fudisti capitis. Amen.


In Sacello sequentes concinuntur Versus,

Antiph. *Ego dedi tibi sceptrum regale, & tu capiti meo imposuisti spineam coronam.*
Vers. *Posuisti Domine super caput eius.*
Resp. *Coronam de lapido pretioso.*

Orationem demum subnectit Guardianus ad Christum Dominum, his verbis.

Domine Iesu Christe, qui humano generi condolens, Coronam spinarum in tuo Sacratissimo capite suscepisti, & sanguinem tuum pro salute omnium fudisti: respice ad indignas preces nostras: vt à te clementer exauditi, indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nobis tribuas, per tuam magnam misericordiam, & pietatem. Qui viuis &c.

Paulò




A Sacellum foueæ Crucis.
B Sacellum crucifixionis.
C Scissura Montis Caluariæ.
D Sacellum D. Ioannis.
E Sepulchrum Godefridi Bullionẽsis.
F Sepulchrum Balduini.
G Petra vnctionis.
H Ecclesiæ introitus.

Paulò vlteriùs, à dextro Chori latere ad octo circiter passus Occidentem versus procedentibus, Scala ad læuam se offert sacri Montis Caluariæ, vndeviginti gradus continens, inferiores ligneos, superiores lapideos. Hos Christiani omnes discalceati, vel nudis pedibus adscendunt. Vbi ad summum peruentum est, primò occurrit locus, quo Agnus ille innocens & mundi Saluator Christus, qui peccatum non fecerat, peccatum (id est) hostia factus, pro peccatis nostris, nudus, quasi noxius in Cruce pependit, medius inter duos latrones, facie ad Occidentem versâ, & morti voluntariæ pro Mundi salute æterno se obtulit Patri. Intrantibus ad læuam est murus, instar altaris, altus pedes plus minus duos, coopertus tabulis marmoreis, colore albido, latus pedes septem, longus decem. In huius medio Fouea illa est toto terrarum Orbe sacratissima, atque æternâ memoriâ digna, in quam inserta fuit Christi Crux Salutis nostræ pignus eximium, formâ rotundâ, profunda sesquipedem, latitudine per diametrum vncias sex

continens, marginibus argenteâ laminâ obductis, quæ Græca hac inscriptione notata est.

ὧδε ὁ θεὸς βασιλεὺς ἡμῶν πρὸ αἰῶνος, εἰργάσατο σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς.
Hic Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Psalm. 75.



A *Crucis fouea.*
B *Loca crucium latronum.*
C *Scissura montis Caluariæ,*
D *Cortina serica oratorium montis, Caluariæ medium diuidens.*
E *Ara Sacelli crucifixionis Domini.*
F *Locus crucifixionis D. N. Iesu Christi.*
G *Adscensus ad Montem Caluariæ*
H *Columna medium oratorij occupans, totumq́; fornicatum opus sustentans.*

Sternitur præterea lamina patinâ argenteâ, in quâ celata est Passio Domini. Supra sacratissimum hunc locum, è fornice pendent lampades 32 die noctuque ardentes, Christianis oleum & ellychnium subministrantibus. Murus qui ab altari seu loco Foueæ ad fornicem vsque assurgit, & orientale sacelli constituit latus, panno holoserico obtegitur, acu elaboratis in eo Christi crucifixi, Mariæ, & Ioannis Cruci adstantium imaginibus. Iuxta foueam vtrimque visuntur erectæ Cruces marmoreæ, eo (vt ferunt) positæ loco, quo olim Latronum Cruces

ees extitere. Locus Crucis latronis dextri septentrionem spectat, distatque à Foueâ Dominicæ Crucis pedes quatuor, palmos duos. Sinistri Meridiem respicit, abestque ob scissuram rupis (quam tempore mortis Domini contigisse sacræ narrant Literæ) pedes paulò minus sex. Porrò scissura illa, quæ etiamnum superest, & inter Foueam Dominicæ Crucis, & Crucem iniqui latronis conspicitur, lata palmos tres, multorum opinione ad Cen trum vsque Terræ porrigitur; crediturque à nonnullis, impiorum à Christo separationem denotare. Dum ad hunc proceditur locum, dumque hîc sistitur, sequentem concinunt Hymnum Franciscani: quo finito, cæterisque solitis completis Canticis, ac recitatâ Oratione à Guardiano, qui adsunt Christicolæ profundunt vota & Preces, singultibus atque imis suspirijs locum implent; addunt lachrymas & oscula, quibus animi dolorem (quem ex Christi Passione concipiunt) ac tanti accepti beneficij memoriam testantur. Quæ autem Minoritæ altiori voce psallunt, & recitant, hæc sunt.

Ad Montem nunc Caluariæ
Pergamus cunctis laudibus,
Vt Christus suâ gratiâ
Ignoscat nobis omnibus.
Ad Montem sanctum ibimus
Deuoti totis viribus,
Iesumq; contemplabimur
In cruce fixum pendere.
Ad Montem hunc sanctissimum
Eamus, vbi sanguinis
Christus tunc sacrificium
In Cruce pendens obtulit.
Ad locum hunc peruenimus,
In quo Saluator sæculi
Se obtulit pro omnibus,
Et hic emisit spiritum.

Ecce locus sanctissimus,
Sacratus Christi sanguine,
Qui hic salutem animæ
Inuenit Crucis opere.
Confixa clauis viscera,
Tendens manus vestigia,
Redemptionis gratiâ
Oblata est hic hostia.
O sacer Sanguis, victima
Salutis nostræ animæ,
In hoc fusus Caluario
Ex Christi Iesu corpore.
Gloria tibi Domine,
Pro nostro passo scelere,
Infunde nobis gratiam,
Quam acquisiuisti sanguine. Amē.

Antiph. *Ecce locus vbi Saluator mundi pependit; ex cuius latere sanguis in redemptionem, & aqua ad nostrorum criminum ablutionem exiuit. Venite adoremus.*

Vers. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.*

Resp. *Quia per sanctam Crucem tuam hic redemisti mundum.*

Oratio *Deus Pater æternæ pietatis, & infinitæ charitatis, qui furorem iræ tuæ, quem nos pro peccatis nostris merebamur, hoc in loco super Filium tuum vnigenitum, totius humani generis redemptorem ostendisti, cùm ipsum in Cruce suspendi permisisti, Aceto & Felle potari, Clauis &*

Lanceâ

Lanceâ vulnerari voluisti: concede nobis indignis seruis tuæ sanctissimæ Maiestatis eiusdem Filij tui doloribus compatientibus, vt fructum tantæ Passionis & eius Mortis in æternæ fælicitatis gloriâ perfrui mereamur. Per eundem Christum Dominum &c.

In altari Crucis Latinis Sacerdotibus sacra facere nequaquam permittitur, Georgianis Græci ritus Monachis huius Sacelli possessoribus id prohibentibus: prophanari siquidem putant Græci sua altaria, si Latini sacra in ijs mysteria celebrent. Liberum tamen est cuiuis quolibet tempore locum accedere, orare ibi, exosculari Foueam, hymnos & laudes psallere, cæteraque pietatis officia exercere.

Hinc Meridiem versus proceditur ad aliud Sacellum priori contiguum; vbi Saluator noster supinus, manibus & pedibus perforatis, ac largissimè sanguine fuso Cruci clauis affixus est. Id 33 lychnis pensilibus continuò ardentibus illustratur, & sub Minoritarum curâ & custodiâ est: qui duo ibi altaria, vnum ad Orientem, alterum ad Septentrionem honorificè ornata erexere; in quibus diuina Mysteria quotidie ferè celebrant. Pauimenti medium quadratâ formâ varij coloris lapillis ingeniosè tessellatum, bellis renidet emblematis, pannoque lineo contectum, in summâ à Christianis veneratione habetur: nec nisi nudis pedibus, vel flexis genibus calcare Christiano fas est, idque ob reuerentiam pretiocissimi sanguinis Christi ibi copiosissimè sparsi. In cuius rei memoriâ Christo laudes exhibent hoc hymno Minoritæ.

O amor desiderij
Nostræ salutis pretium!
Qui pedes manus percuti
Hic extendisti Crucique.
Decreti tunc chirographum
Christus extingui cupiens,
Hic crucifigi manibus
Permisit, atque pedibus.
Nec tantis in doloribus
Oblitus erat Virginis,
Tensis in Cruce brachijs
Ipsam reliquit Virgini.
Et hunc illi Sanctissimæ
Matri donauit iuuenem,
Quem diligebat feruidè
Ex charitate nimia.
O gutta Christi sanguinis,
Valoris tanti pretij,
Quæ infiniti meriti
Fuisti nostris cordibus!
Gloria tibi Domine
Pro effusione sanguinis,
Quem hic fudisti vulnerum
Vt nos ditares meritis. Amen.

Antiph. *Ego quasi Agnus innocens ductus sum ad immolandum, postquam carnem meam totam verberibus repleuerunt; ita vt numerare valerent omnia ossa mea, & pupugissent caput meum spinis, & vepribus, foderunt hic manus meas, & pedes meos ferreis clauis configentes Cruci.*

Vers.

Vers. *Ipse vulneratus hîc propter iniquitates nostras.*
Resp. *Cuius liuore sanati sumus.*

Guardianus denique Christum Dominum precatur his verbis:

Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui hunc sanctissimum locum pro salute humani generis pretioso sanguine tuo consecrasti: ad quem horâ tertiâ baiulans Crucem duci voluisti; ac demum horâ sextâ Cruci affixus pro peccatoribus exorasti, Matremq́ dolorosam Virginem virgini commendasti: concede quæsumus, vt nos & omnes qui hîc tuo pretioso sanguine redempti sumus, & tuæ memoriam Passionis celebramus, eiusdem Passionis beneficium consequi valeamus. Qui viuis &c.

Vnicam hoc Sacellum fenestram habet supra Aream Templi respicientem, per quam lumen immittitur: spectaturque Sacellum (cuius supra meminimus) Mariæ & Ioannis sub Cruce statione notabile; vbi Saluatoris Christi è Cruce pendentis verbis Virgo virgini commendata, & Ioannes in Mariæ filiũ adoptatus est. Porrò Crucis & crucifixionis loca, etsi in duo diuisa sacella intrantibus, primâ facie videantur; sub vno tamen fornice mussiuo opere ornato, ac maiori ex parte lampadum fumo offuscato, vnicum tantum constituunt quadratâ formâ Oratorium, latum circiter pedes 32. in medio columnâ marmoreâ arcuatum opus ad formam crucis sustinente. Cortina verò serica Phrygio opere ex auro Christi crucifixi, eiusque Matris, nec non Ioannis discipuli iuxta Crucem stantium imaginibus intextis, à summo fornicis ad imum vsque pauimenti dependet, ac intercolumnium vestit: quod à muro Orientem versus ad columnam vsque marmoreã in medio Oratorij extenditur, atque in duo sacella locum quodammodo diuidit. Pars quæ Septentrionem respicit, Georgianorum est; quæ verò Meridiem spectat, ad Franciscanos pertinet. *Ioan. 19*

E Monte Caluariæ eâdem quâ adscẽditur scalâ, & descenditur, iturque Occidentem versus ad locum seu lapidem vnctionis Christi appellatum: Priusquam tamen eò deueniatur, accedunt aliqui locum seu Sacellum sub Monte Caluariæ, atque ipsâ Crucis Foueâ positum, Diuo Ioanni Apostolo sacrum, in quo à dextro altaris latere scissura illa spectatur Montis Caluariæ, cuius supra meminimus, quæ à summitate fornicis seu rupis ad sacelli vsque pauimentum detegitur: quâ verò parte magis patet, Christiani Cophti ardentem lampadem habent, in Adami primi nostri parentis memoriam; cuius caluariam ibidem humatam & inuentam multi putant. Quod & Cyprianus testatur: *Christi sanguine* (inquit) *adspersa creditur Adami caluaria, qui sub loco quo Crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis.* Alij tamen in *In tractatu de Resurrectione Christi*

Tertul. lib. 2. cōtra Marcionem. Basil. in Leuit. c. 5. Ambros. serm. 71. August. lib. 8. de Ciuit. Dei Hierō. in Epitaph. Paulæ & in Math. c. 27. Chryso. in Ioā. homil. 84.

Hebron iuxta Speluncam duplicem vnà cum Euâ vxore Adamum sepultum existimant; caput verò posteà in Montem Caluariæ translatum, ibique conditum volunt.

Ad locum vnctionis gradum facientes, sequentem psallunt Hymnum Minoritæ:

Ad Iesum modò vngere
Deuotionis oleo
Pergamus omnes feruidè,
Vt nos inungat gratiâ.
Qui pietate nimiâ
Nomen effusum oleum
Habet, atque dulcissimum,
Cordis vngamus lachrymis.
O tu excelsa pietas,
O Iesu ardens charitas;
Qui mortem morte destruis,
Et vitam donas mortuis!
De Cruce iam depositus,
In matris suæ brachijs.
Repositus, vt creditur,
In loco isto vngitur.
Contempla matrem lachrymis
Plenam, atque mœroribus,
Dolore mortis Filij,
Cuius amore moritur.
Hicq; Ioannes adfuit,
Qui matrem loco filij
Recepit virgo Virginem,
Pro pietate mortui.
Veni Ioseph sanctissime,
Tu Nicodeme propera
Huc, cum mixturâ aloë
Ac myrrhæ Iesum vngere.
Nunc ergo super sidera
Preces pro nobis fundite
Ad Iesum Dei Filium,
Quem hîc vnxistis mortuum.
Quem hîc in mundâ sindone
Ligastis, & cum linteis,
Tantisq; aromatibus.
Ipsum rogate precibus.
Beata vestra brachia,
Quæ meruerunt cingere
Corpus Iesu sanctissimum,
Et id vnguentis vngere.
Gloria tibi Domine,
Decus tibi perpetue,
Honor tibi sanctissime,
Pro vnguentorum nomine. Amē.

Postquam ad Vnctionis Petram ventum est, genibus flexis petram circumdant, ac Hymno finito sequentia recitant.

Antiph. *Vnguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.*
Vers. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.*
Resp. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus.*


Dein à Guardiano oratur hoc modo:

Dulcissime Iesu Christe, qui in tuo sanctissimo corpore tuorum condescendens deuotioni fidelium, vt te verum Regem & sacerdotem ostenderes, inungi ab ijsdem tuis fidelibus voluisti: concede, vt corda nostra vnctione Spiritus sancti valeant ab omni infectione peccati continuò præseruari. Qui viuis &c.

Petra

Petra hæc Vnctionis Christi vulgò appellata, pauimenti medio affixa hæret, cui Templi ostium à Meridie, Chorus Ecclesiæ Golgothanæ à Septentrione est: supra quam de ligno Crucis depositus Saluator noster, Iesus à Iosepho ab Arimathiâ, & Nicodemo occulto eius discipulo, alijsque eius deuotis & familiaribus balsamo, myrrhâ & aloë Iudaico more inunctus, & mundâ sindone inuolutus traditur. Est autem colore viridi, cancellis ferreis altitudine palmorum quatuor inclusa, ac tabulâ marmoreâ cooperta, longitudine pedes octo, latitudine duos, totidemque palmos continens; cuius oræ circumquaque tessellato opere ex lapillis rubris, nigrisque intermixtis plurimùm relucent. E fornice supra Petram, octo die noctuque ardentes pendent lychni, oleum Christianis subministrantibus; adeò vt locus ob continuam lychnorum pensilium illustrationem magnam venerationem præ se ferat. Ferdinandus Medices Magnus Hetruriæ Dux præteritis annis voti ergo septum æneum, regium sanè opus, tres circiter pedes altum, longum octo, in quo artificiosè Vita, Passio, & Resurrectio Christi cælata sunt, Hierosolymam perferri curauit; quo Petra Vnctionis cingeretur: Verùm cùm breuius esset, & lapidis mensuræ non responderet; nec adesset qui lapidem ad septum accommodaret, in Montis Caluariæ Sacello iuxta Crucifixionis locum à Franciscanis hactenus seruatur.

A lapide Vnctionis triginta circiter passus Occidentem versus ad Sanctissimum Christi Saluatoris Monumentum proceditur, relicto ad læuam subfusco colore lapide, tẽpli pauimento affixo, formâ, rotundâ, lampade accẽsâ desuper pendente assiduè illustrato: quem eo positum loco Christiani Orientales asserunt, quo virgo Maria à Filio suo vnigenito Ioanni discipulo è Cruce commendata est: Occidentales tamen id factum esse aiunt vbi nunc Sacellum Montis Caluariæ est, cuius suprà meminimus. Cui opinioni & ego facilè annuerim: nam & locus ille Cruci vicinior est, vt facilè verba Domini percipere vterque potuerit; cùm vix ex altero loco ea audire potuissent: quippe qui sub monte est, & à loco Crucis ferè passus quinquaginta remotus. Adde *Ioan. ca. 19.* quod iuxta Crucem Domini stetisse Matrem Iesu & Ioannem discipulum sacræ referant Literæ; vt inde etiam Latinorum opinio verisimilior habeatur.



A Cubit seu fornix sepulchri Dominici.
B. Antrum sepulchri.
C. Antesacellum.
B D Interior pars & altare Antri Dominici.
C E Interior pars antesacelli.
F. Ostium antesacelli.
G Ostium antri Dominici.
H Lapis supra quem sedit Angelus Domini post resurrectionem Christi.

Vbi ad Dominicum Monumentum ventum est, ante ostium genibus flexis sacrum Christi thalamũ foris omnes salutant: mox circumeunt, à latere incipientes dextro: iterant tertio: dumque progrediuntur, sequentem psallunt Hymnum Minoritæ:

Ad locum iam sanctissimum
Sepulchri Christi corporis
Eamus totis mentibus,
Quærentes Iesum laudibus.
Ad locum tam amabilem
Cunctis Christi fidelibus,
Pergamus iam cum iubilis,
Feruore moti spiritus.
Ecce Ioseph decurio,
Arimatheæ nomine,
Qui Christi corpus vnxerat,
Cuius erat discipulus.
Et Nicodemus pariter,
Cum sanctis quoque alijs
Tulerunt hoc in proprium
Sepulchrum pleni lachrymis.
In hoc exciso lapide,
In quo nunquam quis fuerat;
Perunctum ponunt mortuum
Corpus Christi sanctissimum.
Tunc currunt duo pariter
Ad gloriosum tumulum;
Sed præcucurrit citiùs
Ioannes Petro iunior.

Ioannes

Ioannes tamen ingredi
Non vult pro reuerentiâ
Pastoris iam Ecclesiæ,
Intus tantum prospiciens.
Tunc vidit linteamina,
Quibus cum aromatibus
Corpus Iesu ligauerant,
Sacratumq; sudarium.
Iesum tamen non viderat,
Qui iam liber à mortuis
Fuit, peracto tempore
Dierum trium spatij.
Iam anima sanctissima
Ad inferos descenderat,
Vt lumen daret mortuis,
Ad cœlosq; perduceret.
Contriuit portas æreas,
Ligauitq; Luciferum
In pœnis his perpetuis,
Suâ virtute propriâ.
Sic ergo tulit animas,
Atque Sanctorum corpora,
Quæ resurgentes pariter
Conduxit ad cœlestia.
Vnitur posthæc anima
Sacrato Christi corpori,
Cum in vtroque fuerit
Excelsa met Diuinitas.
Resurgit tunc in gloriâ,
Passurus nunquam ampliùs,
Sed vitâ beatissima
Vsurus, & perpetuâ.
Resumpsit Iesus omnia,
Quæ patiens amiserat,
Et sanguinem, & alia
Ad vnionem corporis.
Reuoluit tunc ab ostio
Sepulchri huius lapidem
(Vt legitur) hîc Angelus,
Ad resurgentis gloriam.
Fit terræ motus maximus,
Quo perterrentur milites,
Ruunt terrore homines
In terram velut mortui.
O diuina potentia,
O summa sapientia,
Qui post tormenta talia
Resurgit tantâ gloriâ!
Surgunt manè mulieres,
Cum super terram tenebræ
Essent adhuc, sed anxiæ
Cuius erant discipulæ.
Pergunt in primâ Sabbathi
Aromatum huc copiam
Portantes, his vt vngerent
Corpus Iesu Sanctissimum.
Tunc Iesum non inueniunt,
Sed vident solos Angelos
In albis hîc sedentesq;,
Qui dicunt ipsum viuere.
Ex his ergo miraculis,
Ac tantis his prodigijs,
Pergunt huc gentes omnium
Regnorum, atque partium.
Ad hunc currunt ex partibus
Mundi totius homines,
Ac etiam mulieres,
Omnes amarè anxij.
Ex Orientis partibus,
Ex Aquilonis montibus,
Meridiei plagisq;,
Et ab Occasus omnibus.
Festinant Parthi, Mediq;,
Sic Elamitæ properant,
Atque Mesopotamij,
Simul & Cappadocij.
Ex Pontiq; Prouinciâ,
A regione Lybiæ,
A Phrygiaq; populi
Omnes amore properant.

Gentes sic ex Pamphyliâ,
Et ex Aegypti partibus;
Atque totius Asiæ,
Ad locum hunc perueniunt.
Pergunt Romani aduenæ,
Omnes feruore calidi,
Ob Christi reuerentiam,
Ac Matris suæ virginis.

Agamus ergo gratias
Simul cum his omnibus;
Vt suam ob victoriam
Donet nobis & veniam.
Gloria tibi Domine,
Pro tantis donis gratiæ,
Quibus ditasti animas,
Quæ tuam colunt gratiam. Amen.

Hymno completo, Guardianus & Peregrini relictis ante ostiolum calceis, Sacellum (Anticapellam vulgò dictum) Sacro Monumento contiguum introëunt, ibidemque precibus Deo Saluatori porrectis, lapidem mox ante Monumenti ostiolum solo affixum, & Angeli post Christi Resurrectionem sessione notabilem, exosculātur: dein sacrum accedunt Sepulchri Dominici antrum; vbi contemplantes mysteria ibidem à Deo Saluatore peracta, orationibus aliquantulum vacant, Minoritis interim concinentibus sequentia:

Antiph. *Quem totus mundus capere nequiuerat, hîc vno saxo clausus fuit; atque Morte iam peremptâ Inferni claustra penetrauit.*
Vers. *Surrexit Dominus de hoc Sepulchro. Alleluia.*
Resp. *Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia.*

Guardianus dein Christum Saluatorem sequenti affatur Oratione:

Domine Iesu Christe, qui in horâ diei vespertinâ de Cruce depositus, in brachijs dulcissimæ Matris tuæ (vt piè creditur) reclinatus fuisti, horáq; vltimâ in hoc sacratissimo Monumento Corpus tuum examine contulisti; & die tertia mortalitate depositâ gloriosus exinde resurrexisti, Angelos quidem eius Resurrectionis testes apparere iussisti: tribue quæsumus, vt nos & omnes quos in orationem commendati suscepimus, qui de tua Passione & Morte memoriam facimus, Resurrectionis tuæ gloriam consequamur. Qui viuis &c.

Oratione dictâ singuli summo cum silentio Preces aliquantisper continuant, lachrymis locum rigant, gemitibus atque osculis Saluatoris nostri thalamum, ac sanctissimum Sepulchrum (quod gloriosum fore prædixit Isaias) meritò honorant & venerantur. Etsi enim vacuum sit Monumentum, sacrosancti tamen Corporis sanguinisque pretiosissimi contactu consecratum, omni sanè admiratione & veneratione dignum censeri debet, iuxta illud, *vestigia pedum eius adorabunt*; vel eò magis, quòd inde Iudæis & Mahumetæis insultare possumus, inde gloriandi, inde exultandi rationem sumimus. Hinc mendaces mendacij conuincimus, hinc Fidei sacræ fundamenta iacimus, dicimusque

dicimusque liberè, aut sepultum nobis Saluatorem reddant, aut rediuiuum nobiscum adorent. Alterum eligendum, tertium non restat. Quis autem tam vecors esse possit, qui hîc sanguinem Christi morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis seriò non cogitet, in staterâ cordis non appendat; atque ob tantum hîc à Deo acceptum beneficium, gratum aliquod animi signum lachrymis saltem, gemitibus, suspirijs, osculis non edat? Quis saxeus adeò, qui hîc Christi Passionē, Mortem, Verbera, Supplicia, Conuicia, Sputa, Alapas, Vellicationem, Vulnera, Flagella ad memoriam non reducat, & totis visceribus non commisereatur; gloriosam denique Resurrectionem mente non concipiat, & lætitiam aliquam non ostendat, & exultet? sanè Christianus dicendus non est, qui hæc negligat, quémve tantarum rerum memoria non tangat.

Sacro demum Monumento egressis, ad læuam duodecim circiter passus Septentrionem versus procedentibus, occurrit lapis marmoreus rotundus, pauimento infixus, marmoreis circulis albidi cineraceique coloris circundatus, eodem positus loco, vbi Christum post Resurrectionem Mariæ Magdalenæ à Sepulchro reuertenti in formâ hortulani apparuisse, ac dixisse *Noli me tangere*, piè ab omnibus creditur. Inde ad quinque passus Septentrionem versus, alius spectatur lapis marmoreus, priori persimilis, sed aliquanto minor; vbi Maria stetisse, ac *Rabboni* Saluatori dixisse traditur. Dum verò eò itur, sistiturque, sequentia à Minoritis psalluntur:

De Magdalenâ feruidâ
Quæramus nunc quid viderit.
O tu Christi discipula
Dic nobis, quid apparuit?
Sepulchrum cum sudario,
Et testibus angelicis
In albis sedentibus,
Hæc meis vidi oculis.
Meum quærebam Dominum;
Sed tota plena lachrymis,
Hinc inde currens rediens,
Et mori secum cupiens.
Euntibus discipulis;
Non ibam ego illico,
Igne amoris anxia
Ardebam desiderio.
O vitæ nostræ gloria,
O nostræ amor animæ!
Clamabam, vt insipiens,
Amore eius languida.
Ipse post hæc apparuit
Suâ diuinâ gratiâ;
Licèt tunc non cognouerim,
In hortulani habitu.
Sed qui donauit mortuis
Vitam, & hos ab Inferis
Reduxerat ad gaudia,
Me consolari voluit.
Noli deuota plangere
Maria; sed quiescere
Oportet ab his lachrymis,
Imple cor tuum gaudijs.
Ad ipsum cito adij,
O tu mi dulcis Rabboni
Dixi, & pedes protinus
Tunc osculari volui.

Sed

Sed ille, quia omnia
Nondum sciebam optimè,
Ad Patrem non adscenderat,
Noli inquit me tangere.

Gloria tibi Domine,
Et nobis hîc ignoscere
Dignere; nam ex cordibus
Mariæ huic credimus. Amen.

Antiph. *Surgens Iesus manè primâ Sabathi, apparuit hîc Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.*
Vers. *Maria noli me tangere.*
Resp. *Nondum adscendi ad Patrem meum.*

Tum hanc ad Christum fundit Precem Guardianus.

Benigne Domine Iesu Christe, Alpha & Omega, qui manè primâ Sabathi Magdalenam lachrymabiliter te quærentem primùm inter peccatores in hoc loco apparere voluisti, & ei te affabilem iucundis confabulationibus & vultu desiderabili præbuisti: concede nobis indignis famulis tuis, vt sacratissimam faciem tuam gratiarum plenam in cœlesti gloriâ meritis tuæ Resurrectionis videre valeamus. Qui viuis.

Ex hoc loco rectâ ad Sacellum Apparitionis Beatissimæ Mariæ virginis redeunt omnes: vbi iuxta Aram Maximam in genua rursum procumbunt, & post salutatam Virginē, ac publicas decantatas Ecclesiæ Preces (quas Litanias Maiores vocant) Supplicationi finis imponitur. Hymnus verò & Preces ante Virginis Aram dici solitę hæ sunt.

Regina Cœli Lætare,
Lætare super sidera:
Quem meruisti parere,
Vidisti ipsum vincere.
Surgens Christus ab Inferis
Primo tibi diluculo
Venit cum omni iubilo,
Vt daret tibi gaudium.

Quem crucifixum corpore
Die vidisti tertiâ,
Surrexit iam in gloriâ
Et corporis & animæ.
Ex istis ergo omnibus
Sit Trinitati gloria,
Ac tibi Matri Virgini,
Salus nobis in patria. Amen.

Vers. *Gaude & lætare Virgo Maria. Alleluia.*
Resp. *Quia surrexit Dominus verè. Alleluia.*
Oratio. *Deus qui per Resurrectionem vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi familiam tuam lætificare dignatus es; præsta quæsumus vt per venerabilem genitricem eius Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem &c.*

Ad altare quod à dextris est Aræ Maximæ, Cruci salutari olim dicatum, solemni Supplicatione, vti ad cętera, non itur. Quo argumento certissimè adducor, particulā viuificæ Crucis quondā hoc loco thecâ argenteâ asseruari solitam, vt referunt Minoritæ, non ampliùs hîc haberi. Auget opinionem meam F. Bonifacius, quondam Guardianus Montis Sion. Is enim in libello De perrenni cultu Terræ Sanctę scribit, Soleimane Turcarum Imperatore in Fratres Franciscanos ante,

annos

annos quinquaginta Hierosolymis tyrannicè sæuiente, omnibusque toto quadriennio teterrimo carceri mancipatis, Armenios interim particulam illam Crucis furatos esse, & ad Sebasten Armeniæ maioris vrbem transportasse. Etsi vero eodem in libello addat eandem posteà maximis impensis redemptam, pristino loco restitutam fuisse; ablatam tamen posteà, atque aliò asportatam potius quàm hîc asseruari putauerim. Quis enim affirmare audeat pristino loco redditam, cùm ei nullus exhibeat honorem, aut eam vllo cultu prosequatur? vbi tamen cætera sacratiora Templi loca & Altaria, quæ vel sanguine vel Passione Christi illustrata, vel aliquo mysterio notata sunt, ab omnibus, hoc solo excepto, venerari, & solemni Supplicatione adiri conspiciat.

Eodem in Sacello è regione Aræ Crucis ostenditur locus subfusco lapide notatus, in quo ex veterum traditione tres cruces simul inuentæ, cùm quæ Domini esset, quæ latronum, sciri non posset, mulieri longâ ægritudine defatigatæ, à Macario Hierosolymitano Episcopo admotæ fuerunt: sed cum duarum nullam virtutem agnosceret, tertia adhibita omnem ægritudinem sustulit. Ex quo facilè colligi datur Cruces omnes vnius formæ fuisse, & similia habuisse foramina: Clauis enim latrones affixos fuisse Cruci, non funibus alligatos, vti passim pictores depingunt, ex eo liquere putauerim, quod idem olim crucifigendi mos fuerit: nam & singuli suam ferebant crucem, omnesque flagris antea cædebantur, & postea crucifigebantur. Vti videre est apud Marcum Tullium in Verrem act. 7. ac Nonium Marcellum in verbo Patibulum; *Deligati (inquit) ad patibulum circumferuntur, deinde crucifiguntur.*


Ruffin. lib. 10. c. 8.
Niceph. lib. 8 c. 29.
Theodoret. lib. 1. c. 18.
Ioseph. 1. Bel. sacr. 12.
Macrob. 1. Satur. 11.

Quantoperè autem sacrosancta hæc loca, Christi præsertim sanguine, & Passione, ac Resurrectione illustrata, homini pio & Christiano interiores animi sensus moueant, quâ mentis compunctione afficiant, quem denique mundanarum rerum contemptum, vitiorum detestationem, & odium pariant, atque ad diuinum amorem rapiant, vires mihi, fateor, non suppetunt, vt explicem. Hoc vnum affirmare possum, neminem esse tam ferum ac ferreum, neminem tot tantisque flagitijs ac sceleribus coopertum, qui non in ipso sacrosancti Delubri ingressu præsenti numinis cœlestis religione perfusus, molliri sui sentiat pectus. Nec mirum: cùm etenim eo in loco se esse quis considèret, quo omnium Dominus, Deus & Homo, totius mundi Saluator, ac animarum redemptor, proprium effundere sanguinem, tot pati opprobria, tot affligi pœnis, à plantâ pedis ad verticem vsque capitis flagris cædi non dedignatus est; quinimo Crucis subire tormentum, ac mortem oppetere turpissimam spontè voluit; vt nos in suo

ſanguine à peccato lauaret, è faucibus Diaboli eriperet, Patri reconciliaret, vitamque æternam omnibus promereretur: qui fieri poſſit adeò ingratum aliquem eſſe, ac ſaxeum cor habere, vt (præſertim cùm ſe harum omnium pœnarum cauſam eſſe meditetur) dolore non diffluat, & expaueſcat totus? Quis (inquam) dum hîc Deum pro homine, Creatorem pro creaturâ, Dominum pro ſeruo, innocentem pro noxio, ac iuſtum pro iniuſto tanta paſſum eſſe, animo reuoluit, mentiſque oculis cernit, non totus madeat lachrymis? Quis à planctu, à ſuſpirijs abſtineat; quis commiſereri ſaltem ac compati Paſſioni Chriſti libens nolit? Diuina ſanè vis humanos animos ad hoc ipſum videtur impellere: ipſæ etiam adſperſæ Chriſti ſanguine Columnæ marmoreæ, Crucis fouea, locus Crucifixionis, Vnctionis petra, ac ipſum denique Sanctiſſimum Sepulchrum, quaſi recentia Crucis & Paſſionis Domini veſtigia, occultâ quâdam vi compellunt & exigunt, vt quiſquis accedat, etiamſi ferreus & adamantinus ſit, irrigetur lachrymis, atque imo pectore profunda trahat ſuſpiria; adeoque ſe totum Chriſto deuouens, abneget ſemetipſum, & abiectis vitijs & mundi ſordibus, nudus ſequi Chriſtum malit, proque eius nomine grauiſſima pati, quàm mundanis delitijs diffluere. Cæterùm quod ad Sacroſancti huiuſce Templi celebritatem, dignitatem, ac deuotionem attinet, tantam eſſe affirmauerim, quantam qui oculis non ſubiecerint, haudquaquam concipere animis poſſint. Adeò enim ſacratiſſima hæc Baſilica, qua nullus ſanè auguſtior locus, nullum in orbe fanum ſanctius eſt, non fidem ſolum, ſed famam quoque ipſam, quæ cuncta in maius celebrare ſolet, incredibili maieſtate & faſtigio vincit. Vt autem *Gen. ca. 28.* paucis concludam, libet hîc Iacob Patriarchæ dictum adiungere: *Verè terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.*

Licet autem ex formæ diuerſitate non vnum eſſe appareat Templum, ſed duo; reuerâ tamen vnicam machinam, & pulcherrimi operis ædificium conſtituit: haud tamen vno eodemque tempore conſtructum fabrica ipſa ſatis indicat, clareque demonſtrat alterum altero eſſe vetuſtius. Sacrum namque Dominici Monumenti fanum ordinem refert Ionicum, & formam ſphæricam; Golgothæ verò Delubrum ordinis eſt Ruſtici, ac formæ oblongæ: vnde veriſimiliter coniecturare datur hoc à Chriſtianis Regibus, qui diu pòſt ab infidelium manibus Sanctam Ciuitatem vendicârunt, & rerum in Palæſtinâ potiti ſunt, exſtructum, & in eam formam qua nunc viſitur, redactum; ac priori (quod ab Helenâ ſanctâ Conſtantini Magni matre multis ante *Tyr. lib. 8. Bel. ſacr. c. 3.* ſeculis inſtauratum, & à Nicephoro Patriarchâ poſtea reſtitutum conſtat) adiectum, atque ex duobus vnum effectum eſſe.

A porti-




A Porticus inferior.
B Porticus superior.
C Figuræ seu picturæ operis musaici.
D Foramen testudinis lucem immittens.
E Planta Sacelli S. sepulchri dominici.
F Ara marmorea quam Græcorum Patriarcha, suis ignem sacrũ daturus, quotannis in vigiliá Paschatis adscendere est solitus.
G Locus vbi apparuit Christus Mariæ Magdalenæ post resurrectionem in formá hortulani.
H Locus vbi stabat Maria Christum alloquens.

Vtriusque autem formam descripturi, primo loco Sacri Monumẽti Dominici Templum ponemus. Id rotundo schemate (vt diximus) constructum, duplici ornatum est peristylio, altero super alterum statuto, vtroque columnis & pilis suffulto: inferius duodecim columnas teretes, pilas octo quadrangulas continet, eo ordine dispositas, vt modo binæ columnæ, totidemque pilæ, modo ternæ columnæ, & binæ tantum pilæ concurrant. Interior Templi circulus amplitudine per diametrum continet passus circiter septuaginta duos: ex quo facile colligere est totius Templi magnitudinem, si diametri lineam ducas in circulum. Inferior muri pars à pauimento ad columnarum vsque epistylia, marmoreis quondam incrustata & vestita tabulis, à Mahumetæis postmodum ad Templi Salomonis (quod nunc visitur) ornatum

ornatum ablatis, hodie marmoreo illo ornamento omnino caret. Superior verò pars ab epistylijs ad tectum vsque mussiuo seu tessellato opere cum emblematis quondam decorata fuit; cuius etiamnum reliquiæ plurimæ supersunt: inter quas Constantini Magni, & Helenæ matris figuræ quasi integræ conspiciuntur. Hinc verisimiliter colligi posse putauerim, non esse quod nunc visitur templum antiquum illud ab Helenâ vel Constantino Magno constructum; sed longè recentius: quod & Tyrius testatur: *Ecclesiam* (inquiens) *Dominicæ Resurrectionis* (*quæ per Maximum Episcopum, præcipiente Constantino Augusto ædificata fuerat, ac postea per Reuerendissimum Modestum tempore Heraclij Augusti reparata*) *Heguen Ægypti Calipha funditus deijci mandauit.* Et paulò post: *Heguen rebus humanis exempto, Daber eius Filius, ad petitionem Romani Imperatoris cognomento Heliopolitani Ecclesiam prædictam reædificandi fidelibus concessit potestatem; iique Nicephoro Patriarcha, Constantinopolitani Imperatoris sumptibus, eam quæ nunc Hierosolymis est, sanctæ Resurrectionis ædificarunt Ecclesiam, anno ab Incarnatione Domini 1048 ante vrbis liberationem quinquagesimo primo, tricesimo vero septimo postquam diruta fuerat.* Hæc ille. Testudo templi ex lignis Cedrinis simul conuexis constat; formamque hemisphericam concauam refert, plumbeo cooperta tecto: in cuius vmbilico foramen est rotundum & ingens, instar illius quod Romæ in vetustissimo Pantheon templo visitur, tam spaciosum verò, quàm est ipsum Dominici Antri Sacellũ. Id diē & Solis radios immittit, locumque illustrat abundè. Sub eo foramine, & hiatu patulo, ac quasi sub dio, medio Templi pauimento adhæret sacellum, sacri Dominici Monumenti rupem continens, formâ oblongâ pentagonâ, cuius exterior pars marmoreis vestita tabulis, cymatio, coronicibus, Zophoris, epistylijs, decemque est ornata columnis hexagonis. Totum autem ædificium in duas est diuisum cellulas: prior quæ Orientem spectat, vulgo Anticapella dicitur; quæ Occidentem respicit, Sacrum continet Monumentum, & propriè Antrum seu Sepulchrum Domini appellatur. Vtrumque subdiali tectum pauimento, quod à solo maioris Ecclesiæ eminet & assurgit pedes circiter quatuordecim: cui ornamenti gratiâ impositum est testudineum opus, tecto plumbeo, duodenis sustentatum columellis porphyreticis, symmetriæ Corinthiæ. In ipso verò pauimento subdiali (ne aqua decidens & consistens Sepulchrum Domini vitiet) canaliculæ incisæ sunt, per quas aqua ad inferiora defluit. Interiora latera Antri concaua candido pariter marmore abducta, viuæ rupis excauationem obtegunt. Fornix autem lampadum fumo (quæ numero quinquaginta interdiu noctuque Christianorum sumptibus accenduntur) adeò obscuratus est, vt an ipse rupes sit, an calx, vel obductum

1. Bel. sacr. 4.

ctum marmor, discerni nequeat. Concauum ipsum longitudine pedes octo, latitudine septem, totidemque altitudine complectitur: maiorem partem altare marmoreum occupat: id verò locum quo Christi corpus iacuit sepultum, capite ad Occidentem verso, occlusum continet, atque ingredientibus à dextris est, ad septentrionale Sacelli latus, latum pedes quatuor, altum tres, longitudine Antrum æquans: cui super imposita est picta vetusti operis tabula, Resurrectionem Domini referens. Locus ante altare vacuus tres in latitudine pedes continet, ac tam spatiosus est, vt homines quatuor ordine stantes commodè capiat. Supra sacrum Monumentum Minoritæ quotidie diuina mysteria celebrant; quod & alijs sacerdotibus Catholicis permissum est, cæteris non item. Christiani siquidem Orientales precandi tantùm causâ locum frequentant: singuli tamen altare ipsum seu sacrum Christi sepulchrum thure quotidie adolent, & certas lampades alunt. Antri ostiolum Orientem respicit, cuius postes & limina è leucophæo sunt marmore, altitudine pedum trium, latitudinis palmorum septem; vt nisi curuato in ventrem capite ingredi nequeas. Antiquitùs quoque tam humile fuisse ex eo colligi datur, quòd Petrum & Ioannem, illasque pijssimas fœminas, vt possent introspicere, procubuisse & inclinasse se sacra Scriptura testatur. Ex quo item facilè colligitur forma ipsius Sepulchri: non enim instar quadratæ est tumbæ desuper excauatæ, & patulæ, vti multorum opinio est, & passim depingitur; sed in ipsius Antri septentrionali latere excisum, & quâ Meridiem spectat, & Christi corpus illatum est, apertum, vt per antri ostiolum introspicientes facilè locum quo Christi corpus iacuerat, eiusque Sudarium, & Linteamina videre potuerint: quod aliàs si tumbæ speciem retulisset, nequaquam licuisset. Formam Sepulchri hic addere placuit, vt quæ de eo dicuntur, clariùs elucescant.



A Ostium antri Dominici. *B Sepulchrum Domini.*

Ante ostiolum sacratissimi Antri, pauimento Antisacelli affixum iacet lapis ille, cui Angelus insidebat (vt sacra Scriptura loquitur) amictu candido, qui mulieribus, intellecto quòd Iesum quærerent Crucifixum, eum reuixisse, & in Galilæam processisse nuncians, ostendit sudarium, & locum vbi posuerant eum. Is sesquipedem per quadrum continet, & lapidem (scripturâ teste magnum valde) ostio Monumenti aduolutum fulciebat. Hic etiamnū superest in Domo Caiphę, quæ hodie in Templum versa, titulo Sancti Saluatoris claret; vbi Aræ maximæ impositus omnibus Christicolis venerabilis est: asseruaturque ab Armenijs eius Templi custodibus, & longitudine pedes sex, latitudine tres, crassitie palmos quatuor continet. Antisacellum foris formam refert quadratam, intùs tamen quà Antro Dominici sepulchri pariete medio iungitur, in rotunditatem desinit. Pauimentum marmore stratum, ac latera pariter mamore incrustata sunt: duas verò vtrimque continet fenestellas, quibus illustratur. Ostium ad Orientem patet, estque nonnihil altius ampliusque ostiolo antri Sepulchri. In hoc sacello lampades duodecim ardentes ex fornice pendēt. In foribus eiusdem vna. Exteriùs per circuitum sacri Monumenti sex lucent perpetuò. Dextrum Antisacelli exterius latus, quà Septentrionem spectat, decidentibus marmoreis tabulis, quibus paries tegitur, ruinam minatur: nec tamen Minoritæ audent reficere; prohibentibus id Sanctonis Turcarum, qui nec reliqua Templa, quæ Hierosolymis vetustate collabuntur, instaurari permittunt; lege id vetitum esse asserentes. Largitionibus tamen, quæ plurimi apud barbaros fiunt, facilè à Saniacco impetrari id posse putauerim. Nam cùm vel labentem murum


rum restaurare, vel furnum construere Minoritæ, aut resarcire aliquid intra septa Monasterij volunt, veniam à Saniacco vt postulent, ac plurimâ largitione gratiam redimant, necesse est: quod si omitterent, aut negligerent, grauissimâ pœnâ mulctarentur. Narrârunt mihi se paulò antequàm eo venissem, pro facultate erigendi furnum centum Cechinos Venetos Saniacco numerasse: Ex quo quantum pro restauratione Dominici Sepulchri Saniacco numerandum foret, quiuis facilè intelliget. Antisacelli frontispicio pauimentum adhæret eiusdem cum frontispicio latitudinis, eleuatum à reliquo solo maioris Ecclesiæ palmos duos, marmore stratum candido, sedes vtrimque habens lapideas, marmoreis tabulis inductas. Iuxta pauimentum illud Orientem versus, atque è regione Chori Ecclesiæ Golgothanæ, altare extat marmoreum, quod Græcorum Patriarcha, aut aliquis Episcoporum Orietalium quotannis in ipsâ vigiliâ Resurrectionis Domini adscendere, populo benedicere, atque ignem (falsò cœlestem creditum) schismaticis Orientalibus in ipso Templo dispensare consueuerunt. Non enim, vt olim, cùm Catholici in Palæstinâ Ecclesiám moderarentur: cœlestis flamma (Nur Arabibus dicta) cœlitus ampliùs descendit; licèt Orientales Episcopi ac Græcorum Patriarcha id populo persuadeant; sed è silice ignem excutiunt, ac pro vero Nur populo porrectum, cœlestem esse mentiuntur. Vt autem dolum hunc occultent, ac faciliùs nimium credulis imponant, die Veneris sancto ab infidelibus claudi sepulchri ostium, & Saniacci sigillo obsignari curant. Mox cum Saniacco, Cadio, Emino, cæterisque Turcarum primoribus pretio componunt, quis eorum prior ingredi, & ignem silice excussum credulo populo pro cœlesti distribuere debeat. Non sic olim: sed ieiunijs, precibus, & lachrymis cœlestis ignis à Deo impetrabatur, populoque in lætitiæ signum & Fidei testimonium tradebatur. Quomodo autem id fieri soleret, Frater Bonifacius in libello De perenni cultu Terræ sanctæ his verbis describit: *Congregabantur* (inquit) *ad Ecclesiam Resurrectionis Patriarcha, Rex, Clerus, & Populus, à summo manè ad horam vsque sextam, in qua dignabatur Dominus flammam ad locum sanctum mittere, & post longam Orationem mittebatur vnus ex Prælatis Montis Sion, vel Montis Olìueti, aut Bethleem, aut Hebron, aut Sancti Habacuc, aut Sancti Saluatoris, & Ioannis ad ripam Iordanis, aut Nazareth, aut Montis Thabor, aut Montis Carmeli, aut sancti Ioannis Baptistæ in Sebasten, aut aliorum locorum: qui enim sanctior inter eos reputabatur, vt esset primus ad lumen accipiendum, mittebatur; & si nondum accēsas lampades inuenisset, reuertebatur ad Patriarcham, Regem, Clerum, & Populum, alta clamans voce, Nondum in lumine visitauit nos Dominus Deus è cœlo. Tum augebantur preces, ploratus, & vlulatus multus, vt Dominus*

eos,

eos, vti consueuerat, visitaret. Auctâ verò Oratione cum lachrymis, mittebatur alius: & sic continuabant vsque quo Dominus è cælo eis mitteret ignem, siue donum flammæ: quâ per quemcunque inuenta esset, accendebatur lumen in lætitiâ spiritus: & primò Patriarchæ, Diacono, & subdiacono: ipsi verò primò Regi; deinde omnibus qui in Choro adstabant, istud sanctum lumen tradebant: Minoris ordinis ministri Populo idem porigebant cum gaudio. Hæc ille. Refert etiam idem Fr. Bonifacius in eodem libello, se quandoque hac de re cum Græcorum Patriarchâ, nec non Armeniorum Episcopo sermonem miscuisse, illisq; exprobrasse summam hanc perfidiam, atque impietatem; dixisse etiam offendere id plurimùm Catholicos omnes, Iudæos quoque ac Mahumeteos: eosque cùm id negare minimè auderent, excusasse se, ac necessitate coactos id facere asseruisse, vt consuetas eleëmosynas obtineant: quibus si carendum foret ecclesiasticis viris in vrbe continuò commorantibus, defuturum ijs quo miseram vitam sustentare possint. Hac enim de causâ Orientis Christicolas sanctam Vrbem potissimùm petere; quæ si deficiat, domi omnes mansuros: atque ita suos solitis eleëmosynis defraudandos: Latinis à Regibus, cæterisque Occidentis magnatibus quæque ad victũ necessaria satis abundè suppeditari: Græcos cæterosque Orientis religiosos barbarorum iugo oppressos, solis populi eleëmosynis victitare; nullaque propria bona possidere. Atque ita miseri se tam enorme piaculum ac turpitudinem solius lucri causâ suâ ipsorum confessione, in publicum Christianę Fidei dedecus committere non verentur: quæ idcirco vti fraudibus obnoxia, ab infidelibus (prohdolor) irrisioni & ludibrio habetur. Posteriori Antri Dominici Sepulchri parti Occidentem versus adiungitur formâ quadrãgulari Cophtorum Sacellum rudi opere; in quo suo ritu statis diebus Orationibus vacant, psallunt, & sacra peragunt. E regione est Occidentem versus sub ipso Templi maioris peristylio aliud Sacellum ligneum, eorundem vsui & sacris destinatum: iuxta quod cubicula aliquot habent, in quibus duo in ipsâ rupe visuntur specus; quos Iosephi ab Arimathiâ & filiorum eius quondam fuisse sepulchra nonnulli autumant. Inde ad dextram procedentibus Aquilonem versus Georgianorum occurrunt cubicula & Oratoria. Rursum ad læuam flectentibus Meridiem versus, sub ipsâ pariter templi porticu, contigua hærẽt Cophtorum sacello Syrorum & Iacobitarum Oratoria & Receptacula, in quibus & ipsi sua sacra celebrant. Succedunt his ab eodem latere Abassinorum Sacella seu Oratoria, ipsorum quoque sacris destinata. Paulò vlteriùs ad Orientem pergentibus scala occurrit lapidea, muro Ecclesiæ admota, per quam ad superius epistylium adscenditur, in quo Armenij sua habent Sacella & cubicula, muro à reliqua peristylij

ſtylij parte (quæ neglecta omnino & ſordida iacet) diuiſa. Georgiani verò & Græci cum eiuſdem ſint ritus, in Golgothanæ Eccleſiæ Choro ſua myſteria celebrant, & præter cubicula, (de quibus diximus) & aliud iuxta Montem Caluariæ Sacellum, ac ipſum Montem (vti ſuprà etiam retulimus) hoc tempore medium poſſident: quem quidem expulſis Armenijs, poſt deuictum ipſorum Regem, à Perſarum Rege impetrârunt: quapropter maximum & vetus inter vtramque gentem viget odium.

Omnes hæ Chriſtiani nominis nationes ſuos habent in hoc Templo continuò morantes vel Monachos vel Presbyteros, qui ſuorum ibi eleëmoſynis aluntur, ac viuunt, diuina ſacrificia ſuis quiſque ritibus, ceremonijs, & linguis, in diſtinctis ſuprà citatis Sacellis & locis peragunt, precibus incumbunt, vnoque ore omnes vnum Chriſtum omnium Saluatorem venerantur, atque adorant; quotidie etiam ſanctiſſimum Chriſti Sepulchrum, & Caluariæ Montis ſeu Crucis foueam thure adolent; ac lampadum ſuarũ ſingulatim curam habent. Illud autem mirandũ in vno hoc Templo tot diuerſorum hominũ ex vniuerſo penè Orbe confluentium audire diſſonas voces, melodias, ceremonias, habitus moreſque: qui licet in multis differant, varijſque inter ſe ſectis ſint diuiſi; in hoc vno tamen concordant, quod Chriſtum Deũ laudant, credunt, confitentur. Nec minori admiratione dignum, omnes haſce nationes inter medios Chriſtiani nominis hoſtes, ac Saluatoris Chriſti, eiuſque Crucis ſanctiſſimæ inimicos acerrimos, Iudæos dico & Mahumetæos, Chriſtum ipſum magnificare, diuinam eius virtutem prædicare, quotidianum ipſi ſacrificium publicè offerre, ac Deum verum confiteri (quibus omnibus ipſi vel maximè aduerſantur) neminem tamen inueniri, qui contradicere, quíve vetare, aut tollere, atque abolere ea vllo modo audeat. Et quod magis mireris, licet Turcę Maurique Chriſtum nequaquam mortuum, ſed in cœlos aſſumptum prædicent, ac certo certiùs credant, quippe quem immortalem fuiſſe affirmant: nihilominus tamen Sepulchrum eius, & mortis & mortalitatis indubitatum teſtimonium, in vrbe hac, quam omnes Mahumetæi religionis ergo frequentant, à tot iam ſeculis intactum reliquerũt, atque etiamnum relinquunt. Neque enim hactenus quiſquam fuit, qui illius euerſionem vnquam tentauerit. Quod diuini ſanè numinis nutu fieri exiſtimandum eſt: ſcilicet vt perpetuò locum habeat inſigne illud Iſaiæ vaticinum: *In die illâ radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur; & erit Sepulchrum eius glorioſum.* *Iſa. c. 11.*



1 Introitus Ecclesiæ.
2 Petra vnctionis Domini.
3 Via quâ itur ad S. Sepulchrum Domini.
4 S. Sepulchrum Domini.
5 Locus quo apparuit Dominus Mariæ Magdalenæ.
6 Locus vbi stabat Maria Magdalena.
7 Sacellum apparitionis Mariæ, seu Chorus & Sacrarium Minoritarum.
8 Ara columnæ Flagellationis Domini.
9 Ara Crucis.
10 Habitacula Minoritarum.
11 Sacellum Angelorum.
12 Sacellum carceris Christi.
13 Sacellum diuisionis Vestimentorũ Christi.
14 Descensus Sacelli D. Helenæ.
15 Quatuor columnæ guttas emittẽtes.
16 Descensus ad locum inuentionis sanctissimæ Crucis.
17 Vbi Crux Christi inuenta fuit.
18 Vbi reliquæ latronum cruces repertæ fuerunt.

19 Sacellum


19 Sacellum D. Helenæ.
20 Cathedra marmorea D. Helenæ.
21 Sacellum columnæ improperij seu incoronationis Domini.
22 Scala lignea quâ adscenditur ad Montem Caluarium.
23 Aræ montis Caluariæ.
24 Vbi Christus fuit Cruci cõclauatus.
25 Locus immolationis Isaac
26 Locus vbi seruatur Ara Melchidech.
27 Fouea Crucis,
28 Scissura montis Caluariæ.
29 Sepulchra Gotofredi & Balduini Regum Hierosolymorum.
30 Locus vbi stabant Maria & Ioannes, iuxta opinionem Orientalium.
31 Fouea chori Græcorum, vulgò Vmbilicus mundi.
32 Chorus Ecclesiæ Golgothanæ,
33 Sepulchra Regũ Hierosolymorũ.
34 Turcis Ecclesiæ.
35 Sepulchrum Iosephi ab Arimathiâ, & filiorum.
36 Sacellum Iacobitarum.
37 Sacellum Cophtorum.
38 Sacellum Abassinorum.
39 Sacellum Armeniorum.
40 Sacellum Georgianorum.

Diximus de Sacri Dominici Monumenti Basilicâ: reliquum est vt de Golgothæ Templo aliqua addamus. Id Orientem versus situm, priori contiguum, sub vno quasi eodemque tecto cum alterâ comprehenditur, vnamque molem constituit. Est autem ordinis rustici, ex quadratis politisque lapidibus, magnifico sanè & pulcherrimo opere constructum, plurimis pilis, parastatisque suffultum, & exornatum. Formam verò refert non omnino tetragonam, nec sphæricam, sed oblongam potiùs, excedente paululum longitudine. Superior Templi pars fornicata testudinem in medio habet eminentiorem, arenato obductam: ad cuius apicem exteriorem lapideâ cochleâ adscenditur. Delubri medium Chorus occupat, vndequaque muro atque ambulacro circundatus: in quo Orientem versus Sacella aliquot conspicias, de quibus suprà egimus. Hoc Græci obtinent, pictisque Apostolorũ imaginibus illustrant, & in arâ maximâ rem diuinam statis diebus celebrant. In medio Chori occidentem versus fouea extat bipedalis sphærica, in ipso pauimento marmoreo excisa, æneâ machinâ amplissimâ de super pendente. Græci Vmbilicum Mundi appellant, locumque esse aiunt, de quo Psalmista loquitur: *Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.* Sed falluntur: Nam, si nuda verba spectemus, Foueę Crucis in Monte Caluariæ potiùs conueniũt. Ibi enim indubitanter humanam operatus est salutem Deus: cum è Cruce pendens Christus, & in holocaustum & sacrificium æterno se offerens Patri, totius Mundi redemptionem meruit obtinere. Etsi verò inde multi eam opinionẽ hauserint, vt Hierosolymam in medio orbe terrarum esse cõstitutam putent; decipiuntur tamen, qui verborum coniecturâ ducti id sentiunt: nam licèt verba quidem id innuere videan- *Psal. 73.*

videantur; aliter tamen se res habet, & fucum illis facit metaphora, quâ per medium terræ designatur Christus, qui interuentu Terræ, id est, humanitatis (cuius symbolum Terra repræsentat) nos seruauit. Cæterum falsam esse illorum opinionem, ac toto cœlo errare, qui Hierosolymam in medio terræ sitam putant, quive asserunt Solis radios ad normam in Hierosolymitanam plagam nullo anni momento decidere, ex vmbris & experientiâ manifestè coniuncitur. Quinimo si ita id esset, necesse omnino foret eam ponere intra Zonam torridam, & Tropico saltem Cancri subjicere: at ab illo longiùs abesse Cosmographi omnes tradunt: quique eam adierunt, certissimis experimentis planè didicerunt dies ibi accrescere & decrescere, pro temporis ratione; cum æstiui dies ibidem quatuordecim horas habeant, Hyemales decẽ. Porrò longitudinem Golgothanæ ædis, quæ ab Ortu in Occasum porrigitur cubitis centum, latitudinem verò à Septentrione in Meridiem sese extendentem, sexaginta sex metiuntur. Hæc eam Fani partem complectitur, quæ vtrumque Chori cingit latus, Carceris Christi Sacello cum adiunctâ porticu satis amplâ, & aliquot columnis suffultâ, ab Aquilone, Monte Caluariæ, & loco amplissimo quadratæ formæ, Vnctionis Petram, & Regia aliquot Hierosolymitanorum Regum sepulchra continente, à Meridie adiacentibus.

CAPVT V.

Regiorum aliquot Sepulchrorum, Regum nempe Hierosolymitanorum posteriorũ aui in Golgothano delubro existentium descriptio; deq; eorundem Regum serie, gestis, atque obitu breuis enarratio.



A Sepulchrum Regis Gotifredi Bullionensis. *B Sepulchrum Regis Balduini.*

IVXTA Sacellum Diui Ioannis sub ipsâ rupe Golgothanâ, è regione petræ Vnctionis Domini, locus extat muro circundatus, pedes circiter

circiter viginti per quadrum complectens, vnico ostiolo accessum præbente: in quo duo è marmore visuntur sepulchra, quaternis columellis marmoreis imposita, formâ triangulari superiùs acuminatâ. Quod à dextris introeuntibus se offert, ad meridionale positum latus, Gotifredi primi Hierosolymorum Regis ossa continet, hoc epitaphio antiquo Longobardorum charectere insignitum:

HIC IACET INCLITVS GODEFRIDVS DE BVLION QVI TOTAM ISTAM TERRAM ACQVISIVIT CVLTVI CHISTIANO CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Alterum, quod à sinistris est ad septentrionale latus, Balduini eius nominis secundi, & tertij Hierosolymorum Regis corpus conditum habet, tali inscriptione:

REX BALDVINVS IVDAS ALTER MACHABEVS
SPES PATRIAE VIGOR ECCLESIAE VIRTVS VTRIVSQVE.
QVEM FORMIDABANT CVI DONA TRIBVTA FEREBANT
CEDAR ET AEGYPTVS DAN AC HOMICIDA DAMASCVS
PROHDOLOR IN MODICO CLAVDITVR HOC TVMVLO.

Egredientibus à dextris quatuor alia sese offerunt Regia Sepulchra muro Chori adiuncta, semifracta partim & lacera, partim comminuta, epitaphijs vel vetustate, vel temporis iniuriâ consumptis, & corrosis, vel barbarorum operâ contritis. E quibus sequentem hanc epigrapham colligere duntaxat licuit.

SEPTIMVS IN TVMVLO PVER HIC REGVM. TVMVLATVS
EST BALDVINVS REGVM DE SANGVINE NATVS
QVEM TVLIT E MVNDO SORS PRIMAE CONDITIONIS
VT PARADYSIACAE LOCA POSSIDEAT REGIONIS.

Ad maiorem autem Regiorum Epitaphiorum elucidationem paucula hæc de Regum Hierosolymorum serie, gestis, atque interitu in medium adferre placuit.

ANNO à nato Christo 1099 Gotifredus seu Goffredus Bononiæ Comes, ex Galliâ oriundus, Zelo fidei motus, paterno derelicto solo, ac Principatu, pluribus cum comitātibus Regni primoribus, Balduino

& Eustachio in primis fratribus, ac numeroso comparato exercitu, post subactam Syriam cœlem, & Phœniciam, Palæstinam inuasit, Sanctam Hierosolymorum vrbem vi cepit, ac expugnauit, & è manibus infidelium ereptam Christiano cultui restituit: mox Ioppen seu Iaffam, Caipham, Tiberiadem vrbes, ac totam Galileæ regionem, itemque Samariam regno addidit. Sultani etiam Cairensis exercitum triginta millium hominum fudit. Hic ille est, quem cùm Regni proceres, octauo post captam Hierosolymã die in Regem elegissent, adeoque coronâ auro gemmisque distincta insignire vellent, diadema oblatum protinus recusauit: periniquum esse inquiens, se ibi coronam ferre auream, vbi Rex Cœli atque Orbis olim spinis grauem per ludibrium sibi impressam tulerat. Quæ res magnam vtique & perpetuam ei peperit laudem, quod pietatem ac modestiam regio fastui prætulerit, atque operibus Regem se esse, non auro aut purpurâ ostenderit. Anno à Christo nato 1100, duodecimo autem suæ administrationis mense, aduersâ valetudine correptus, in medio victoriarum cursu ab hac luce recessit, & ad superos euolauit. Vir sanè perpetuo elogio dignus, belli & pacis artibus præstans, viribus corporis, & animi magnitudine adeò excellens, vt neminem parem suâ ætate habuisse narrent authores: in quo non luxuries, non crudelitas, non auaritia, non superbia vnquam cognita est: sed qui tantâ continentiâ, mansuetudine, clementiâ, religione, iustitiâ, liberalitate emicuit, vt omnes non modò eum admirarentur, sed etiam obseruarent, colerent, & summo honore prosequerentur. Eius corpus regio funere elatum, in æde Sepulchri Domini, vti superiùs narratum est, tumulatur.

Goffredo vitâ functo, Balduinus eius frater, Comes Edissanus in Regno successit, atque anno à Christi natiuitate 1101 primus in Ecclesiâ Bethleëmiticâ per manus Daberti Patriarchæ Hierosolymorum coronam regni suscepit. Is Regem Ægypti cum suo exercitu viginti duorum millium strauit, & in fugam vertit. Cæsaream Palæstinam, Antipatridam, Ptolomaidem, Tripolim, Biblium, Berytum, Sidonem vrbes, atque Arsur castellum expugnauit, suoque imperio adiecit. Pharamiam quoque Ægypti vrbem Nilo adiacentẽ vi cepit, aliaque egregia multa gessit. Ex Ægypto autem victor domum repetens, graui morbo correptus, in ipso itinere intra paucos dies vltimum fato clausit diem. Regnauit annis 18. Vir impiger planè, rebus gerendis aptissimus, ad arma promptus, & militaris disciplinæ obseruantissimus, semel victus, aliàs inuictus semper. Sepultus est iuxta Caluariæ montem. Sepulchrum iniuriâ temporis collapsum, quod sit, ignoratur.

Balduino rebus fæliciter gestis vitâ defuncto, alter Balduinus, huius nominis secundus Balduini primi consanguineus Comitatu Edissano

decem

decem & octo annis strenue & feliciter administrato, anno Domini 1118 tertius Hierosolymorum Regno inauguratur. Fuit is militaris artis peritissimus, in rebus agendis prouidus, in expeditionibus fælix, in operibus pius, clemens, & misericors, religiosus, & timens Deum, atque adeò in Orationibus iugis, vt callo genua obdurata haberet.

Gazim autē Turcarum principem Minoris Asiæ Dominum prœlio superauit, ac Persas Antiochiam obsidentes binis prœliis fudit, victosque è Syriâ expulit, & Gerazam Decapoleos vrbem deditione militum cepit. Hierosolymam rediens, vbi vrbem Rages obsessam intellexit, suppetias ei laturus, eò cum exercitu perrexit: dum verò minùs cautè progreditur, insidijs circumventus à Parthorum rege Balach, quinto sui regni anno capitur. Interim Ægyptius Rex in Iudæam arma conuertens, ratus Christianos paucos, iam Rege carentes, facilè opprimi posse à multis, magnas copias in Iudæam transmisit: quas ferro & igne cuncta vastantes Christianus exercitus duce Guaremundo Hierosolymorum Patriarchâ magnâ cum gloriâ fudit, & superauit. Dein Tyrum vrbem maritimam obsedit, eamque post longam obsidionem, variosque certaminum casus, Venetorum auxilio ditioni Regis adiecit. Rex tandem decimo octauo captiuitatis suæ mense, multo ære redemptus, regno restituitur. Mox magnas hostium copias Antiochiam obsidentes profligauit. Regis Ægypti exercitum Ascalonam vsque profectus in fugam vertit, & è regno abire coëgit. Damasci pariter regem triplici conflictu superauit, & innumeras ferè hostium copias deleuit; vti hæc omnia eius tumuli secundo loco notatum Epitaphium plenè testatur. Decimo tertio verò anno sui regni in aduersam incidens valetudinem, ex magno labore & intemperie cœli contractâ, accitis filiâ Melesindâ, & genero Fulcone, eidem, (cum prolem nullam virilem haberet) coram Patriarchâ & regni proceribus imperium adhuc viuens tradidit, & habitum religionis assumens, ac vitam regularem professus, paucis inde diebus fato cessit, & iuxta Caluariæ Montem sepulchro, cuius suprà meminimus, conditus est.

Anno igitur 1132 Fulco seu Folcus Andegauensium Comes, Balduini secundi gener, regno potitur, & à Wilhelmo Hierosolymorum Patriarchâ in Ecclesiâ Dominici Sepulchri ex more coronatur. Princeps pluribus virtutibus ornatus, in egenos liberalis, rei gerendæ aptissimus, in bellicis sudoribus patiens multum, & prouidus: gliscente tamen paulatim discordiâ, & Principum simultate, infælici planè successu rempublicam administrauit. Dum enim contra Comitem Ioppensem criminis læsæ Maiestatis reum bellum parat; & Ioppen obsidet, Neapolis à Damascenorum rege incendio deletur, Paneas quoque vi capitur: ea tamen paulò pòst à Rege rursum obsessa, ciuium deditione

recepta

recepta est. Eo regnante Ioannes Imperator Constantinopolitanus contra Antiochenum Principem bellum parat, & Ciliciam occupat. Antiochiam obsidet: pace tamen demum inter partes compositâ, ad propria redit. Interim Rex, contra Sanguinum Turcarum Principem bellum gerens, infæliciter pugnauit, & castris exutus, cum paucis in Castrum Ferrandum se recepit; mox ab eodem obsessus, hosti certis conditionibus id tradere coactus est. Denique anno sui regni vndecimo in venatu ex equo præcipitatus, nulla re memorabili aduersus barbaros gestâ, paulò pòst moritur, & Balduino & Alamrico vel Almarico relictis filijs, regni successoribus, iuxta Caluariæ montem sepelitur. Sepulchrum tamen ex confractis quodnam sit, ignotum est.

Balduinus vti primogenitus, atque eius nominis tertius, in patris locum anno salutis humanæ 1142 quintus Hierosolymorum Rex subrogatur. Is adhuc impubes, & tredecim annorum adolescens, matris suæ, egregiæ fœminæ consilio multis annis optimè regnum administrauit. Ascalonam post longam obsidionem ciuium deditione occupauit. Cæsaream Syriæ, aliasque arces & oppida vi cepit. Contra Noradinum Syriæ Principem infæliciter pugnauit: mox tamen reparato exercitu parem reddidit hosti cladem, atque illum intra vrbis Alapiæ mœnia se abdere coëgit. Eo regnante Edissa Mesopotamiæ vrbs, quam Balduinus primus occupauerat, à Sanguino Mussulæ Domino per vim capitur. Imperator autem Corradus & Aloysius Galliæ Rex Latinis opem laturi in Iudæam perueniunt: quorum auxilijs Damascus vrbs obsessa fuit; potiundæ tamen quorundam perfidiâ spe amissâ, re infectâ, obsidio soluta est. Tandem Balduinus Rex anno ab incarnatione Domini 1162, Regni vigesimo, ętatis verò trigesimo tertio, post multas res præclarè gestas, veneno (vt creditur) sublatus, vitâ excessit. Cuius mortem non modo sui, sed multi barbari supra modum luxerunt; vsque adeò omnium gratiam erat promeritus: quem etsi iuxta præcessores suos tumulatum verisimile sit, nulla tamē hodie eius sepulchri extant vestigia.

Defuncto sine liberis Balduino anno 1162 Alamricus eius frater, viginti septem annorum iuuenis, Rex declaratur, & ab Amalrico Hierosolymorum Patriarchâ regio diademate insignitur. Hic militaris artis peritissimus, Siraconem Damasci Dominum, bis Ægyptum inuadentem, in gratiam Regis Ægypti, post varios belli casus non modo acie fudit, sed ex Ægypto profugere compulit. Cum Noradino apud Tripolim confligens, eius exercitum vsque ad extremam internecionem deleuit; dumque ille fugam tentat, gladio relicto altero pede nudus, iumento insidens, vix Christianorum euadit manus. Alexandriam à Siracono occupatam expugnauit, & Regi Ægyptio restituit.

restituit. Mox contra fœderis formam, quam cum Ægyptijs pepigerat, bello eis illato, Belbeys vrbem expugnat. Cayrum regiam obsidet: sed ab Ægypti Rege promissis deceptus obsidionem soluit, & ad propria redit. Siraconus dein ab Ægyptijs vocatus Soldanum dolo interficit, & se regni procuratorem constituit: quo paulò pòst mortuo, Salahadinus eius ex fratre nepos, vir impiger, & in armis strenuus, in Sultani dignitate succedens, rege seu Caliphâ per dolum occiso, Ægypti regnum occupauit. Quo cum Rex vario marte pugnauit, ac plurima prœlia gessit. Denique anno salutis humanæ 1173, Regni verò vndecimo, dysenteria obijt, & iuxta Caluariæ montem sepultus. Monumentum nescitur.

Alamrico Balduinus ex Agnete Comitissâ Edissanâ filius, eius nominis quartus, anno ætatis suæ decimo tertio, à partu verò Virgineo 1175 in regno successit. Hic, cùm ob corporis imbecillitatem, & varias infirmitates, ac præsertim lepram, matrimonio copulari nollet, posteritati consulens, sororem Sibyllam Gulielmo Marchioni Montisferrati nuptui tradidit, ex quo filius Balduinus quintus natus est. Mortuo Gulielmo Marchione, eam denuo Guidoni Lusignano Iaffensi Comiti dedit; eumque regni Procuratorem constituit, eâ conditione, vt se mortuo, nepotis sui tutelam gereret, ac regnum eius nomine administraret. Verum ille non multò pòst ob sua in regem demerita, ablatâ ei regni curâ, & administrationis honore, ab omni gratiâ regis decidit. Conuocatis dein regni proceribus, Rex nepotem Balduinum, vix annorum quinque, Regem proclamauit, eumque vnà cum regni administratione Tripolitano Comiti commisit. Interim variâ fortunâ aduersus Salahadinum Ægypti Regem bellum gessit, semel ipsius fratrem, bis ipsummet Regem signis collatis superauit; semel tantum pugnam aduersam expertus. Anno autem ætatis suæ vigesimo quinto, regni verò duodecimo, & humanæ salutis 1185 moritur. Vir sanè nulli Regum vel animi fortitudine, vel laborum patientiâ postponendus. Corpus eius in Golgothanó templo illatum, & iuxta antecessores suos sepultum. De sepulchro tamen, quale ex confractis sit, non satis constat.

Octauo à morte regis mense moritur & filius Sibyllæ, regni hæres, Balduinus quintus nomine, puer annorum vix octo; cuius obitum ipsam matrem, impotentis animi mulierem, ac Reginę nomen ambientem, lento quamuis veneno accelerasse tradunt nonnulli. Sepultus autem est in æde Golgothanâ iuxta maiores suos: cuius tumuli inscriptionem suprà annotauimus.

Rege defuncto, Guido Lusignanus Iaffēsis Comes instinctu Sibyllæ vxoris regnum suppliciter à Templarijs mercatus, Rex creatur, re cum

Tripolitano Comite non communicatâ: qui id ægrè ferens, cum & ipse ad regnum adspiraret, & regni administrationem à Rege Balduino quarto sibi commissam diceret, vindictæ studet: quæ posteà & æmuli Regis fortunam euertit, & sui ipsius quoque res, & cæterorum Latinorum in Asiâ gloriam penitus exstinxit. Occultè namq; fœdere cum Salahadino Ægypti Rege percusso, in Guidonis & Templariorũ (quorum ipse studio & operâ ad regni fastigiũ euectus erat) perniciem conspirat: socium se fore cõmeatu, ęre, & armis, Salahadinum adiuturum iurat. Salahadinus autẽ cognitâ Christianorũ Principum simultate & discordiâ, adeoque spe totius regni obtinendi certò conceptâ, cum valido exercitu Palæstinam paulò post ingreditur, Tripolitano Comite iter per Galilæam præbente, Acconẽ obsidet; verùm maximâ suorum acceptâ clade obsidionem soluit, & in fugam vertitur. Mox viribus reparatis, ad Tiberiadẽ cum regio exercitu pugnã init, & proditione Tripolitani Comitis, eoq; fugiente, vniuersum exercitum delet, Regem capit, simul & sacrosanctam Crucem, fatale regni pignus. Mox etiam Accone, Biblio, Berytho, alijsq; Palæstinæ oppidis in potestatem redactis, Hierosolymorũ vrbem obsidione cingit, ac quarto decimo tandem obsidionis die, factâ à ciuibus deditione, occupat: deniq; Ascalonâ expugnatâ, totam Palæstinam, ac Hierolosymitani regni ditionẽ, Tripoli & Tyro exceptis, suo imperio subiecit. Sic Vrbs Sancta anno à nato Christo 1187, ac vndenonagesimo quàm barbaris adepta fuera, victori Salahadino tradita, in infideliũ rursum cecidit seruitutẽ: nunquã posteà libertati restituta; licet Principes Christiani varijs temporibus summo conatu eam recipere terrâ mariq; attẽtauerint. Quę vt virtute atque concordiâ Principum Christianorum, non sine summis laboribus, plurimis cladibus, magnisq; periculis à barbarorũ iugo vindicata, Christiano cultui restituta est; ita rursum eorundem perniciosâ dissensione deperdita, & à barbaris denuò subiugata, ac spurco Mahometæorum cultui obnoxia reddita, etiamnũ infidelibus Turcis paret: qui auctore Selymo, eius nominis secũdo, post deuictos Mameluchos, & Sultanicum Ægypti Imperiũ exstinctũ, vniuersam Syriã, & Ægyptũ Osmannico Imperio adiecere. Hæc de Hierosolymorũ Regibus obiter dicta sufficiant. Reliqua prosequamur, & in primis (quod ad gloriã, dignitatem, & ornamentũ Dominici Sepulchri plurimùm facit) Christianorum ex diuersissimis Orbis partibus in Vrbẽ confluentium studia, ritus, & sacra paucis referamus.

CAPVT VI.

Diuersarum Orientis nationum Christum colentium, in Hierosolymitana Vrbe, ac in Resurrectionis Dominicæ Fano continuò degentium consuetudines, ritus, ceremoniæ, & hæreses.

FREQVENTEM suprà mentionem fecimus diuersorũ Orientis populorum, Christianæ Fidei cultorum, eorum tamẽ sacra nullibi expressimus.

simus. Idcirco non absonum à nostro instituto putauimus, si breuiter hîc illorum ritus, consuetudines, & rerum sacrarum ceremonias, abusus item, errores, & hæreses, quibus à Latinâ Ecclesiâ plurimùm differunt; prout ex fide dignorum relatu, & præsertim viri ecclesiastici Maroniticæ gentis testimonio accepimus, recenseamus.

Diuiduntur Oriẽtis Christicolæ in Græcos, Georgianos, Maronitas, Iacobitas, Surianos, siue Syros, Nestorianos, siue Chaldæos, Armenios, Cophtos, & Abassinos. Pleriq; horum scismatici, & hæresibus infecti sunt, Maronitis, Chaldæis Orientalibus, & Franc-Armenis exceptis: qui constanter in Orthodoxâ hactenus Fide, & Romanæ Sedis obedientiâ perstiterunt. His addi possunt & Cophti, paucis abhinc annis Religionem Catholicam Romanam amplexi: quorum singulorum mores & sacra descripturi primo loco Maronitas ponemus.

MARONITÆ, qui & Christiani cincti, siue Zonarij appellãtur, à longis latisq; zonis, quibus corpus cingũt, vniuersaliter Catholicã Romanã profitentur fidem, Pontifici Maximo obedientiam præstant, eumq; pro vniuersalis Ecclesiæ Primate agnoscunt; dicunturque Maronitæ à Marone quodã Hæresiarchâ, qui Macharij Antiocheni Præsulis secutus errorẽ, vnam duntaxat in Christo voluntatem, vnamq; operationẽ ponebat. Cuius hæresim quingẽtos & amplius annos secuti, & Monothelitæ olim appellati, tandẽ sub Emerico seu Amalrico tertio Hierosolymorũ Patriarchâ, Latinis in Syriâ rempublicam moderãtibus, abiurârunt, seq; Catholicę Ecclesiæ reconciliârunt. Sunt autem cęteris Christianis Oriẽtalibus & pauperiores, & pauciores; Montem Libanũ præcipuè inhabitãt, per vniuersam pręterea sparsi Syriã, in ciuitatibus & oppidis peculiares habent vicos, portis à cæteris distinctos, & in ijs Oratoria, & Templa. Ingenio omnes plurimùm valẽt; suntq; homines vel maximè industrij, & ad laborem nati; vt plurimùm tamen tenues, & inopes, præsertim qui in vrbibus habitant. Libani accolis lautior fortuna arridet, vtpote qui agriculturæ & nutriendis bombycibus dediti (quorum ingentem alunt copiam) parandæ rei sunt studiosiores. Præsbiteros (quos *Caccis* vel *Cassis* vocant, quod *Literatum* denotat) communibus sumptibus alunt: nihil enim proprij Ecclesiastici ijs in locis possident. In monte Libano plurimas habent sacras ędes, turribus & campanis Occidentalium more ornatas; quas aduentantibus aduenis, maximè Occidentalibus, congratulationis ergo pulsare solent: quod quidem nusquam alibi illis in partibus obseruatum cognouimus. Peculiarem sibi habent Patriarchã, Antiochenæ Ecclesiæ titulo decoratũ: quem ab Adriano VI. Vltraiectino illi cõcessum, & ab alijs summis Pontificibus confirmatũ prędicant. Is residet in Monasterio Diuæ Mariæ Charnobin, vel Chernubin Montis Libani, habetq;

ſub ſe decem Epiſcopos Suffraganeos, quorum operâ & conſilio in Religionis & Fidei cauſis vtitur, eoſque (ſi ratio aut vſus poſtulet) ad ſuæ curæ commiſſas oues, per Syriæ vrbes & oppida diſperſas, ablegat. Proprias ſiquidem diœceſes Epiſcopi nullas habent; ſed incertâ ſede vagantur, & prout neceſſitas Eccleſiæ exigit, diſcurrunt, multitudinem moderantur, & Patriarchæ mandata exequuntur. Annulo autem aureo, mitrâ, cæteriſque inſignibus Pontificalibus, Occidentalium Epiſcoporum more in ſacris myſterijs vtuntur; cùm tamen eorũ apud cæteros Orientis Epiſcopos nullus ſit vſus. Adhæc in pane azymo, eaque formâ, quâ Latini, ſolemnia celebrant. Pontifices omnes, vti & Patriarcha, cœlibem agunt vitam, ac Monachi ſunt ordinis Sancti Baſilij, eodemque quo & Græcorum Calogeri vtuntur habitu, capitio nempe & tunicâ nigris. Ex Epiſcoporum collegio ipſis ſuffragantibus Patriarcha eligitur; electus à Sede Apoſtolicâ Romanâ confirmatur. Sub Gregorio XIII Pontifice Maximo in prouinciali Synodo integram Catholicæ Fidei profeſſionem edidere. Multas tamen ſedis Apoſtolicæ permiſſu adhuc retinent antiquas Eccleſiæ Orientalis conſuetudines: quæ hactenus aboleri nequaquam potuere. Sacerdotes enim vxores ducunt; Sabatho carnes comedunt; Infantibus recenter baptizatis ſacram Synaxim porrigunt; Sub vtraque ſpecie laicos communicant; Paſcha ſtylo veteri celebrant; Sacra myſteria linguâ Chaldaicâ vel Syriacâ peragunt; In precibus publicis dicendis antiquum & Hebræis vſitatum obſeruant morem: manus namque eleuant, ſeque incuruant, ac proni in terram cadentes caput inter genua condunt, terramque ſæpius exoſculantur, quomodo Eliam & vniuerſum populum Iſrahel oraſſe in ſacris legimus Literis. Multas præterea Chriſticolarum Orientis obſeruant conſuetudines, quas breuitatis cauſâ omittimus. In negocijs Arabicâ vtuntur linguâ, præter eos qui Cyprum incolunt; quibus Græcum idioma in vſu eſt.

GRÆCI longè lateque per vniuerſam Orientem diffuſi, pro locorum & regionum diuerſitate varia ſortiti nomina: alij Georgiani, alij Syri, alij Græci ſimpliciter appellantur: omnes tamen veteri Græco idiomate ſacra celebrant, & de fide idem ſentiunt. In quatuor verò diuiſi Patriarchatus, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum Eccleſiam regunt. Antiochenus ob ſolo æquatam maiori ex parte Antiochiam, Damaſcum Syriæ vrbem primariam incolit: cæteri vrbes, à quibus titulum habent. Poſteriores duo Antiochenus nempè & Hieroſolymitanus vulgò etiam Melchitæ appellantur. Eliguntur Patriarchæ ex Metropolitanorum numero ab Epiſcopis prouincialibus: electi verò facultatem primò à Baſſa prouinciæ cui ſubſunt, impetrant; mox confirmationem à Turcarum Im-

peratore petunt; quâ obtentâ, Ecclesiasticam iurisdictionem (Turcarum auctoritate muniti) in subditos exercent. Confirmatio maximo ijs quandoque constat, Constantinopolitano præsertim, qui cæteris primatu, dignitate, iurisdictione præstat. Postremum triginta millibus aureorum Patriarchatum à Portâ Osmannicâ nundinasse fama est. Patriarchæ Archiepiscopos & Episcopos suę sedi subiectos consecrant. Cœlibes omnes, & monasticæ vitę homines, ordinis Sancti Basilij: cæteris presbyteris, quod vxorati sint, ab his dignitatibus exclusis. Vnicus hic apud Græcos monasticæ vitæ ordo innumeros monachos, & plurima diuersis in locis habet Monasteria. Celebriora sunt Sancti Michaëlis, & Sabæ Palæstinæ Monasteria. Hoc à Diuo Sabâ abbate nomen accepit: fuitque olim quatuordecim millium monachorum sedes; cuius rudera & ruinæ amplissimæ iuxta Herodij castri reliquias etiamnum supersunt. Illud in Vrbe Hierosolymâ est, in quo centum & amplius monachi domicilium etiamnum habent. Sequuntur Montis Sinai, Diuæ Catharinæ titulo clarum, Montis item Athos in Macedonia, Gręcis Agion oros, viginti tribus Monasterijs insignis, & Montis Olympi in Bithyniâ, Græcis Calogeron oros Monasteria: quæ in hoc monte plura sunt, omnia & numero & vitæ sanctitate plurimùm commendata. Monachi omnes patrio vocabulo Calogeri nũcupantur, non veluti καλὸς ἱερὸς id est Bonus sacer, quod multis persuasum est, sed quasi καλὸς γέρων (sic enim hodie loquuntur) id est bonus senex: nam senilis ætas huic professioni aptissima est. Tunicâ & capitio vtuntur nigris; nonnulli etiam griseis. Cœlibes omnes & incorrupti, austeram agunt vitam, vigilijs, ieiunijs, summâ abstinentiâ corpus macerant. A carnibus omnino abstinent: præter oua, lacticinia, & pisces sumunt nihil. In quadragesimâ, & reliquis ieiunijs (quatuor enim ieiunia in anno obseruant) ne piscibus quidem vescuntur, aut re aliquâ quæ sanguinem nutriat; solis hortensibus herbis, & leguminibus, etiam absque olei condimento, & piscibus salitis, vel siccatis contenti. Agriculturæ in primis, qui ruri degunt, operam dant, & suis laboribus victum quærunt; pauci literis incumbunt, rudes plerique, & literarum ignari. Neque solùm Calogeri quatuor annua obseruant ieiunia, sed & cæteri omnes Clerici & Laici. Primam cum Latinis communem habent; in eo solum differentes, quod à Dominicâ Quinquagesimæ eius initium sumant, Latini à quartâ feriâ sequenti. His temporibus piscibus, nisi salitis aut siccatis, nulli vescuntur; duobus tantum exceptis diebus Palmarum & Annuntiationis Mariæ Virginis: quibus piscium esus omnibus conceditur. Alterum ieiunij tempus ab octauâ Pentecostes initiũ sumit, duratque in festum vsque Apostolorum Petri & Paulli. Tertium, quod à Diuâ Virgine nomen habet, à Kal Sextilibus inchoatur, finiturque

que in professo Adscensionis Virginis. Quartum circa Natalem Domini ad septenam vsque hebdomadam protrahitur. Discrepant adhæc à Romanâ Ecclesiâ in multis, quæ ad Fidem & ritus ecclesiasticos pertinent. Pertinacissimè enim contra Latinos Spiritum Sanctum nō à Filio, sed à Patre tantùm procedere contendunt: nec symbolum Athanasij recipiunt. Pontificis Romani primatum negant: idque tantum concedunt, vt primùm inter Patriarchas locum teneat, non omnibus imperet. Indulgentias nomine Pontificis promulgatas, & censuras eius ecclesiasticas floccipendunt. Purgatorij locum, quo pœnis sensibilibus animæ defunctorum (qui viuentes in charitate Ecclesiæ mortui sunt, nec tamen perfectam in vita egerunt penitentiam) purgentur, nullum admittunt: sed Dei visione priuari, ac conscientiâ suâ solummodo torqueri asserunt. Sunt tamen qui Purgatorium nō negant, sed existimant illud esse locum tenebricosum, & laboribus plenum, absque igne materiali. Preces tamen omnes pro defunctorum animis ad Deum fundunt, & eleëmosynas erogant: quas prodesse defunctis putant. Arbitrantur adhæc defunctorum animas iustorum ante diem Iudicij non recipere mercedem promissam, sed in locis conuenientibus expectare illam in die Iudicij recipiendam. Exinde quoque neque has Deum statim videre, neque damnatorum animas ante in Infernum trahi, quàm corpus resumpserint, cum quo postea perpetuò puniantur, autumant. Interea tamen eas futurarum pœnarū timore maximo affligi aiunt. Rationi siquidem nequaquam consentaneum esse putant, vt anima, quæ vnà cum corpore aut virtuti aut vitijs operam dedit, priùs quàm corpus ipsum, quod organum fuit actionum animæ, condigna consequatur merita, aut pœnas. Hinc etiam existimant neminem Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, aut Martyrum gloriâ cœlesti hactenus fruitū esse, vel etiam in diem vsque Iudicij fruiturum: vnam Virginem Mariam excipiūt: quam singulari Dei priuilegio statim ad cœlos adscendisse fatentur. Et cùm hæc eorum opinione ita sese habeant, sanctos tamen tanquam Dei amicos, & cœlestis gloriæ participes inuocant, ijsque inueteratâ quadam consuetudine publicè suis in delubris Preces & Vota exhibent: adeoque se factis credere testantur, quod verbis negant. Consecrant in pane fermentato, & aquam vino non miscent, contra antiquum Ecclesiæ vsum. Laicos sub vtraque specie communicant, erectos, non genibus nixos. Damnant qui sub vnâ specie Sacramentum percipiunt. Baptizant per verba tertiæ personæ, quo modo & reliquorum ferè Sacramentorum formas proferunt, contra Latinorum morem; quos idcirco non debito modo Sacramenta administrare existimant. Sacramentum Confirmationis, licèt expresè non negent, separatim tamen à Baptismate (vti Latinis vsitatum est) non conferūt:

ſed baptizatũ ſacro Oleo ſeu Chriſmate ſtatim inungũt. Extremæ Vnctionis vſum Romano more non habent: oleũ tantũ in pręſentiâ ægroti benedicũt; quo cum inungunt. Sabbato carnibus veſcuntur, neq; vnquã Sabbato ieiunãt; Paſchatis & annui Ieiunij exceptis; eius tamẽ loco quartâ cuiuſq; hebdomadæ feriâ à carnibus abſtinent. Barbas ſtudioſè admodũ nutriunt: imberbes ſacerdotio indignos putant. Capillos promiſſos, & à capite in dorſum dependentes Nazareorum more geſtant. Sacerdotibus vxores (quas ante ſacros ordines duxerunt) permittunt: bigamos rejiciunt, nec ſacerdotibus, vt ad ſecundas nuptias tranſeant, concedunt: neque etiam eorum viduis, quas *Papadias* vocant, vt viros *Papaſſos*. Ad ſacerdotiũ nullos admittunt, vel celebrare ſaltem non ſinunt, niſi priùs annum trigeſimum attigerint. Sacra myſteria diebus duntaxat Dominicis, feſtiſque maioribus celebrant, cæteris non item; ſed amplexibus vxorum vacant. Priuatas miſſas non agnoſcunt: nec niſi vnam in eodem templo admittunt. Latinorum Sacramentis non aſſurgunt, nec honorẽ vllum exhibẽt: quippe quos anathematizatos, & in azymo pane non ritè Sacramentum conficere putãt. Quare ſi aliquẽ eorum in ſuis altaribus ſacrificaſſe compererint, ea prophanata eſſe credentes, diligenter ſtatim lauant, & ſuperficiem abradunt, priuſquàm in ijs celebrent. Signo Crucis vbi ſe muniunt, non vti Latini, formam Crucis manibus exprimunt, ſed ductæ à ſummo ad imum lineæ tranſuerſam ab vno duntaxat addunt latere, vt hoc facto Spiritũ ſanctum à Patre ſolum procedere teſtentur. Laicis tertias nuptias prohibent. Hos legibus ſoluit Patriarcha; ſed duris legibus, vt biennio à ſacrâ communione abſtineant, quartâ & ſexta ferijs pane & aqua ieiunent, multaque pauperibus elargiantur. Diuortium vel leui de cauſâ admittunt: maximam putant, ſi vxor morbo aliquo inſanabili laboret. In cauſa fornicationis poſſe coniugem innocentem non ſolum ſeparari quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum, à coniuge, & aliud matrimoniũ inire pertinaciter defendunt. Habent & alios peculiares ritus, & ſuperſtitiones; quas, ne legentem fatigemus, omittimus.

SYRI ſiue Suriani à Syria Prouincia, ſiue à Sur oppido (vt quidam volunt) ſic dicti, per vniuerſam ſparſi Syriam, ſeparata per vrbes & oppida habent Templa ſeu Oratoria, vicos etiam ab alijs habitatoribus diuiſos. Homines autem ſunt induſtrij, ad artes & agriculturam aptiſſimi, vt plurimùm verò vafri, cauti, callidi, ac leues, & ad fallendum nati, ipſis etiam Turcis (quorum vitia & mores longâ conſuetudine hauſere) quandoq; priores. Nam & Chriſtianos alienigenas, maximè Occidentales, quibus fauere & ſubſidio eſſe apud Turcas religionis intuitu deberẽt, ſæpenumero ſpe lucri apud barbaros deferunt, eorum ſecreta aperiunt, & calumnijs vexãt. Cauendũ igitur vel

maxime

maximè Occidentalibus aduenis, ne horum consuetudine vtantur, sed velut pestem fugiant. Prædicant se Christianorum omnium antiquissimos, quòd Diuus Petrus primò Antiochiæ sedem habuerit, ac inde eam Romam transtulerit, nec subesse idcirco volunt Romano Pōtifici; sed cum Græcis eius obedientiam recusant. Peculiarem habent Patriarcham, Melichæ commorantem; cui in sacris obediunt omnes. Is plurimos sub se Suffraganeos habet, & Catholicus à suis vocatur: quod apud illos Primatem denotat: solent enim vtrouis vocabulo indifferēter vti. De Fide eadem quæ Græci sentiunt; excepto quod iustorum animas diuino adspectu & cœlesti gloriâ frui, malos ante diem Iudicij extremum pœnis Inferni torqueri credant. In sacris linguâ vtuntur Græcâ: in negocijs Arabicâ, nonnulli Chaldaicâ. In reliquis conformes sunt Græcis.

GEORGIANI populi sunt Asiæ, maris Euxini accolæ; ijsque potiuntur regionibus, quæ olim Iberia & Albania dictæ, nunc vnico vocabulo *Georgia* appellantur: cui Armenia maior à Meridie, Caucasei montes à Septentrione, ab Ortu mare Hircanum, seu Caspium, ab Occasu Pontus Euxinus adiacent. Regio omnis inaccessis montibus cingitur: Caucaseis enim rupibus niuosi admodum excelsique mōtes, & abruptæ valles cathenatis inter se rupibus annectuntur: vt hinc iniquitate locorum difficultateque egregiè muniti, sola defendentis naturæ munimenta inuadentibus objiciant. Sunt autem homines strenui, robusti, & bellicosi; humani tamē, comes, benigni, & faciles. Diuū. Georgium Martyrem (à quo & nomen sumpsere) in summâ veneratione habent, & præ alijs Sanctis specialiter honorant, ac suum Patronum celebrant: cuius imaginem in signis militaribus depictam perpetuò deferunt. In Persas quidem propensi, Turcis autem hostes infestissimi. Consociatis siquidem cum Persarum rege viribus, quoties belli tempestas inter Turcam & Persam ingruit, Imperium Turcarū inuadunt, & prouincias effusè populantur. Hinc Mahometæi iugi hactenus vixere expertes; & licet à Turcis sæpiùs bello petiti fuerint, domari tamen & subiugari nequaquam potuere: quinimo suos fines fortiter tutati, bellicosos Turcarum conatus non minori constantiâ quàm informidabili animorum vigore sustinuere: vt in hunc vsque diē, etiamsi vndique barbaris septi, atque inter quatuor potentissimos totius Orbis Imperatores positi, Turcam nempe, Persam, Tartarum, & Moscouitam; qui diuersis temporibus singuli eorum regioni inhiarūt, suæ Fidei pareant principibus, ac soli præ cæteris Orientis Christicolis libertate fruantur; quam tot iam annis inuictæ virtutis argumento egregiè tutati sunt: vicinis idcirco Turcis potiùs formidandi, quàm qui illos formident. Ex Sultani autem Cairensis singulari indulto, &

priuilegio,

priuilegio quondam ipsis concesso, & à Turcâ eius in Imperio successore confirmato, dum singulis annis ad aliorum Orientis Christianorum exemplum Sepulchri Christi honorandi gratiâ Hierosolymam commeant, soli ex omnibus Christianis instar belligerantium magno comitatu signisque militaribus iter agunt, vrbemque nullo soluto tributo introëunt, sacraque mox loca explicatis vexillis ingrediuntur. Horum Principum filias plerique Persarum Reges à multis iam annis in vxores sibi adsciscere cõsueuere: quæ res vt firmę & stabili amicitiæ inter vtramque gentem viam aperuit, sic mutui fœderis fundamentũ iecit, pacemque initam firmiorem reddidit. Viri capillos & barbam nutriunt, pileos diuersicolores gestant. Clerici coronas rotundas, Laici quadras in capite habent. Plurimos habent Episcopos, & Monachos ordinis Sancti Basilij; qui licet ab Ecclesiæ Romanæ doctrinâ non ita abhorreant vt Græci, in rebus tamen Fidei, sacrisque ceremonijs ac ritibus Græcorum consuetudines obseruant; quorum etiam linguâ in sacris mysterijs, ac Sacramentorum dispensatione vtuntur: in negocijs verò Chaldæâ, Persicâ, & Arabicâ.

IACOBITÆ nonnunquam Dioscoriani, & Eutychiani appellati, à Dioscoro, Eutychete, & Iacobo, qui eorum hæreseos primi authores in Concilio Chalcedonensi ab Ecclesiâ damnati fuere: Asiæ populi sunt, vrbes & oppida ac pagos Syriæ, & Diarbechæ, olim Mesopotamiæ passim percurrentes: Nubiæ etiam magnam partem inhabitant; perque Æthiopiam sparsi, in Indiã vsque superiorem se dilatant, pauperculi plerique, ac quotidiano labore victum quæritantes. In Alepo tamen & Caramit multos diuites, & honestarum facultatum familias mercaturam exercentes inuenias. Hi primum à Diuo Matthæo (vt volunt) ad Christi fidem conuersi, post à Iacobo quodam hæresiarchâ Patriarchæ Alexandrini discipulo in errores & hæreses inducti sunt. Peculiarem autem habent Patriarcham, quem à Monasterio Gifran, vel Zafran, iuxta Merdin, vel Moradin Mesopotamiæ vrbem pósito, Gifrani vel Zafrani Patriarcham appellant: quo in loco ante multos annos Patriarchatus sui sedem habuisse dicitur; hodie verò in vrbe Carahemidâ, vel Caramit, priscis Amidâ ad maiorem sui commoditatem & quieté residet. Multos hic sub se habet Archiepiscopos, & Episcopos; qui Hierosolymis, Damasci, Alapiæ, Edessę, Mussulæ, alijsque in vrbibus Syriæ & Mesopotamiæ, nec non Cypro insulâ domicilium fixere. Plurimi item monasticæ vitæ cultores ordinis Sancti Antonij, varijs in locis per monasteria diuisi, supremam eius auctoritaté agnoscunt, eique in sacris obtemperant. Hi omnes Calogerorum instar cœlibem agunt vitam, ijsdemque ferè vtuntur & moribus & habitu. Syriacâ linguâ, Sacerdotibus tantum notâ, rem sacram agunt. In negocijs

Arabicam, & Persicam, aliasque linguas, in prouincijs, quas inhabitant, vsu receptas, vulgares habent. Deficiente ære campano, crepitaculis statis diebus & horis vicatim discurrunt, ac strepitum edunt, quo admonentur omnes vt ad Ecclesiam precandi causâ se conferãt. Pluribus autem impliciti erroribus, malè inprimis de Christo sentiunt; Naturas namque Diuinam & humanam permiscentes, & vnam conflantes ex duabus, vnam voluntatẽ, vnamq; operationem in eo constituunt. Negantes esse in Christo post vnionem Verbi cum carne duas integras, perfectas, inconfusas & impermixtas naturas cum vnitate hypostasis, siue personæ. Adhæc Christi carnem non esse eiusdem naturæ cum nostrâ, neque Verbum in veram Carnem esse conuersum, sed in carnem quandam apparentem & phantasticam: simulasse itaq; se potiùs hominem, & natum, & mortuum esse, quàm re verâ fuerit, adeoq; cuncta salutis nostræ mysteria, Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Adscensionem, Aduentum ad Iudicium, ficta & simulata esse docent, & illusoria reddunt. Vtque hunc suum errorem & hæresim signo aliquo exteriori testentur, & confirment, vnico tantum digito signum Crucis formant, vnicam hoc modo Christi naturam exprimentes. Purgatorium ignem cum Græcis minimè agnoscunt. Sacramentalem Confessionem Latinis cum Græcis communem, non admittunt; soliq; Deo, qui corda hominum intuetur, confitendũ aiunt. Romani Pontificis Primatum negant, eiusq; indulgentias, & censuras ecclesiasticas spernunt. Conciliũ Chalcedonense non recipiunt. Dioscorum, Eutychetem, & Iacobum, in eodem Concilio damnatos, vt sanctos venerantur. Sacrum celebrãt in pane fermentato mixto oleo. Sacramentum Confirmationis Catholicorum more non administrãt, sed vnà cum Baptismi Sacramento certis æquiualentibus verbis conferunt. Sacram Synaxim paruulis recens natis, baptizatis tamẽ priùs, porrigunt: quos etiam Iudaico more circumcidunt: vtrumq; enim necessarium autumant. Quemadmodũ nec prodesse Baptismum putãt, si Chrisma, signũ Crucis, & Eucharista desint. Omnes sub vtraq; specie communicant. Per verba tertiæ personæ pleraq; sua conferunt Sacramenta. Presbyteris vxores permittunt. Locum, vbi publicas Deo fundunt preces, thure adolent: atque ita eas vnà cum fumo cœlũ conscendere, & à peccatis se purgari certò sibi persuadent. Frontibus alij, alijgenis, alij temporibus Cruces inurunt, eâ ratione, vt ab infidelibus secernantur, sintq; semper memores Passionis Christi; plerique etiam brachijs: quâ quidem adustione à peccato originali se expiari credũt. Sua pignora elementali igne iuxta atq; aquâ baptizãdo, candenti ferro characterẽ Crucis frontibus baptizatorum inurunt. Hæreseos huius ansam sumunt ex verbis Ioannis, dicentis: *Ipse vero vos baptizabit aquâ & igne.*

& igne: sed non satis attendunt, quod Ioannes dicit Christum baptizare igne, non hominem, cui baptismus saltem aquæ creditus est. Cęterùm multas alias obseruant ceremonias, Græcis & Surianis vsitatas, quas breuitatis causâ omittimus.

CHALDÆI seu Nestoriani à Nestorio hæretico sic dicti (cuius hęresis in tertiâ Synodo Ephesinâ à Patribus damnata est) Syriam, Mesopotamiam, Assyriam, & Chaldæam regiones passim inhabitant, præcipuè verò eam, quæ inter Mediam & Mesopotamiam Assyriæ adiacet. *Curdistan* Turcæ, hoc est Curdorum regionem hodie appellant. Hi olim à Xenophonte & Ptolomæo Carducci, & Carduini, à Strabone Cardaces, nunc Curdi dicti, populi sunt ferocissimi, bellicosi, latrocinijs & rapinis assueti, Carauanis vel maximè infesti, atque omnium Christianorum Orientis pessimi. In horum regione videre est Mossel vel Mussul seu Mozal ad ripam Tigridis vrbem munitissimam, fossis murisque cinctam, ædificijs, vijsque publicis celeberrimam, eodem (vt multi volunt) positam loco, quo olim Niniue Assyriæ regia extitit: cuius quidem præter nouæ vrbis ædificia, ac circumiacentes pagos, quondam Niniue mœnibus inclusos, nulla hodie aut pauca admodũ supersunt vestigia. Duobus hodie subsunt Patriarchis. In duas enim diuisi classes, alij Chaldæi Assyrij Orientales, alij Nestoriani simpliciter appellantur. Hi schismatico Patriarchæ Bagadatis commoranti, illi Catholico & Orthodoxo Patriarchæ in Mozal quondam, nunc varijs in vrbibus pro temporis occasione sedem habenti, obediunt. Horum enim Patriarchæ à multis iam annis abiuratâ Nestorianâ hæresi, obedientiã Romanæ Ecclesiæ præstiterunt, atq; à sede Apostolicâ cõfirmati, & titulo Ecclesię Musal insigniti fuere; quã tamẽ hactenus, à Patriarchis scismaticis impediti, quiete potiri nequiuerũt; sed in vrbibus Caramit, vel Sarh, seu Seert, aut Zeinalbach in confinijs Persiæ residere, atque incertâ sede vagari coacti sunt. Ex his *Simõ Sulaca* ordinis S. Basilij monachus Romæ Fidei Catholicę professione editâ, à Iulio III confirmatus est: qui domum rediẽs, Archiepiscopis & Episcopis quibusdam ordinatis Nestorij inuocationẽ, quæ in sacris à Diacono fieri solebat, rejici & aboleri iussit. Eo fraude Patriarchæ schismatici à Turcis occiso, successit in Patriarchatu *Abdesu* eiusdẽ ordinis Sãcti Basilij monachus: qui Concilio Tridẽtino interfuit, Romæq; Pio IV. Põtifici Maximo obedientiã pręstitit, & in patriã reuersus, quãplurimos Archiepiscopos, Episcopos, & sacerdotes ordinauit. Cui, paucos post annos defũcto, successit *Atalla*, siue *Attella*, eiusdẽ ordinis monachus; qui confirmatione à sede Apostolicâ nondum postulatâ diẽ suum obijt. In cuius locũ *Donha Simon*, Archiepiscopus de Celu, suffectus est: qui anno 158. Gregorio XIII Pontifice Romam procuratorẽ misit, & per eundẽ

obedientiam ſedi Apoſtolicæ præſtitit, & ab eodem Pontifice confirmatus pallioque Patriarchali donatus eſt. Eſt autem pallium circulus ex ſubtili panno, quatuor aut quinque digitorum amplitudine, ex quo duæ ex eodem panno propendent faſciæ, ita vt cum circulus humeris Patriarchæ ſeu Antiſtis impoſitus fuerit, duæ illę faſciolæ à pectore & à tergo dependeant. Cęterùm Chaldæorum Orientalium ditiſſimi & potentiſſimi plerique in vrbe Amit, ſeu Caramit domicilij ſedem habent, atque vnicè Romanæ Sedis obedientiam cōſeruare adnituntur. Neſtorianæ verò ſectæ potentiores ditioreſq; ſchiſmatico Patriarchæ deuoti, Bagadatem, Mozal, & Gezirem Chaldææ vrbes primarias precipuè inhabitant. Quoniam verò in Bagadatis vrbis mentionem incidimus, lubet obiter hic multorum errorem (qui eam ſupra antiquæ Babylonis ruinas ædificatam putant) detegere, ac tam veteris Babylonis, quàm Bagadatis hodiernum ſitum & conditionem aperire, quemadmodum ab ijs qui vtrumque inuiſerunt, accepimus; vt inde dilucidiùs appareat quàm maximè hac in re plurimi hallucinentur. Eſt igitur Bagadates, quàm Turcę, cæterique Orientis populi *Bagadet* vel *Bagdat* appellant, veteris olim Chaldææ, nunc Diarbechæ regia, in latâ planitie ſupra Tigrim poſita, in duas diuiſa vrbes, quæ flumine interlabente ponte ſublicio ratibus ſupra fluuium impoſito, iunguntur, eo exſtructa loco, quo olim Seleucia & Cteſiphonta vrbes extitere. Vtrāque autem vrbem (quæ nunc viſitur) inſtauratam eſſe à Mahometæorū Caliphis, Mahometi proximis, Arabicæ inſcriptiones variæ, pedalibus deauratiſque literis turribus inſculptæ, clarè demonſtrant. Babyloniā verò veterem ad Euphratem conditam fuiſſe, eumque mediam interluiſſe vrbem tradunt ſcriptores: cuius etiā Strabo meminit; qui Seleuciam trecenta ſtadia à veteri Babyloniâ diſtare ſcribit: quod item ex ipſius ruinis etiamnum extantibus, & quaſi ſeſquidiei itinere à Bagadate diſſitis, colligi licet. Viſuntur namque hodie plurimæ Babylonis reliquiæ prope Felugum vel Felugiam ad ripam Euphratis pagum; vetuſtiſſimi in primis atque omnium maximi pontis arcus aliquot ſemiditruti, flumini Euphrati (qui eo loci quingentos circiter paſſus latitudine continet) impoſiti. Mœnium quoque rudera atque arcis ruinæ ampliſſimæ. Turris item vulgò Danielis dictæ, è nigro lapide; nec nō plurimæ aliæ & turres, & arcus, ac rudera ingentia, priſci illius ſæculi monumenta. Haud procul inde mons excelſus conſpicitur, quingētos ferè paſſus ſuo ambitu complectens, atque ob beſtiolarum tricipitum (quæ Eglo nominantur) valdè noxiarum, ac ſerpentum ingentē copiam, inacceſſibilis: qui celeberrimæ illius turris Babylonicę à Nemroth rege inſtauratæ veſtigium eſſe putatur. Sed & tota illa ora, quæ antiquæ Babylonis rudera occupat, in eam vaſtitatem & deſolationem abijt,

Lib. 16.

abijt, adeoque horridam, sterilem, & desertam vbique se exhibet, vt nusquam vel arborem, vel virentem vllam herbam conspicias; imò nec ædificium, nec casulam aliquam præter veterum ædificiorum reliquias & ruinas, obuiam habeas: maledicti Diuini meâ quidem opinione indubitatum testimonium. Atque hunc verum esse situm antiquæ illius Babylonis, vel eo magis crediderim, quod Hieremiæ vaticinio illam nunquam restaurandam, sed in perpetuam desolationē abituram constet. Sic enim de illâ vaticinatus est: *Ecce nouissima* (inquit) *erit in gentibus deserta inuia & arens; ab irâ Domini non habitabitur; sed redigetur tota in solitudinem; omnis qui transibit per Babylonem, stupebit. & sibilabit super vniuersis plagis eius*. Et paulò infra: *Quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur, propterea habitabunt eam dracones, cum fatuis sicarijs, & habitabunt in eâ struthiones, & non habitabitur vltra vsque in sempiternum, nec exstruetur vsque ad generationem; sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham & vicinas eius ait Dominus, non habitabit ibi vir & non incolet eam filius hominis*. Quibus sanè verbis manifestè conuincitur Bagadatem vrbem (quæ populosa & frequens est) non esse supra antiquæ Babylonis ruinas (vt multi putant) conditam. Neque enim huic Prophetæ vaticinium adaptari vllo modo posse, quinimo conuenire potiùs situi, quem suprà retulimus, quemque veteris esse Babylonis asserimus, facilè quis viderit. Hisce de Babylone dictis, ad propositum, vnde digressi sumus, reuertamur. Supremo Bagadatino Patriarchæ, quem schismaticum esse diximus, multi subsunt Archiepiscopi, & Episcopi, Monachorum item Monasteria ordinis Sancti Antonij quam plurima: ex quorum cœtu cùm Archiepiscopi, tum Episcopi omnes eliguntur. Chaldæâ linguâ sacerdotes (qui & vxorati sunt) diuina mysteria celebrant. His verò hæresibus inuoluti sunt. Duas in Christo personas constituunt, Diuinam vnam, humanam alteram, Asserentes non esse à verbo Dei carnem assumptam in vnitate personæ, sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, & Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem deiferum, adeoque Christum Deum ab homine Christo separantes, solum hominem, non etiam Deum esse volunt eum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus, quique deinde rediuiuus in cœlum adscendisse, & rursum ad iudicandum orbem terrarum reuersurus ab Ecclesiâ Catholicâ prædicatur. Hinc etiam in Virgine Mariâ illud θεοτόκος Diuæ Virgini ab vniuersali Ecclesiâ attributum, rejiciunt; eamque purum hominem peperisse, qui non solum naturam, sed etiam personam humanam haberet: & proinde non Dei, sed Christi genitricem affirmant. Spiritum Sanctum quoque non habere per filium

Cap 50.

ſuam ſubſiſtentiam, ſed à ſolo Patre eſſe contendunt. Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Vnctionis prorſus ignorant. Neſtorium ab Eccleſiâ damnatum, in maximo honore habent, & publicè inuocant. Sacramentorum veras formas non agnoſcunt: per verba enim tertiæ perſonę, quemadmodum Græci, Sacramenta nonnulla conferunt. In pane quoque fermentato conſecrant. Paruulis non minùs quàm adultis Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie porrigũt. Purgatorij ignem omnino negant; nullumque hominem quantumuis ſanctiſſimum, è vitâ hac mortali egreſſum, Paradiſi gloriæ fore participem ante extremi Iudicij diem, pertinaciſſimè defendunt. Pontificis Romani Primatum non admittunt. Hos alioſque errores craſſiſſimos veræ doctrinæ longè anteponunt. Cæterùm in negocijs, Arabicâ, & Perſicâ vtuntur linguis.

ARMENII per omnem ferè Orientem latiſſimè ſparſi, Syriæ, vtriuſque Armeniæ, Meſopotamiæ, Perſidis, Caramaniæ, nec non Ægypti vrbes paſſim inhabitant. Homines ſunt acerrimo ingenio præditi, mercaturæ in primis dediti, atque omnium artium mechanicarum peritiſſimi, cæteriſque in rebus vel maximè induſtrij, erga exteros ſupra modum humani, & benigni; ſed & Mahometeis omnibus grati, acceptiores ſaltem cæteris Orientis Chriſticolis: quamobrem plurimis apud barbaros gaudent immunitatibus, & priuilegijs. Græcis verò in primis infenſi, maximo iam dudum inter vtramque gentem vigente odio, Latinis autem ſtudioſiores, quòd hos pariter à Græcis odio haberi nouerint. Duos habent Patriarchas vniuerſales, quorum alter in Monaſterio *Ecmeazim*, prope Seruam, vel Eruan, ſiue Ereuan, Perſidis vrbem degit; quem, propter maximum & amplius quam mille Epiſcoporum ſub ſe habentem numerum, Catholicum id eſt vniuerſalem vocant: alter in Cis Caramaniæ oppido ſedem habet; cui item plurimi ſubſunt Epiſcopi. Ille Armeniæ Maiori hodie Turcomaniæ, cæteriſque adiacentibus regionibus: hîc Minori vulgò Anaduote & Pegiam ac circumvicinis prouincijs præſidet. Vterque præter Epiſcopos, plurima etiam Monaſteria ordinis Sancti Antonij ſub ſe habet. Maioris autem Armeniæ Patriarcha *Azaria* nomine Gregorio XIII. Romanæ Eccleſiæ præſidente, profeſſionem Fidei Catholicæ, à Leonardo Abelis Sidonienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis in partibus Orientalibus Nuncio ac Viſitatore Apoſtolico ſibi propoſitam, amplexus dicitur: quam propriâ manu ſubſcriptam cum epiſtolis ſuis ad eundem Gregorium tranſmiſiſſe idem Leonardus ſcribit. Porrò vterque Patriarcha & Epiſcopi omnes nihil proprij poſſident,

dent, subditorum tamen eleëmosynis sustentantur. & viuunt. Patrio idiomate sacra faciunt. Sacerdotibus vxores concedunt. Iacobum maiorem Apostolum in summo honore habent, & gentis suæ patronum & protectorem celebrant. Cæterum plurimis irretiti sunt erroribus & hæresibus. In Christo in primis (vti & Iacobitæ) vnam tantum naturam, vnam voluntatem, vnamque operationem constituunt; aiuntque Humanitatem abysso Diuinitatis esse infusam, atque ita ex Diuinitate & Carne vnum quid factum. Asserunt etiam Corpus Christi subtile, & agile fuisse, non corruptibile, neque accidentibus subiectum. Credunt quidem Virginem Mariam Deum peperisse; negant tamen eum carnem ex eâ sumpsisse; sed cœleste Corpus & spirituale è cœlis secum attulisse, atque subtilitate suâ & agilitate Virginis viscera penetrasse, Corpusque eius tanquam per canalem pertransijsse, atque ita demum statuto à natura tempore editum fuisse: Hinc verò incorruptam eam tam antè quam pòst partum mansisse volunt. Consecrant in pane azymo, aquâ vino non immista. Laicos cuiúsvis ætatis sub vtraque specie communicant. Ab esu immundorum animalium Iudaico ritu abstinent. Nullum esse locum purgationis in alio sęculo, nec vllam animam ante Iudicij diem esse posse beatam, aut damnatam autumant. Vesperi Sabbathi Sancti oua & lacticinia comedunt. Diebus Veneris à Paschate Resurrectionis Domini ad vsque Adscensionis festum vescuntur carnibus. Natiuitatis Dominicæ festum eo die quo cæteri Orientales non obseruant, sed septimo Id. Ianuarij, seu ipso Epiphaniæ festo, quo die Christum spiritualiter renatum volunt, non sine graui errore: Nam ille qui peccatum non commisit, & in cuius ore dolus inuentus non est, non indiguit vt renasceretur, sed vim regeneratiuam aquæ contulit, vt nos à peccatis lauaremur. Nec in huius tantùm festi celebratione à reliquo orbe Christiano dissentiunt, sed etiam multorum aliorum. Nam Purificationis Mariæ festum XVI. Kal. Martij, Annunciationis VIII Id. Aprilis, Transfigurationis verò Domini XVIII. Kal Septembris celebrant. Quadragesimam quidem eodem quo alij obseruant tempore, maiori tamen ciborum abstinentiâ quàm cæteri; neque enim à carnibus & lacticinijs tantum abstinent, sed ne piscibus quidem, aut re aliquâ quæ sanguine nutriatur, oleóve vescuntur, aut vino, solo pane & aquâ, atque vuis passis, vel leguminibus, vllo absque condimento, contenti. Vsuræ autem, ac magicis artibus, omnisque generis veneficijs plerique eorum summoperè dediti sunt. Cætera Iacobitis persimiles. Præter duos quos diximus Armeniorum

vniuersales

vniuerſales Patriarchas, eſt & alius Eccleſiæ Primas, Archiepiſcopali titulo præfulgens, cui millia aliquot Armeniorum Franc-Armeni dicti obediunt: qui quidem omnes Latino Catholicoque ritu viuunt. Is in Nexiuano Armeniæ Maioris vrbe, à Tauris Perſidis Regiâ ſex dierum itinere diſtante, ſedem olim habuit, atque inde titulum ſumpſit: nunc verò Nexiuanenſem Eccleſiam Archiepiſcopalem, Diuo Thomæ Apoſtolo quondam ſacram, derelinquere coactus; quod in Moſcheam Mahometęi eam conuerterint, in Monaſterio Abbaranenſi, à Nexiuano vnius diei itinere diſſito, reſidet: plurimoſque ſub ſe habet ſacerdotes, & monachos; qui omnes inſtitutum Diui Dominici ſequuntur, & cœlibem vitam agunt. Beatus ſiquidem Bartholomeus paruus, Bononiâ oriundus, ordinis Sancti Dominici monachus, ad Armeniorum conuerſionem à ſede Apoſtolicâ quondam miſſus, plurimos Maioris Armeniæ, & præſertim Nexiuanenſis prouinciæ incolas Orthodoxâ Fide imbuit, & ad obedientiam, ritumque Eccleſiæ Romanæ induxit: atque in vrbe Nexiuano primus ſedem Archiepiſcopalem conſtituit: cuius ſocij & ſucceſſores deinde plurimùm in Armeniâ Maiori Catholicam fidem auxerunt. Oppida quæ Franc-Armeni (ſic dicti à Franchis ſiue Frangijs, quo vocabulo Turcæ, Perſæ, ceterique Orientis populi Chriſtianos omnes Occidentales denotant) hactenus poſſederunt, hæc ſunt: Nexiuanum, Abbaranum, Abbragonum, Carua, Saltach, Haſcaſſen, Meaſcen, Carſan, Xhabunis, Giabug, Caragus, Chenſug, & Artach: in quibus Monaſteria non pauca ordinis Sancti Dominici videre eſt. Sacrum iiſdem fere ritibus, & ceremonijs, quibus Latini, peragunt. ſed linguâ Armenicâ, in pane item azymo conſecrant: cuius rei indubitatum nobis teſtimonium fuit Miſſale (vt vocant) typis excuſum Hieroſolymis in æde Diuo Iacobo ſacrâ (quam Armenij curant & poſſident) à Templi cuſtode nobis oſtenſum. Id enim Armenico charactere è Latino in linguam Armenicam verſum, muſicalibus notis inſtar Latini illuſtratum, & in omnibus Romano perſimile erat: quo in diuinis myſterijs Franc-Armeniorum ſacerdotes vſos fuiſſe, atque vti, cùm Hieroſolymam veniunt, veroſimile eſt. Quia verò in tremendis myſterijs, alijſque ſacris ritibus plerique Armeniorum cum Latinis conſentiunt, inde fit vt Latinorum Sacramentis debitum honorem exhibeant, Sacerdotibus aſſurgant, eoſque honore pariter & amore proſequantur.

COPHTI ſeu Copti vel (vt alij volunt) Cophiti, quos Syri vulgò Ægophtos, quaſi Ægyptios nuncupant, Ægypti enim populi ſunt, per vniuerſam Ægypti regionem diſperſi, vrbes præſertim Cayrum, Ægypti regiam, Alexandriam, Meſiem, Monfalutum, Buam, & Elchiaſam inhabitant. Peculiarem habent Patriarcham Alexandriæ degentem,

degentem, & in eâ ad ſacra peragenda Diui Marci baſilicam. Veteri atque obſoletâ linguâ Cophtâ (quam ſoli ipſorum presbyteri intelligunt) rem ſacram agunt. Epiſtolam tamen, Euangelium, & præcipuas ſacri myſterij orationes, Arabicâ linguâ (quæ ipſis patria eſt) vt omnibus æquè ſacra verba innoteſcant, Populo interpretantur. Campanas nullas habent, vt nec cęteri plerique Orientis populi; earum tamen loco annulos æneos tabulis ligneis affixos pulſant; quibus populum ad ſacrum audiendum conuocant. Parent Patriarchæ plurimi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, nec non religioſorum ordinis Sancti Antonij Monaſteria complura. Hunc item Abyſſinorum Primas Abuna nomine principem agnoſcit, & confirmationem ſuæ dignitatis ab eo recipit. Cæterùm Dioſcori, & Eutychetis ſectantur hæreſim, ipſis Iacobitis communem. Circumciſionem pręterea retinent; eamque ad ſalutem neceſſariam, nec ſufficere Baptiſmum, illâ non præmiſſâ, autumant, neque aquam elementalem ſolum in Baptiſmatis Sacramento adhibent, ſed ferro ignito baptizatorum frontes, tempora, aut genas adurunt, eiſque cauterio charecterem Crucis imprimunt; quo originale tolli peccatum autumant. Oportere enim Spiritu ſancto & igne baptizari Chriſtianum Scripturâ teſte perhibent. *Matth. 3.* Cruces etiam in brachijs ferro ignito, aut herbæ cuiuſdam ſucco informant; quo ſigno à Paganis ſe diſtingui, & Crucem ferre cum Domino dicunt. Vnico adhæc digito formam Crucis fronti vel pectori inſcribunt. De reliquis Fidei rebus cum Iacobitis ſentiunt. Gregorio XIII. Pontifice patrum quorundam Ieſuitarum operâ & ſtudio inducti fuere, vt abiuratâ hæreſi, Romanæ ſeſe Eccleſiæ reconciliare ſtatuerent: cumque iam Synodo prouinciali conuocatâ, hæreſim omnem abrogaſſent, & Romanæ Eccleſiæ auctoritati ſe ſubmiſſuros ſpopondiſſent, Galli cuiuſdam ambitione, ac fraudibus (Dæmonis ſanè inſtinctu) optimum conſilium mutauerunt, adeoque ſalutare negotium penitus euerſum fuit. Is enim cùm Paulum Marianum, natione Dalmatam, in Gallicæ nationis Conſulem Iudiciarium ſeu Mercatorium in vrbe Cairenſi electum, ægrè ferret, quem magiſtratum ipſe vel maximè ambibat, omnem mouit lapidem, quo Marianus magiſtratu pelleretur: quod vt faciliùs perficeret, nactus hanc de Ieſuitis opportunitatem, quos à Mariano domi ſuæ ali ſciebat, & à quibus reconciliationem Eccleſiæ Africanæ cum Romanâ iam quaſi confectam ſubodorauerat, Marianum vti Oſmannici Imperij puerduellem, & hoſtem apud Baſſam Cairenſem detulit, quod apud eum Sacerdotes Francos, Papæ & Regis Hiſpaniarum emiſſarios hoſpitari, ac moliri res maximi momenti in ſummam rerum Oſmannidarum perniciem, ac ſubuertere populum Chriſtianum Ægypti, & Oſmannici Imperij perturbare

quietem diceret. Baſſa hac re intellectâ, ac delatoris verbis fidem adhibens, illicò Patres & Marianum apprehendi iubet: in vincula rapit, diroque carceri mancipat: operâ tamen Clariſſimi & præſtantiſſimi viri Georgij Emi patricij Veneti, apud Cayrum tunc temporis Venetorum Conſulis, ſolutis priùs decem millibus aureorum, poſt diuturnos carceres Patres & Marianus priſtinæ libertati reſtituti; ſed illi Ægypto iuſſi ſtatim excedere, re infectâ in Italiam redierunt. Hæc Clariſſimus Emus Alapiæ Venetorũ Conſul, cùm ab illo hoſpitio exceptus per dies aliquot Alapiæ moram traherem, mihi retulit. Poſteaquam verò è Syria Venetias redijſſem, eos nihilominus cum Romanâ Eccleſiâ in gratiam redijſſe & Patriarcham Gabriëlem nomine, nuper ab ipſis electum, miſſis ad Clementem VIII. Pontificem Maximum legatis, ab eodem confirmatum, pallioque Patriarchali donatum accepi. Cuius Fidei profeſſionem Baronius Annalium tomo VI. ad calcem publicauit. Idem quoque Pontifex in horum gratiam collegium in vrbe inſtituit, ad eos in Catholicâ Fide, ſacriſque ritibus educandis accommodum.

ABYSSINI vel Abaſſini Æthiopiæ populi; Erythræi, ſeu Rubri maris accolæ, Africæ regiones ad Orientem incolunt, parentque potentiſſimo Æthiopiæ Regi, vulgò à noſtris corruptè *Preteianni* dicto, cùm à ſuis *Belulgiam* appelletur, quod vetus eſt cognomentum, à ſuperioribus regibus vſurpatum. Incomparabilis ſiquidem præſtantiæ, immenſique pretij gemmam id nomen ſignificat. Proprium tamen nomen & cognomentum quiſque Rex habet. Sunt autem homines ſolertia ingeniorum, & morum grauitate, vitæque & honeſti cultus elegantiâ vel maximè præſtantes; præſertim Sceuani regni incolæ, qui gratiâ principis plurimùm florent: nam tanquam rerum præſides populos regunt, & rempublicam principis auctoritate moderantur. Inprimis verò acerrimos ſe legum vindices exhibent, & in noxios quoſcunque ſeueriſſimè animaduertunt. Temere enim à religione deſciſcentes totius concurſu multitudinis lapidibus obruunt, ſemel verò ſuſceptæ religionis ritus, præceptaque temerè tranſgreſſos, & de Deo maximo, Diuiſque impiè loquentes, in foro viuos comburunt, homicidas propinquis interfecti occidendos tradunt, furibus oculos eruũt. Marium tentaſſe libidinem, quòd tamen apud finitimos Mahumetanos impune eſt, extremo ſupplicio crimen dignum cenſent. minora verò crimina ſcriptæ Legis interpretum arbitria ſubeunt. raros tamen pecunia, vel alteriùs rei pretium à decreti pœnis abſoluit. Rerum autem Eccleſiaſticarum primatem nomine Abunam habent. Is ab Epiſcopis electus, à Cophtorum tandem ſeu Alexandriæ Patriarchâ confirmatur. Duodecim ei ſubſunt Canonici, velut Aſſeſſores: quorum

operâ

operâ & consilio in rebus gerendis vtitur. Ex his Episcopos delectos consecrat: illi ab Episcopis ex sacerdotum numero eliguntur. Præter hos omnes plurima sub se habet Ordinis Sancti Antonij Monasteria: quorum monachi pileis tunicisque vtuntur pręlongis, coloris crocei. Rem autem diuinam, ac sacra mysteria veteri Abyssinâ linguâ (quam antiquam Chaldęam esse dictitant) perficiunt. Extant Romæ Abyssinæ linguæ sacri codices typis excusi, quos Abyssini religionis causâ ab Hierosolymis Romam venientes pro insigni miraculo in patriam deferre solent. Romæ siquidem Christianæ professionis Abyssini post Diui Petri templum maximum proprium cum domo delubrum habent, vbi suo more sacra conficiunt, & Pontificis sumptu, Cardinaliumque piâ benignitate aluntur. Imagines pictas tantùm (vt reliqui Orientis Christicolæ) in Ecclesijs habent. In publicis precibus tympanis vtuntur Turcicis, & instrumentis æneis, quæ manuum quodam motu percussa sonum edunt, suis hymnis & psalmodijs mirè congruẽtem. Psallentes assiduo corporis motu sese exagitant, vtrumque per vices flectentes genu. In psalmorum recitatione multo longiores Latinis, singulari disciplinâ ac mirâ quadam corporis fatigatione Laudes, Cantica, Precesque diuinas concinunt. Quadragesimæ tempus summâ eum abstinentiâ obseruant. Hebdomadâ Passionis Domini (quam Sanctam vocamus) sacrum, (feriâ quintâ & Sabbato exceptis) non perficiunt, nec se mutuo toto eo tempore salutant, cereósve vllos in Ecclesiâ accendunt. Sextâ feriâ Saluatoris nostri Passioni sacrâ (quo condolere se Passioni Christi magis testentur) mirâ quadam disciplinâ se mutuis verberibus afficiunt. Nihil prorsus eo die comedunt, nec ab Ecclesijs discedunt; sed orationibus, lachrymis, & disciplinis intenti, in proximum vsque Sabbathum ieiuni in templis pernoctant. Ipsa verò Dominicæ Resurrectionis nocte viri ac fęminæ simul conueniunt, tympanis, cytharis, alijsque instrumentis musicis personant, clamoribus cantuque dissono perstrepunt, ad plausum manuum choreas ducunt, ac vsque dum illucescat summo cum iubilo & corporis fatigatione tripudiant. Cæterùm licèt Christi doctrinam partim à Mattheo Apostolo, partim ab Eunucho Cãdacis Reginæ Æthiopum per Philippum baptizato, se accepisse iactitent, religionis tamen sinceritatem Iudaicis ceremonijs & ritibus inquinantes, Iudaismum etiamnum in multis retinent, & pertinaciter defendunt. Ab impuris namque animalibus abstinent, Circumcisionem obseruant, eamque ad salutem necessariam prædicant. Neque viris tantum decidere præputia, sed è pudendis etiam mulierum carunculam præcidere solent. Sunt tamen qui putant Abyssinos Christianè quidem, & cum verâ Christianorum Fide infantes baptizare, circumcidere autem ad

honorē, non ad religionē, ad signū nobilitatis antiquissimæ, nullo merito, aut Iudaicæ fiduciæ respectu: quod si ita se res habeat, non sunt propterea magis damnandi, quàm si ratione sanitatis aut medicinæ causâ abstinerent à carne suillâ, quam tamen Lex Mosaica prohibet. Veteres præterea Hebionitas sequuti, & diem Dominicum & Sabbathum sanctificant: hoc tamen magis reuerenter, quàm diem Dominicum. Baptizant, aquâ & igne, vt Cophti, masculos quidem quadragesimo, fœminas verò sexagesimo à natali die; quod si interim mori infantem contingat, sufficere illi aiunt matris cùm vterum gereret communionem. Baptismi Sacramentum diebus tantum Dominicis, Sabbatisve conferunt. Baptizatis statim Eucharistiam sub vtraque specie tribuūt. Quotannis in festo Epiphaniæ Domini speciem quandam anabaptismi, quoad externam formam, exhibent. Vniuersus enim populus in baptismi semel suscepti memoriam, & ad honorē Christi eo die baptizati, magnâ celebritate Fidem de integro profitetur, dein in flumen sese intingit, & aquis lustralibus adspergitur; quod & cęteris Orientis populis vsitatum est. Id autem, si externam speciem rei gestæ respicias, anabaptismus esse videtur; si causam, voluntatem, & intentionem suscipientium, longè aliud est: eandem enim cum Catholicis efficientiam Baptismo tribuunt, nec anabaptismum necessarium ad salutem credunt. Singulis item annis Quadragesimali tempore solemni legatione magno numero à suo Principe ad Iudeę sacratiora loca inuisendum missi, plurimos ibi transigunt dies, Deumque pro Regis sui salute, & bono regimine preces & vota offerunt. In reliquis Cophtorum ritus & errores sectantur. Plurimos tamen hæresi abiuratâ Catholicam Religionem amplexos crediderim, vel eo magis, quod qui Romæ morantur, & Pontificis ac Cardinalium sumptibus educantur, Catholicam profiteātur Fidem: quos nisi à Catholicis cò missos verosimile est.

Si quis autem Christicolarum Orientalium (quos supra recensuimus) mores, ceremonias, ritusque sacros rectè consideret, quamuis à Veritatis Orthodoxæ semitâ nonnullos aberrasse intelligat, vestigia nihilominus Veræ Fidei, & traditionis Apostolorū posteris reliquisse facilè comperiet, dum animaduertit eos etiamnum sacra mysteria, diuersis licèt ritibus & ceremonijs, eâdem tamen opinione & fide cum Romanæ seu Occidentalis Ecclesiæ Catholicis suo quemque idiomate peragere, statis anni temporibus ieiunia celebrare, ijsdem ab esu carnium omnino abstinere, Claustris Monachos concludere, Templis Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas ritè consecrare, In Choris preces Canonicas decantare, In mysterijs Eucharisticis sacra veste & ceremonijs vti, In aris Sanctorum & præsertim Crucis Christi icones,

nes, accensosque cereos non recusare, Præter Dominicum diem, plurimos etiam diuorum festos dies agere, eosque velut amicos Dei inuocandos censere, multosque alios obseruare ritus & ceremonias; quibus populum ad deuotionem & diuini numinis cultum excitent. Illorum autem hæc commenta esse qui nunc viuunt, vel paulò antè vixerint, nemo prudens suspicabitur, qui experientiâ teste didicerit nunquam in semotissimis mundi partibus disseminatos errores in eosdem ritus eandemq; sententiam conspirasse. Atque hæc de Orientalium Christianorum cõsuetudine, ritibus, ceremonijs, & erroribus dicta sufficiãt; nunc reliqua prosequamur.

CAPVT VII.

Ritus & ceremoniæ in creandis Militibus Hierosolymitanis obseruari soliti.

SECVNDO ab ingressu Sanctissimi Sepulchri die, qui quartus, Non Octobris, ac Diuo Francisco sacer erat, summo manè Peregrini omnes ad peccatorum confessionem se præparârunt: cœlestis nempe mensæ vt fierent participes. Mos siquidem est Peregrinis Catholicis, qui sacrum hoc accedunt Templum, in Antro Dominici Monumenti expurgatis primum sacramentali confessione peccatis, sacram sumere Synaxim. Delictis itaque omnium expiatis, & à Minoritis Precibus Horarijs (quas Matutinas vocant) absolutis, circa tertiam diei horam Reuerendum Guardianum pontificalibus indutum ornamentis Minoritæ vnaque Peregrini omnes bini procedentes ad Sanctissimũ Saluatoris Sepulchrum solemne ibi celebraturum sacrum deduxere. Sub finem verò mysterij (quod quidem egregiâ ac suaui symphoniâ peractum fuit) ad interius Sacellum Peregrini omnes admissi, ac cœlesti mensâ, ciboque salutari refecti sunt. Cùm verò tres è nostro comitatu deuotionis ergo ac Fidei Zelo Sanctissimi Sepulchri Milites creari summoperè desiderarent; *Ioannes* nempe *Victurius*, nobilis, & Patricius Venetus, *Decimus Musanus*, nobilis item Vicentinus, vterque Italus, atque ego, indignus licèt, atque omnium minimus, voti compotes facti, honore ac dignitate equestri insigniti sumus Id autem quo ordine factum fuerit, quibusque ceremonijs creentur Hierosolymitani Milites, breuibus subjicere visum est.

Guardianus, summi Pontificis pro Christicolis Occidentis in partibus Syriæ Vicarius, ac totius Palæstinæ Commissarius Generalis in creandis Sanctissimi Sepulchri equitibus, auctoritate Pontificiâ fungitur: Episcopali propterea dignitate præfulgens, ornamentis Pontificalibus

calibus indutus Equitum creationem peragit, hoc fere ritu. Sacris myſterijs ritè peractis; futuros Equites ſalutari iam refectos cibo ad Sanctiſſimum Monumenti Dominici Antrum introduci iubet: breuemque ad eos de dignitate ſuſcipienda Orationem habet: quâ quidem, quæ eis incumbant onera, quomodo in dignitate hac conſtituti poſtmodum ſe gerere, quale genus vitæ ducere debeant, declarat. Fungebatur munere Guardiani, cùm nos Hieroſolymis eſſemus, Reuerendus Fr. *Euangeliſta Gabbianus Mediolanenſis*, Sacræ Theologiæ Doctor eximius, qui priuſquam equeſtrem nobis dignitatem conferret, Italico idiomate hunc fere in modum diſſeruit.

Dilectiſſimi in Chriſto Fratres; Moribus atque hominum inſtitutis ita comparatum eſt, vt qui ad dignitatem aliquam adſpirent, idoneos primùm ſe exhibeant, iiſque virtutibus eluceant, quæ ad ineundam illam dignitatem vel maximè requiruntur. Honos enim (qui virtutis præmium eſt) dignioribus iure debetur, non indignis, nec immeritis. Veruntamen cùm generoſi animi ſit fortitudine clareſcere, virtute elureſcere, obire res arduas, heroiciſque actibus famam & gloriam cōparare: contrà verò vilis, abiecti, atque ſeruilis ingenij ſit vitijs ſordeſcere, deliteſcere in ſordibus, nilque præter lucrum quærerere, & obſcuram ducere vitam: Ego ſanè, ſtatum omnium veſtrûm ſi rectè conſiderem, hac obſcuritatis maculâ minimè adſperſos eſſe mihi perſuadeo: qui ſpretis tot tantiſque periculis, laboribus, incommoditatibus, & ęrumnis, neque vllo parcentes labori, nec ſumptibus, nullâ ſpe lucri, nullo ambitionis, aut falſæ gloriæ ſtimulo; ſed ſolo Chriſtiano zelo, & deuotionis feruore accenſi, ex remotiſſimis orbis regionibus huc aduolaſtis, vt Vrbem hanc toto terrarum Orbe clariſſimam, & ſanguinis Chriſti adſperſione nobilitatã, calcare pedibus, hoc ſanctiſſimum ac glorioſum Saluatoris noſtri Sepulchrum, à quo & gloria veſtra dependet, inuiſere, lachrymis rigare, deoſculari, orationibus & precibus veſtris frequentare, denique contemplatione myſteriorum Dei hoc loco peractorum frui liceret; quo ſanè fortitudinis actu, etſi cętera deeſſent, quæ ad nobilitatem requiruntur, veræ nobilitatis formam induiſſe vos planè videmini. Si enim illi Nobiles animi dicuntur, qui gaudent motu, degeneres qui domi deſident; quantò nobiliores cenſendi ſunt, qui non inani quodam luſtrandarum rerum exterarum deſiderio feruntur; ſed eò Peregrinationes ſuas conuertunt, vbi humanæ ſalutis myſteria ab Vnigenito Dei Filio peracta ſunt; eam regionem peragrãt, quam ipſe Natiuitate ſuâ nobilitauit, calcauit pedibus, adſperſit ſanguine, ac præ cęteris totius Orbis prouincijs in ſui domicilium & ſedem elegit, Præceptis ſalutaribus imbuit, Miraculis illuſtrauit, Morte ſacrauit, ac denique Reſurrectione ſuâ, & in cœlos Adſcenſione

ſcenſione celeberrimam reddidit. Quæ cùm mecum diligenter reuoluo, iniquiſſimum eſſe iudicaui, ſi vos æquiſſimo veſtro deſiderio. defraudarem. Priùs tamen quàm idipſum aggrediar, ac votis veſtris faciam ſatis, nonnulla præmittenda duxi, quæ ad rem plurimùm facere, ac vobis inprimis ſcitu neceſſaria putaui. Exponenda ſiquidem ſunt quæ in futuro milite requirantur, quæ ei incumbant onera, quibuſque reddatur obnoxius, aperienda inſuper poſtulatæ dignitatis conditio, vt iam in equeſtrem ordinem relati, vel eo magis vos viros exhibere; atque omnia ea quæ nobiles & generoſos animos decent, ſummis viribus præſtare conemini. Viget autem ab antiquo conſuetudo, vt (qui huic ordini adſcribi volunt) politicâ & ciuili nobilitate (quam plerique ex genere & virtute metiuntur) eminere, non illegittimo thoro nati, orthodoxæ Fidei deuoti, & nullâ turpitudine infames eſſe debeant: inſuper à vitijs omnibus alieni, nullis inimicitijs inuoluti, nulla ambitione, aut gloriâ mundanâ ducti, ſed ſolâ pietate honorem hunc expetere; denique id ſolum in votis habere, vt totis viribus ſtudijſque illi fideliter militent, cuius Milites eſſe exoptant. Id verò Militibus incumbit oneris, vt contra Chriſti hoſtes acerrimos viros ſe & inuictos exhibeant, omni conatu Crucis trophęum defendant. Eccleſiam Chriſti eiuſque fideles miniſtros, viduas & pupillos omni officio tueãtur, iuſtæque cauſæ patrocinentur. Si vniuerſale bellum ad Palæſtinã recuperandam indicatur, vitam, facultateſque ſuas exponant: ſi minus per ſeipſos id liceat, per vicarios ſaltem idoneos id fieri curent. In omnibus denique ſuæ vitæ actionibus ita ſe gerant, vt proſint omnibus, obſint nemini; pietatem colant, iuſtitiam obſeruent, charitatem in proximum exerceant, & irreprehenſibiles ſeſe in omnibus exhibeant. Hæc ſunt quæ milites facere decet; hæc vos libenter ſponſuros vt faciatis, imo vltrò facturos, nunquam dubitaui. Quod verò ad generis nobilitatem attinet, etſi in futuro Milite vel maximè requiratur, ſi tamen probitate vitæ illam æquet, & virtutibus compenſet; nequaquam reſpuendum huiuſmodi duximus. Summa ſiquidem & vera nobilitas eſt, ſuis clarum eſſe virtutibus, atque ad eas à naturâ eſſe compoſitum. Nam Virtus apud ſanioris iudicij homines ſemper Nobilitatis mater fuit habita: vnde rectè Chryſoſtomus ait; ſplendidum & nobilem non maiorum nobilitatem, ſed animi virtutem efficere. Quare hanc ad militiæ Hieroſolymitanæ dignitatem ſufficere verè arbitramur. Qui enim à vitiorum ſordibus abhorrent, & toto pectore ad virtutem incũbunt, non poſſunt eſſe ignobiles; dicente Deo apud Prophetam: *Quicunque honorificabit me, ego honorificabo eum: & quicunque contempſerint me, erunt ignobiles.* Et alibi Scriptura ait; *Seruire Deo regnare eſt, ac ſumma ingenuitas; contrà autem vitijs immerſum eſſe, vera eſt ſeruitus.* Ne

Ad Antoniũ Monachum Meliſſe.

1. Reg. 2.

verò

verò vos lateat, quanti hæc dignitas, hodie Deo iuuante vobis conferenda, fieri apud omnes debeat, scitote non ab Imperatore, Rege, aut Principe aliquo seculari (quorum iuribus tamen derogatum haudquaquam volo) sed à totius Orbis Christiani Pontifice Maximo Christi in terris Vicario, ac Petri Principis Apostolorum legittimo successore, qui ipsi Imperatori diadema imponit, Imperij insignia tradit, & suâ cum auctoritate in supremo honoris gradu collocat, eam conferri. Hunc etsi præsentem non spectetis, per eum tamen, quem ille hac potestate dignatus est, id præstari, qui dubitet puto esse neminem. Hæc dignitas olim Militibus Hierosolymitanis Templarijs, viris multis nominibus clarissimis conferri solebat. Sed cùm illi sensim à maiorum suorum virtutibus degeneres, vitæ suæ rationem negligerent, atque indies magis ac magis in peiora ruerent, tandem opibus, facultatibus, emolumentis, priuilegijs, dignitatibusque omnibus exuti, extremum excidium passi sunt; facultatibus magnâ parte à Romano Pontifice Ioannitis siue Rhodiensibus militibus, nunc Maltensibus concessis; in cuius rei argumentum Crucem albam, lætitiæ & vtilitatis symbolum, pro insignibus gerunt: vos rubram, quod nullâ spe lucri, nullâ vtilitatis, aut emolumenti gratiâ, sed solâ diuini honoris promouendi, & defendendæ Religionis causâ militarẽ hunc ordinem suscipiatis, nullam aliam inde sperantes mercedem, quàm solam supremi Ducis vestri benignam gratiam: qui non caduca, sed æterna largitur; qui vos quoque, si ritè & iustè munere vestro fungimini, perpetuâ beatitudine remunerabit, & cœlestis gloriæ faciet participes. Fruituri interim dum hac mortali vitâ potiri dabitur, omnibus iuribus, gratijs priuilegijs, immunitatibus, & dignitatibus, quibus Templarij, ac Diui Georgij milites olim gaudere solent. Dixi.

His dictis Minoritæ omnes Hymnum *Veni creator Spiritus* concinũt, mox solitis recitatis Antiphonâ, & Responsorio, Guardianus Deum orat his verbis.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere, Per Christum Dominum &c.

Deinde Futurus Miles de cõditione suâ à Guardiano interrogatur, quæriturque quid petat, quis sit, an habeat vnde honestè viuere, ac militarem ordinem tueri possit: an firmiter statuat, ac iurare velit militiæ Sacramentũ, quod dicturus est, se nunquã deserturũ. Ad quæ vbi genibus procũbens responderit, leguntur à Diacono Leges infra scriptæ.

Audi fili mi, Sacramenta militaria hæc sunt.

Miles Sanctissimi Sepulchri singulis diebus habitâ oportunitate Sacrum audire debet.

Necessitate exigente bona temporalia, & vitam exponere, uniuersale si bellum ingruat contra Infideles, aut si per se non poterit, mittere idoneum tenetur.

Sanctam insuper Dei Ecclesiam, eiusq; fideles ministros ab eorum persecutoribus defendere, & pro posse liberare est obligatus.

Iniusta bella, turpia stipendia, & lucra, hastiludia, duellum, & huiusmodi, nisi causâ militaris exercitij, omnino vitare debet.

Pacem & concordiam inter Christi fideles procurare, Rempublicam zelare, & augmentare, viduas & pupillos defendere, iuramenta execrabilia, periuria, blasphemias, rapinas, vsuras, sacrilegia, homicidia, ebrietatem, loca suspecta, & personas infames, ac vitia carnis vitare, & tanquam pestem cauere: Apud Deum & homines irreprehensibilem se exhibere, ac etiam verbo & facto se dignum tanto honore demonstrare, frequentare Ecclesiam, & diuinum cultum augmentare tenetur.

Lectis legibus rursum interrogatur an eas se obseruaturum sedulò iurare sit paratus. Vbi annuit, iuramentum præstat huiusmodi.

Ego N. profiteor, & promitto Deo Iesu Christo, & Beatæ Virgini Mariæ hæc omnia pro posse, vt bonus & fidelis Christi miles obseruare.

Guardianus dein ante Sepulchrum Domini procumbenti manuū impositione benedicit his verbis.

Et tu N esto fidelis, strenuus, bonus, & robustus miles Domini nostri Iesu Christi, & sanctißimi eius Sepulchri: qui te finito Mundi termino cum electis suis in gloriâ suâ collocare dignetur. Amen.

Mox porrigit calcaria deaurata, vt ea induat, tum ensem nudum, his additis verbis.

Accipe Sanctum gladium in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti (ter signum Crucis exprimens) *& vtaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac Fidei Christianæ, & quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem iniustè lædas. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat Deus per omnia secula seculorum Amen.*

Miles dein ensem Diacono restituit. Is eum in vaginam reponit, & Guardiano tradit. Guardianus eo rursum militem accingit, atque hæc addit verba.

Accingere N. gladio super femur tuum potentißimè, in nomine Domini nostri Iesu Christi: & attende quod Sancti non in gladio sed per fidem vicerunt.

Ense (quem Gotifredi Bullionij primi Hierosolymorum regis fuisse affirmant) accinctus miles surgit, eumque stringit leuiter, ac Guardiano porrigit. Mox genua flectit, & inclinato capite supra Sanctissimum Saluatoris nostri Sepulchrū à Guardiano ordinatur hoc modo. Guar-

dianus ense plano tribus vicibus scapulas eius percutit, atque hęc adjicit *Ego constituo & ordino te N. Militem Sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi: in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; ter signo Crucis addito.

Osculum dein Militi porrigit, & torquem aureum cum Cruce ex auro collo eius injicit. Est autem huic Ordini Crux rubea quatuor minoribus Crucibus circundata pro symbolo. Ordinatus Sanctissimũ Sepulchrum his ornatus insignibus osculatur. Hymno denique à Minoritis dicto *Te Deum laudamus* alijsque consuetis Antiphonis, Versiculis, & Responsorijs, hanc supra caput Militis Orationem ad Deum recitat Guardianus.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui cuncta solus moderaris, & rectè disponis: quique ad coërcendam militiam reproborum, & tuendam iustitiam, vsum gladij in terris hominibus tuá salubri dispositione permisisti, & salutarem ordinem ad populi protectionem institui voluisti; clementiam tuam suppliciter exoramus, vt sicut Dauid puero tuo Goliatem superandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non inuocantium triumphare fecisti, ita & huic famulo tuo, qui nouiter iugo militiæ collum supposuit, pietate cœlesti vires & audaciam ad Fidei & Iustitiæ defensionem tribuas & præstes; Fidei Spei & Charitatis augmentum dones, timorem pariter, & humilitatem, perseuerantiam, & obedientiam, & patientiam bonam concedas, & cuncta in eo rectè disponas, vt neminem cum gladio isto vel alio iniustè lædat, sed omnia cum eo iusta, honesta, & recta defendat, & sicut ipse de minori gradu ad nouum Militiæ prouehitur honorem, ita veterem hominem deponens, cum actibus suis nouum induat hominem; vt te timeat, amet, & rectè colat; perfidorum consortia vitet, & suam in proximos charitatem extendat, iusteq; in cunctis officium suum exequatur. Per Iesum Christum Dominum nostrum &c.

Finitâ Oratione Miles insignia supra Sanctissimum Christi Sepulchrum deponit, & egreditur. Quod si plures adsint ordinandi, primò ordinatus interim in atrio Dominici Sepulchri remanet, precibusque vacat; atque ita vnus post alium introducitur, & ordinatur, eodem, quem diximus, modo.

Egressos Antro Dominico Milites, Minoritæ ac cæteri qui adsunt Peregrini Occidentales, hilari ac læto animo excipiunt, Osculo salutant, honorem gratulantur; Christianis Orientis (qui in Templo commorantur) horum omnium inscijs. Veretur enim Guardianus ne ab his deferatur hic actus. Quare omnia summo silentio peragit.

Recensendæ quidem hîc erant Leges siue constitutiones à Carolo Magno, Ludouico Pio, Philippo Sapiente, & Ludouico Sancto, Galliarum Regibus, & Gotifredo Bullionio, præcipuo ordinis instauratore,

tore, huius instituti equitibus præscriptas; sed quia ex autographo eas in suo Itinerario recitat Iacobus Villamontius, Eques Hierosolymitanus, ad eundem Lectorem remittimus. Cæterùm quod ad dignitatem & antiquitatem huius equestris ordinis attinet, sunt qui antiquissimum eum iudicent, ac cæteris omnibus militaribus ordinibus antiquiorem existiment; nec desunt, qui eius originem ad Sanctum Iacobum fratrem Domini Episcopum Hierosolymitanum referre contendant, alij ad Cōstātini Magni imperiū rejiciunt. Vt vt est, id sanè constat, Sanctam Helenam eius matrem, post inuentam Crucem Domini, inter alia pietatis monumenta in loco Sepulchri Dominici templum erexisse in honorem Resurrectionis Domini: cui consequenti ætate adiunctum fuit Canonicorum regularium Diui Augustini collegiū, eiusque Sodalibus Sancti Sepulchri custodia demandata: qui multis sæculis etiam occupatâ postea à Saracenis Hierosolymâ, in eo officio gnauiter perstiterunt, adeoque (annuo barbaris persoluto tributo) Peregrinos quoscunque S. Sepulchrum visendi studio ad vrbem confluentes, suis in ædibus iuxta S. Sepulchrū constitutis, perbenignè susceperūt; vnde & Hospitalariorum nomen meruere. Gotifredi autem Bullionij auspicijs, Vrbe barbaris ereptâ, eiusdē auctoritate Sodalium siue Hospitalariorum constantia, ac laudata virtus, tot annis infidelium vinculis coërcita, tandem quasi relaxata in apertum prodijt, atque in tantū excreuit eorum fama, vt multi ex vniuersâ pænè Europâ animis & armis hisce consociati, aduersus barbaros & infideles Christianam fidem fortissimè tutati fuerint, nomenque Christianum per florentissimas Orbis regiones plurimum propagarint: quorum incredibili virtute factum est, vt Christianis Principibus Palæstinam moderātibus, Christianorum res in Orientis partibus fæliciter cesserint: sed gliscente tandem inter Principes Christianos discordiâ, atque per intestina bella distractis Christianorum animis, vrbeque Hierosolymâ à barbaris rursum occupatâ, bellicosissimi Sodales Palæstinâ discedere coacti sunt: quorum alij in Italiam secedentes, sede Perusiæ constitutâ, alij ex voluntate Innocentij VIII Pont. Max in societatem Rhodiorum equitum adsciti sunt: alij ad propria, dum copiæ aduersus communē Christiani nominis hostem restaurarentur, remearunt. Interim tamē haudquaquam in desuetudinem abijt creandorum Militum solemnis vsus ac ritus; sed in ipsâ Hierosolymorum vrbe in hodiernum vsque diem à Summi Pontificis Vicario obseruatus est: vt hinc plurimi & Duces, & Principes, ac viri illustres, alijque virtutibus insignes ex vniuersa pænè Europâ ad Vrbem confluentes, huic Militiæ nomina dederint, & equestri hac dignitate insigniti fuerint. Nec defuere ex nostrâ Patria Principes, & viri nobiles, qui in equestrem hunc ordinem omni ferè

Itin. Ter. S. Barthol. à Salligniaco.
Petr. Bellon. c. 14.
Euseb. lib 3. de vit. Constant.

ætate adſcripti fuerint: quorum nomina aliquot, quæ ad noſtram peruenere notitiam, hic ſubnectere viſum eſt.

D. Ioannes Heuſdæ, Dominus eius nominis primus.

D. Theodoricus eius nominis tertius, Comes Hollandiæ.

D. Ioannes eius nominis primus Dominus ab Archel.

D. Robertus cognomento Friſo, tutor Hollandiæ, Comes Flandriæ.

D. Wilhelmus Heuſdæ Dominus, Ioãnis ſecundi Filius

D. Ioannes Heuſdæ Dominus, eius nominis quartus.

D. Walterus ab Egmondâ, cognomento Nequam ſiue malus.

D. Gerardus ab Egmondâ, Walteri mali Filius.

D. Gerardus ab Egmondâ, Wilhelmi Filius, Walteri mali nepos.

D. Ioannes eius nominis tertius Dominus ab Archel.

D. Ioannes eius nominis quintus Dominus ab Archel

D. Ioannes eius nominis ſextus Dominus ab Archel.

D. Ioannes eius nominis decimus Dominus ab Archel.

D. Ioannes eius nominis nonus Heuſdæ Dominus.

D. Wilhelmus Wateringæ Dominus.

D. Ioannes de Abcoude, Dominus de Duerſtede.

D. Ioannes de Montfoort, Henrici Filius.

D. Herbernus à Buttersloot, Filius Hugonis.

D. Henricus à Naeltwyck, Wilhelmi Filius.

D. Reinoldus Bredenrodæ Dominus, Aurei velleris poſtea Miles ſub Philippo Burgundionum Duce.

D. Suederus à Culenburgo Ioannis quarti Filius

D. Wilhelmus de Abcoude Dominus de Duerſtede.

D. Ioannes de Suylen.

D. Lodouicus de Montfoort.

D. Henricus de Nyeuelt.

D. Wilhelmus de Montfoort.

D. Fredericus Vtenham.

D. Otto Snappius.

D. Ioannes de Reneſſe.

D. Stephanus de Nyeuelt.

D. Florentius ab Oey.

D. Ioannes de Huter.

D. Paulus à Veliwyck.

D. Carolus Sandelin.

D. Antonius a Merthen, Dominus de Eſſeſteyn.

D. Iacobus de Bronchorſt Dominus de Ryſwych.

D. Ioannes de Aſperen Dominus de Vueren.

D. Laurentius de Voocht de Ryuenelt.

D. Rodolphus Camps, I.V.D. Canonicus Traiectenſis.

D. Theodoricus Caſt. Canonicus Traiectenſis.

D. Ioannes Walderiaulx Canonicus Traiectenſis.

D. Cornelius de Voorn Canonicus Traiectenſis.

D. Henricus de Leuwen Canonicus Traiectenſis.

D. Stephanus de Witte.

D. Ioannes de Vchtenbroeck.

D. *Iacobus*


D. Iacobus Taets ab Amerongen Teutonicorum Equitum apud Vltraiectinos supremus Præfectus.

Absolutis autem à Guardiano ceremonijs, in creandis Militibus obseruari solitis, ac Deo Opt. Max. gratijs habitis, cum iam hora instaret quâ Turcæ pro more redire solent, fores Ecclesiæ reseraturi, Minoritæ cæterique ante egressum loca omnia vtriusque Templi mysterijs clara denuo visitarunt, ac mox apertis Ecclesiæ valuis ad sua se recepere domicilia. Quatuor soli Peregrini vnà cum Fratre *Ludouico Siculo* Monasterij Vicario seniore, viro innocentissimo apud Minoritas in Sanctissimi Sepulchri delubro mansimus. Horum habitacula iuxta Sacellum Apparitionis Beatissimæ Virginis in aliquot cellulas diuisa sunt. Tres inibi assiduo hærent religiosi: duo sacerdotes, tertius laicus. Horum senior Præses Sanctissimi Sepulchri dicitur, ac cæteris imperat: omnes tamen Guardiano parent. Hæsimus inibi septem continuos dies, crebris quotidie Sacrorum locorum visitationibus maximâ spiritus lętitia & consolatione reficientes animum. Interim quæ victui necessaria erant, singulis diebus à Guardiano suggerebantur. Consuetudo siquidem apud Franciscanos iamdudū inoleuit, vt Peregrinos Occidentales, quamdiu Hierosolymis moram trahunt, perque circumvicina peregrinantur loca, alant omnes, ac quæque ad victum necessaria suppeditent. Id tamen nequaquam gratis fieri quis putet, sed gratiam gratiâ compensandam nouerit; cùm eodem animo debeatur beneficium quo datur, atque improbus ille existimandus sit, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Solet itaque quisque Peregrinus sub discessum largam Monasterio exhibere eleëmosynam, & vt opes ferunt acceptum beneficium remunerare.

Septimo ab ingressu die (qui septimus Eid. Octobris erat) sub horam diei tertiam apertis Templi foribus intromissi rursus fuerunt, præter Christianos vrbis Hierosolymæ incolas, Minoritæ omnes. Hi statim solemnibus sacris se accingunt: illi sacra loca cursim visitant. Post sacra completa mysteria, & reliqua pietatis officia, exire iussi omnes, non absque ingēti animi dolore atque afflictione spiritus excessimus, Iam enim gustum aliquem ex cōsolatione (quam diuinis mysterijs hoc loco contemplandis sentiebamus) haurire inceperamus. Parendum tamen fuit necessitati, cum hærere inibi diutiùs non daretur. Ad Monasterium reuersi mox à prandio de Christi incunabilis proximo die visendis actum fuit. Interpreti dato negocio, vt Mucharos asinosque conduceret.

CAPVT VIII.

Variæ antiquitates in itinere Bethleëmitico conspectæ. Bethleëmæ situs, tractus, conditio, Delubri amplissimi, ac Monasterij contingui descriptio.



A	*Hierusalem.*	K	*Campus Iacob.*
B	*Fons Gihō inferior siue Bersabea.*	L	*Sepulchrum Rachel*
C	*Terebinthus Virginis.*	M	*Rama.*
D	*Domus Simeonis iusti.*	N	*Cisterna Dauid.*
E	*Cisterna trium Regum.*	O	*Monasterium Bethleëmiticum.*
F	*Sacellum Abacuc.*	P	*Domus Iosephi.*
G	*Manasterium & Templum D. Heliæ.*	Q	*Villa Pastorum.*
H	*Heliæ effigies lapidi impressa.*	R	*Puteus Pastorum.*
I	*Domus Iacob Patriarchæ*	S	*Tecua.*
		T	*Montes Arabiæ.*

PROXIMA luce sexto Id. Octobris vnà cum Mucharis, socijsque itineris, *Vicario* nempe seniore, & *Nicolao Mediolanensi* Minoritis, itemque *Baptistâ Hierosolymitano*, Monasterij Interprete, iter aggredimur, & per Iaffæ portam egressi, iuxta Vrbis muros pergentes, Castrum Pisanum, à Pisarum Italiæ Vrbis incolis sic dictum, ad læuam reliquimus.

liquimus. Inde viâ decliui ad ſexaginta paſſus progreſſi, ponteque lapideo ſeu aquæ ductu vrbis ſuperato, vallem inter montes Sion & Gihon mediam tranſiuimus, Berſabeæ piſcinam ad læuam relinquentes. Hæc olim pomario eius incluſa, hodie muro vtrimquo circumdata, formam refert quadratam, oblongam; continetque fontem à meridionali latere, ex quo in labrum lapideum aqua defluit, ad adaquanda iumenta percommoda, eſtque è regione Montis Sion, haud procul à ruinis Palatij Dauidis. Hîc fontem ingreſſa Berſabea; quam vt Dauid vidit, in eius amorem exarſit. Valle ſuperatâ, per lapidum aceruos, atque ędificiorum rudera Meridiem verſus continuantes iter, viâ accliui, pagum à læuâ prætergredimur, quem ab iniquo contra Chriſtum Saluatorem à Scribis & Senioribus populi habito conſilio (vt volunt) Villam Caiphæ, vel Mali conſilij vicum vulgò nominant. Is ſitus eſt in vertice collis, è regione Montis Sion; conſtatque paucis tugurijs, Maurorum habitaculis. Inde rectà Meridiem verſus, viâ quæ ad Ebron ducit, perreximus. Hæc vltro citroque feraces amœnoſque colles, vitibus, ficubus, oleiſque ſatis cultos exhibet, ac multis turribus, licet ſemidirutis, per agros ad vſum vineatorum exſtructis, lętum iter facientibus reddit adſpectum.

Vbi ad mille quingentos circiter paſſus proceſſimus, ad dextram in ſummitate collis oſtenſum fuit ædificium vetuſtiſſimum, ruinoſum, & ſemidirutum, quadratæ formæ, turris inſtar ampliſſimæ; quod Simeonis Iuſti (qui Chriſtum Dominum à parentibus Deo in Templo præſentatum in vlnas accepiſſe, & benedixiſſe legitur) quondam habitaculum fuiſſe opinantur.

Paulò vlteriùs, ad læuam in ipſâ viâ ſub terebintho vetuſtiſſimâ, quã Mauri Botin nuncupant, ex aſinis deſcendimus, precibuſque eo loci Deo Opt. Max. eiuſque Matri Beatiſſimæ porrectis, ramos aliquot deuotionis ergo collegimus. Orientis Chriſticolæ arborem reuerenter obſeruant, atque in memoriam Virginis, dum illac tranſeunt, precibus vacant. Ferunt ſiquidem Virginem Mariam ſub eâ cum dilecto filio ſæpiùs quieuiſſe, cum Bethleëmâ Hieroſolymam peteret. Quod quidem verum eſſe crediderim, vel eò magis, quod vetuſtiſſima & vnica ſit, quæ hoc itinere in viâ occurrat, latoſque habeat ramos, & denſa folia, quæ locum feruoribus æſtiuis aptiſſimè opacant.

Ad mille circiter paſſus procedentibus in ipſâ viâ oſtenſa nobis fuit Ciſterna vetus, magnis ſectiſque lapidibus ſtrata, quam Magorum ſeu Stellæ Ciſternam vulgò appellant. Stella enim, quæ Magis in Oriente apparuerat, dein Hieroſolymam euntibus ſe abſconderat, cùm huc Regem Iudæorum Bethleëma quæſituri veniſſent, rurſus ab ipſis viſam fuiſſe veterum memoriâ proditum eſt. Hîc iterum ex aſinis deſcendimus,

dimus, dumque precibus intenti hîc subsistimus, à Minoritis sequentia fuere recitata.


Antiph. *Et ecce stella quam viderant Magi in Oriente antecedebat, vsque dum veniens staret supra locum vbi puer erat.*

Vers. *Videntes autem stellam Magi.*

Resp. *Gauisi sunt gaudio magno valdè.*

Oratio. *Deus qui vnigenitum tuum gentibus stellâ duce reuelasti; concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciē tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem &c.*

Paulò vlteriùs ad dextram, in cliuo collis proximi, Ædiculam sacrā inuisimus, collapsam penitùs, solis muris vtrimque extantibus. Prophetæ Abacuc dicatam, quod ibi ab Angelo capillis apprehensum, & in Babylonem delatum ad Danielem Prophetam, vt eum in Lacu Leonum dapibus, quas ad messores suos deferebat, Dei iussu cibaret, veteres prodiderunt. *Daniel. 14.*



A Monasterium siue Domus Heliæ Prophetæ.
B Effigies Prophetæ saxo impressa.
C Templum Abacuc.
D Cisterna trium Regum.

Inde ad iactum lapidis à læuâ viæ Templum cum Monasterio occurrit, Eliæ Prophetæ titulo clarum, quadratæ formæ, ad instar castri, muris altissimis circumdatum, ostio ferreâ laminâ obducto, occlusum contra Arabum & latronum vastationes, firmum ac tutum Monachis receptaculum: qui numero XVI. ex Calogerorum cœtu domicilium inibi habent, & vicinos agros colunt, possidentque olivueta nonnulla Monasterio adiacentia, & muro à viâ regiâ diuisa. Iuxta angulum meridionalem exterioris muri Olivueta cingentis, in ipsâ viâ, humana effigies ostenditur, lapidi durissimo impressa; quam Eliæ Prophetæ figuram repræsentare ferunt: quem & natum eo loci prædicant.

Hinc

Hinc rectâ decedentes viâ, quâ Ebron itur, ad læuam deflexinus, viaque deuexâ ad Orientem perreximus, valliculas modò apricas, modò colliculos amœnos superantes.

Inde ad quartum milliarium vbi ventum fuit, latam offendimus planitiem, pascuis vberrimam, oleis etiam ex parte cultam, quam vulgò Campum Iacob nominant. Tabernacula siquidem eo loci constituisse Patriarcham post mortem Rachelis vxoris, ac pecus suum pauisse traditur. Quo loco etiam Ruben thorum patris violasse legitur. In eius medio ingentes etiamnum extant ruinæ, Monasterij & templi (cui titulus olim fuit Sanctorum Angelorum) reliquiæ. Vtrumque à Diuâ Helenâ eodem in loco fertur exstructũ, quo olim Turris Pastorum seu Ader extitit. Iuxta hanc turrim pastores nocte Natalis Domini vigilantes super gregem suum audire meruerunt canticum illud angelicum *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ruderibus ruinisque superatis viâ equidem difficili, ad Templum tandem, lapidum & ruinarum aceruo pænè obrutum, peruenimus. Id arcuato constructum opere, partem duntaxat fornicis reliquam habet, adeoque ruinis & immunditijs sepultum est, vt horridam potiùs speluncam, quam Fanum putes. Precibus hîc à nobis pro more, & Angelico Cantico à Minoritis, nec non à Vicario sequẽti Oratione dictâ, ad superiora redijmus.

Gen. 35.

Niceph. lib. 30. c. 8.

Oratio. Deus qui miro ordine Angelorum ministeriâ hominumq; dispensas; concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cælo assistitur, ab ijs in terra vita nostra muniatur. Per Christum &c.

Inter saxa & templi rudera nobiles hæ nascuntur plantæ Maron, Tragoriganum, Thymbra, Onitis, Origanum Heracleoticũ. Spectatur insuper ad Austrum non longè ab hoc loco collis rotundo vertice, cæteris circumiacentibus excelsior, quondam arce firmissimâ, in eius summitate à Christianis exstructâ, nobilis; cui Thecua olim, postmodũ Bethulia nomen fuit: quam expugnatis iam Hierosolymis, ac totâ Palęstinâ à Mahumetæis subactâ, per quadraginta & ampliùs annos fortiter inuicti Christiani milites propugnarunt, atque à Barbarorum insultibus vindicarunt: donec tandem grassante inter eos morbo derelinquere arcem coacti, ad Libanum montem aufugerint, è quibus Drusorum gentem originem traxisse nonnulli existimant. Ex eo quoque loco videre est Engaddi montes altissimos, Balsami hortis, & fugâ Dauidis notabiles. Ostensi adhæc eminus fuere montes altissimi Seir, Abarim, & Nebo, vltra mare Mortuum positi: ex quorum vertice eminentissimo Moyses vniuersam terram Promissionis, quam ingredi ipse non potuit, procul conspexit. Monasterij ruinis egressi, ad Occidentem fleximus, Bethleëmam versus. Mox in ipso itinere occurrunt no-

bis Mauri, proximi pagi (cui à Paſtoribus nomen eſt) incolæ, cafarros poſtulantes : quibus numerare maidinos aliquot neceſſum fuit. Vbi ad pagum venimus, alij rurſum adſunt Mauri, viam intercludentes: quibus rurſus, vt abitum concederent, maidinos aliquot, quos ſibi pro cafarris deberi aſſerebant, ſoluere oportuit. Pagus hic ſitus eſt in colle non multum eminenti, ſed ſaxoſo, cryptis & cauernis plurimis pertuſo, & ferè concauo; cui Septentrionem verſus ſubiacent nitidiſſima quædam & amœniſſima olíueta. Incolæ omnes Mauri ſunt, pauperrimi quidem, atque omnium egentiſſimi, Solis ardore pęnè exuſti, & macilentiſſimi, nullis amicti caligis, nec ſubligaculis, pedibus nudi, præter induſium autem goſſypinum, veſtemque laneam ſimplicem, è camelorum aut caprarum pilis diuiſim contextam, crurum tenus dependentem (quam Haba vel Gaba vocant, & cingulo è corio mediam cingunt) quo ſe tegant habent nihil. Partim verò cauernas, & exciſa in cautibus antra, partim domunculas humiles, & anguſtas, è lapidibus & limo rudi modò conglutinatis, atque arborum ramis argillâ obuolutis, ad modum pauimenti tectas, inhabitant.


Ad extremum huius pagi occidentale latus, Puteus extat aquę optimæ; è quo mos eſt Peregrinis eà tranſeuntibus aquam haurire, & hauſtam deuotionis ergo bibere: quò minus tamen id nobis liceret, obſtitere Mauri, qui nec precibus nec precio induci potuerunt, vt nobis aquæ hauſtum concederent. Dum enim nos iſtac tranſiremus, lapideâ tabulâ os putei Mauri obdiderant. Ferunt Orientis Chriſticolæ Virginem Mariam cùm illac iter faceret, petijſſe ab incolis, vt ſibi ſitis extinguendæ causâ aquam haurire permitterent, quod cùm ei negaſſent, diuino miraculo puteum redundaſſe, atque ita Virginem Beatiſſimam commodè ſitim ſubleuaſſe. Hinc rectà pergentibus Occidentem verſus, ad proximi collis radicem, ſacra occurrit Ædicula, ſemidiruta, & ruinis plena, eo exſtructa (vt fertur) loco, quo olim ædes Ioſephi nutritoris Domini extitere; in quibus ab Angelo in ſomnijs admonitus fuit, vt in Ægyptum cum Virgine & puero Ieſu aufugeret. Nos ſupra Templi ruinas (vt mos eſt) Preces Deo fudimus, Minoritis interim rem geſtam ex Euangelio recitantibus.

Matth. 2.

Inde è noſtris aliqui pedibus viâ accliui ad proximi collis verticem pergentes, per hortos Monaſterio Bethleëmitico adiacentes, ad proximum properarunt Fanum : reliqui viâ, quæ rectà ad Monaſterium ducit, iter in aſinis continuârunt : ac quartâ tandē horâ ad ipſum peruenimus delubrum; ad cuius fores benignè admodum à Monaſterij Guardiano, cæteriſq; Minoritis excepti, ad penetralia deducti ſumus.

Situm eſt Monaſterium cum Fano continguo (cui Sanctæ Mariæ ad præſepe nomen eſt) in colle humili, ad orientale latus: formamque

refert


Ichnographia
Templi B. Mariæ
ad Præsepe.
Le plan
de l'Eglise
et monastere de
Bethleem.

refert quadratam, oblongam, longitudine ſe ab Oriente in Occidentem protendente, muris, turribuſque præaltis, inſtar Arcis, vndequaque cinctum, & contra frequentiſſimas Arabum excurſiones; ac deprædationes munitum, ac tutiſſimum Monachis refugium, & firmum propugnaculum. Muris olim ciuitatis Bethleëmæ fuiſſe comprehenſum, atque eo exſtructum loco, quo ædes Iſai patris Dauid quondam extitere, nonnulli autumant. Hodie ab oppido ſeu pago ad iactum ſagittæ abeſt. Delubri oſtium, per quod vnicus ad Monaſterium patet aditus, adeò anguſtum & depreſſum eſt, vt niſi incuruato corpore intrare nequeas, oſtiolo ferreis laminis contra ignem obtecto. Ingredientibus primò occurrit porticus ampliſſima, arcuato opere: quam tranſgreſſis valuæ ſeſe offerunt ligneæ, altitudinis circiter pedum duodecim, latitudinis octo; quæ nunquam aut raró aperiuntur, clathris in Crucis modum ſeſe interſecantibus, obiectis; vnico anguſto ac depreſſo patente oſtiolo, per quod ad Delubrum tranſitur Sunt autem valuæ vetuſtiſſimæ, ex cedrinis lignis, Syriaco opere, literis Arabicis inſculptis.

1 *Primus introitus templi.*
2 *Secundus introitus templi.*
3 *Porticus Templi.*
3 *Nauis Eccleſiæ.*
4 *Sacellum Armeniorum, Copthtorum, Iacobitarum.*

5 *Altare Circumcisionis.*
6 *Chorus Ecclesiæ.*
7 *Templum D. Catharinæ.*
18 *Horti.* } *Minoritarũ.*
8 *Habitacula.* } *Minoritarũ.*
9 *Area.*
12 *Refectorium, culina aliaq́ue cubicula Minoritarum.*
13 *Turris ruinæ.*
14 *Habitacula Armeniorum.*
15 *Habitacula Græcorum.*

Niceph. Hist. Eccles. lib 8. c. 8.

Delubrum id ab Helenâ Constantini Magni matre, siue (vt alij volunt) à Placidiâ, & Eudoxiâ, Theodosij iunioris sorore, & vxore, à fundamentis erectum, pulcherrimæ sanè ac regiæ structuræ opus est. Tãtam autem præ se fert magnificentiam, splendorem, atque elegantiam, vt vix inuenias templum quod ei comparetur. Quadraginta quatuor siquidem prægrandibus columnis, iisque marmoreis versicoloribus innititur, quæ in quatuor ordines numero vndenario diuisæ, symmetriã quintuplicis porticus elegantem per Templi longitudinem efficiunt. Pauimentum è marmore constat candidissimo. Muri interiores omnes à pauimento ad columnarum vsque epistylia tectorio olim marmorato fuere expoliti. Id tamen abhinc annis aliquot à Turcis ablatum, atque ad ornatum Templi Salomonis translatum, Templi magnificentiam nonnihil obscurauit. Reliqua muri pars, quæ ab epistylijs vsque ad tectum assurgit, musiuo seu tessellata opere Veteris Testamenti exhibẽte historias, mirando artificio, & colorum varietate distincto, temporis tamen iniuriâ ex parte corroso, & labefactato, exornata est. Tectum plumbeis coopertum laminis, è lignis constat cedrinis. Chorus, itemq́ue sacella vtrimque posita marmoreis fornicibus conspicua, plurimisq́ue columnis è marmore decora, è concamerato constant opere, suntq́ue ab inferiore delubri parte, muro alto pedes septem, tria continente ostia, medio obstructo, separata. Sacellum ad dextram vnicum habet altare, eo loco quo puerum Iesum factum sub lege primitias sanguinis dum circumcideretur, effudisse traditur: estq́ue Latinorum sacris destinatum. Quod ad sinistram extat, tria, quę in honorem trium Regũ dedicata, ad Armenios, Cophtos, & Iacobitas pertinent: in quibus suo singulis assignato altari, sacra mysteria statis diebus suo ritu celebrant. Græci Chorum possident: in cuius arâ maximâ singulis diebus Dominicis, festisq́ue maioribus sacrum peragunt. In festo verò Natalis Domini quotquot Orientis Christicolæ Hierosolymis commorantur, turmatim hoc in Templum conuolant, vt suis quisque sacris intersint: quælibet enim suo more natio Deum hîc laudat, cantibus perstrepit, tubis & sistris intonat, thure, vnguentis, aromatibusq́ue odoriferis loca sacra adolet, perungit, contrectat, deosculatur. In inferiori Delubri parte, ad latus meridionale Fons visitur baptismalis, elegantis operis,

operis, è marmore Pario, & in ipso alueo aliud vas marmoreum mixti coloris, in formam Crucis excisum. Ad latus oppositum ostiolum ferreis laminis vestitum, ad peristylium Monasterij prębet aditum: quo per Minoritas ad interiora admissi, lotis mox manibus & facie, excussoque puluere, ad Fanum Diuæ Catharinæ ducti fuimus. Id aquilonari maioris Ecclesiæ lateri adhæret, & septis Monasterij comprehenditur: estque non valdè amplum, Minoritis tamen percommodum: nam sacrum inibi quotidie peragunt, Horarias Preces (quas Canonicas vocant) concinunt, ac Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum honorificè capsâ ligneâ deauratâ asseruant. Indulgentiæ à Romanis Pontificibus montem Sinæum (vbi Lex data Moysi) visitantibus concessæ, hanc quoque ædem accedentibus impartiuntur. Precibus hîc Deo redditis, solemni Processioni seu Supplicationi se præparârunt Minoritę: quæ more Hierosolymis obseruato peragitur. A Templo autem Diuæ Catharinæ sumitur initium, descenditurque per gradus lapideos sexdecim, & Meridiem versus quasi passus centum ad Natiuitatis Domini Antrum proceditur, per meatus obscuros, atque omni prorsus lumine carentes. Lychni tamen aliquot pensiles diu noctuque locum illustrant. Priusquam verò perueniatur ad locum Natiuitatis Domini; ad dextram occurrit Eusebij antrum, eiusque sepulchrum: deinde Innocentum Sacellum. Quo transito, atque oblongo arctoque quodam superato Antro, ad Sacellum Natiuitatis & Præsepis Domini acceditur. Catholici iuxta Sacelli ostiolum calceis relictis, nudis pedibus sacrum locum ingrediuntur, ac rectà ad Altare Natiuitatis Domini procedunt: vbi primùm flexis genibus orant. Interim dum ad hunc itur locum, post recitata in Templo Diuæ Catharinæ sequentia,

Vers. *Te ergo quæsumus tuis famulis subueni,*
Quos pretioso sanguine redemisti,

Hymnus concinitur à Minoritis *Christe redemptor omnium &c.* in die Natiuitatis Domini in Ecclesiâ cantari solitus. Quo finito, Antiphonam psallunt tabulæ ligneę frontispicio altaris Natiuitatis Domini inscriptam his verbis:

Hîc de Maria Virgine Christus natus est; hîc Saluator apparuit, hic cecinerunt Angeli, lætati sunt Archangeli; hic exultant iusti; dicentes Gloria in excelsis Deo.

Vers. *Verbum caro factum est. Alleluia.*
Resp. *Et habitauit in nobis. Alleluia.*

Guardianus dein Deum precatur hac oratione.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per Carnem Natiuitas liberet; quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Per eundem Christum &c.

His præhabitis, propius ad ipsum Natiuitatis locum, sub ipso altari positum, atque æternâ memoriâ omnibus fidelibus honorandum, flexis genibus adrepunt omnes, deosculantur, lachrymis rigant, Iesumque Saluatorem tenellum infantulum à Virgine Matre castis visceribus atque illibato pudore hîc editum, suppliciter adorant. Dein Meridiem versus, ad dextram flectendo per duos marmoreos gradus ad Cunas seu Præsepe Domini descenditur: in quo vnicus Dei Filius fascibus inuolutus, à Virgine Matre in duorum animalium medio positus, ab ijsdem agnitus, & à pastoribus adoratus est. Dum verò hîc sistitur, sequens concinitur Hymnus:

Hieron ad Marcel. viduam.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis &c.

Antiph. *Pastores venerunt ad præsepe festinanter, & inuenerunt Mariã, & Ioseph & Infantem positum in præsepio. Alleluia.*

Vers. *Notum hîc fecit Dominus. Alleluia.*

Vers. *Salutare suum. Alleluia.*

His dictis Deum hac affatur Oratione Guardianus.

Oratio. Domine Iesu Christe, qui humiliter in diuersorio isto nasci, ac in Præsepio inter asinum & bouem collocari, à Mariâ Virgine & Ioseph primitùs adorari voluisti; da nobis quæsumus in diuersorio Pœnitentiæ renasci, ac in Præsepio Passionis tuæ inter Diuinitatem & Humanitatem tuam continuò collocari, & à Mariâ Virgine & Ioseph Sancto discere te solum & verum Deum venerari. Qui viuis &c.

Peractis ibidem Orationibus, & Deosculationibus solitis, Altare quod ex aduerso est, sub eodem specu acceditur: dicunturque hæ preces & cantica.

Hymnus. *Ibant Magi quam viderant Stellam sequentes præuiam &c.*


Antiph. *Apertis hîc thesauris suis, obtulerunt Magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham. Alleluia.*

Vers. *Homines de Saba venient Alleluia.*

Resp. *Aurum & Thus deferentes. Alleluia.*

Oratio. *Deus qui in hoc sacratissimo loco Vnigenitum tuum Stellâ duce reuelasti; concede propitius, vt qui iam te ex Fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Christum &c.*

A Locus



A Locus natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.
B Præsepium Dominicum seu locus Præsepij.
C Ara trium Regum.
D Gradus vtrimq; positi, quibus è superiori Ecclesia descēditur ad Natiuitatis specum.
E Gradus seu descensus ad Præsepij locum.

Est autem Sacellũ & Natiuitatis & Præsepij Domini specus subterraneus, in rupe excisus, cuiusmodi etiamnum plurima ijs in locis visuntur antra; præsertim verò in Villa pastorum, de qua suprà egimus; quæ habitationis & stabuli loco Mauris sunt. Sitũ habet sub Arâ Maximâ superioris Ecclesiæ, desuper postmodum ædificatæ; formamque refert oblongam, si Præsepij locum demas: eo addito, triangulum constituit: longitudine, quæ ab Ortu in Occasum protenditur, pedes circiter quadraginta, latitudine duodecim, altitudine quindecim continens. Pauimentum itemque parietes è candido constant marmore, tabulis nempe marmoreis obducti. Fornix tessellato opere olim ornatus; hodie, temporis partim iniuriâ, partim lampadum septem, continuò ibi ardentium, fumo adeò obscuratus est, vt vix opus ipsum quale sit appareat. Locus Natiuitatis Domini ingredientibus, viâ subterraneâ ex aduerso est, ad orientale Sacelli latus, formam referens semirotundã, latus pedes quinque, Arâ marmoreâ concauâ ornatus. Tabula namque è marmore candido muro vtrimque infixa, Altare ipsum efficit: in

in quo, tabulâ ligneâ depictâ Natiuitatem Domini repræſentante ſuperimpoſitâ, ſacrum quotidie à Minoritis peragitur. Pauimentum quod ſub Arâ eſt, marmore ſtratum, formam ſtellatam refert: in cuius medio lapis ophites ſphæricus, latus per diametrum palmas duas, ſolo marmoreo hæret infixus, profundus vncias duas, plumbeo circulo applumbatus, omnibus cùm Orientis tùm Occidentis Chriſticolis venerabilis. Eo namque loco Chriſtum Dominum Mundi Saluatorem ex Virgine natum eſſe piè ab omnibus creditur. Adhærent Altari vtrimque gradus porphyretici decem, per quos ad ſuperius adſcēditur Delubrum, valuis ferreis vel æneis ab Antro Natiuitatis Domini ſeclusum; quæ rarò, nec niſi Turcis, aut aduenis Occidentis, vel ipſâ nocte Natalis Domini reſerantur. Conſtant autem ex opere vermiculato pertuſo, vt facilè quis ſpecum introſpiciat: quod ne liberè fiat, néve dum ſacra faciunt Minoritæ, à Turcis Mauriſue impediantur, cortinis à fornice vtrimque dependentibus, obicem poſuere. Ad læuam altaris Meridiem verſus tres videre eſt marmoreas columnas, in triangulum diſpoſitas; quæ Antri Præſepis rupem ſuſtinent, & ſuffulciunt, atque etiam ornamento ſunt. Inter has ad Antrum ipſum ternis gradibus deſcenditur. Subeuntibus ad dextram occurrit, Occiduum verſus, Pręſepe Domini, altum à pauimento palmos quatuor, formâ oblongâ quadratâ, profundum vncias ſex, intus foriſque candido obductum marmore, terniſque columellis, (quibus rupes innititur) decoratum. Fornix Antri è viuâ ac nudâ conſtat rupe, lampadum ardētium fumo omnino obfuſcatus, omnique carens ornamento.




In

In huius Præſepij aquilonari latere interiori res admiranda conſpicitur, hominis nempe effigies, cucullatum & venerandum ſenem barbâ oblongâ repræſentans; quam natura ludibunda lineis nigricantibus tanto artificio expreſſit, vt omnibus induſtriè depicta videatur. Sunt qui miraculo rem adſcribant, ac Diui Hieronymi figuram exprimere putent. A meridionali eiuſdem Præſepij latere proximè adhæret opus quadratum marmore vndique tectum, bipedali altitudine Præſepe ſuperans; vbi dona puero Ieſu à Magis oblata, expoſita fuiſſe opinio eſt. Sub eodem Antro à latere obiecto altare ſpectatur marmoreum, in cuius tabellâ depictum eſt quomodo eo in loco Magi puerum Ieſum in Matris gremio venerati ſunt.

Locum hunc auguſtiſſimum, & toto terrarum Orbe celeberrimum vnde ſalus Mundo emerſit, & de quo Pſalmiſta canit *Veritas de terra orta eſt.* quis ſatis dignè laudare valeat? quo ſermone, quâ voce quis Speluncam hanc venerabilem, vbi primùm Mundo Deus ſub humanâ formâ illuxit, prædicet? quo præconio, quibus denique laudibus ſacratiſſimũ illud Præſepe, in quo Chriſtus infantulus vagijt, extollat? paruum quidem terræ foramem, ſed magno encomio dignum, & (vt D. Hieronimus ait) ſilentio magis, quam infimo ſermone honorandũ. *Epiſt. ad Marcellam.* Quare D. Hieronymo obſequens, hæc linquo; ac vires mihi non ſuppetere vt ea explicem libens fateor. Vnum tamen dicere cogor: Locum hunc homini pio, ac ſingula quæ hic contigerunt ſtudioſè ſecum perpendenti, tantam animi voluptatem parere, tantumque oblectamentum præſtare, vt ſe diuino quodam nectare perfundi, ac mirâ gaudij dulcedine pertentari in intimis præcordijs ſentiat, adeoque non in terra, ſed in cœlo ſe verſari ſibi videatur, vbi omnia myſteria hîc peracta coram intueatur.

Antrum hoc ab Ælij Adriani temporibus ad imperium vſque Conſtantini Magni annos circiter 180 (vt author eſt Hieronymus) immani *In Epiſt. ad Paulam.* ſcelere contaminatum & profanatum fuit. Lucus enim Thanius ſiue Adonidis illud obumbrabat; cui in ſpecu ipſo (ſpurcâ ſtatuâ eius ibi erectâ) ſacra fiebant, & Veneris plangebatur amaſius: quæ omnia pijſſima Helena, tam enorme ſcelus deteſtata, penitus aboleuit, ſacraque Chriſti incunabula varijs cuiuſque generis ornamentis decorauit, ac Chriſtiano cultui reſtituit.



A	*Locus Natiuitatis Domin*	*H*	*Sepulchrum SS. Paulæ & Eustochij*
B	*Locus S. Præsepij*	*I*	*Sepulchrum D. Hieronymi.*
C	*Altare trium Regum.*	*K*	*Musæum D Hieronymi.*
D	*Descensus Ecclesiæ maioris.*	*L*	*Gradus quibus adscēditur ad D. Catharinæ ædem.*
E	*Introitus subterraneus ducens ad ædem Catharinianam & monasterium*	*M*	*D Catharinæ Templum.*
F	*Sacellum Innocentum.*	*N*	*Altare.*
G	*Sepulchrum D. Eusebij.*	*O*	*Fouca rotunda*

Precibus hîc consummatis, eâdem quâ ventum est viâ, receditur; aditurque denuo solemni supplicatione Innocentum antrum: Inter progrediendum à Minoritis sequens concinitur Hymnus:
Sanctorum meritis inclyta gaudia &c.

Antiph.

Antiph. *Innocentes pro Christo infantes hîc occisi sunt ab iniquo Rege: lactentes interfecti sunt, ipsum sequuntur agnum sine maculâ, & dicunt semper Gloria tibi Domine.*

Vers. *Sub throno Dei omnes sancti clamant.*

Resp. *Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.*

His recitatis ante Aram Innocentum, Guardianus sequentem adjicit Orationem.

Deus, cuius hodiernâ die præconium Innocentes Martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidē tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Christum &c.

Antrum id amplissimum formâ quadrangulari, peringenti columnæ ex perpetuâ rupe excisæ innititur; vbi sub altari (quod ad Orientem est) Innocentum infantium corpuscula condita dicuntur. In ipso altari foramen est, per quod locus dormitionis puerorum, atque ossium receptaculum conspici datur.

Hinc ad læuam transitur per antrum oblongum & angustum, altari marmoreo decoratum, vbi humatum ferunt Beati Eusebij Hieronymi discipuli corpus: cui Occidentem versus adiungitur aliud antrū, quadratæ formæ, binis ornatum Aris: quod ad læuam intrantibus occurrit, Beatarum Paulæ viduæ & matris, nec non Eustochij filiæ & virginis Monumentum perhibetur: quod ex aduerso conspicitur, Diui Hieronymi ossa quondam continuisse dicitur: quibus, vt & Eusebij, multorum opinione Romam delatis, vacuum Monumentum hîc remansit. Quod ad Paulam attinet, matrona fuit Romana, ex nobilissimis Romanorum familijs Corneliâ & Gracchâ ortum ducens; Hieronymo familiaris, quæ spretis sæculi pompis & vanitatibus, sacra Iudææ loca peragrauit, & tandem in Bethleëm consedit: vbi demum post quatuor à se fundata Monasteria, vnum virorum, tria virginum, quibus ipsa annos viginti præfuit, Deo animam reddidit: cui hoc posuit Epitaphium Hieronymus. *Hieron. in Epitaph. Paulæ.*

Titulus Sepulchri

Scipio quam genuit, Paulæ fudere parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo; Paulam dixere priores,
Eustochij genitrix, Romani prima senatus,
Pauperiem Christi, & Bethleëmitica rura sequuta.

In fronte Speluncæ

Adspicis angustum præcisâ rupe sepulchrum,
Hospitium Paulæ est, cælestia regna tenentis,

Fratrem, cognatos, Romam, patriamq; relinquens,
Diuitias, sobolem Bethlemiti conditur antro.
Hic Præsepe tuum Christe, atque hic mystica Magi
Munera portantes, hominiq; Deoq; dedere.

Ex Paulæ & Hieronymi Monumento ad aliud eiusdem Hieronymi itur diuerticulum seu Musæum, vt volunt, in quo æstiuis temporibus studijs vacasse, & Biblia ex Hebræâ in Latinam linguam traduxisse ferunt. Id ex arcuato constat opere, atque arâ marmoreâ ornatum, cæteris omnibus subterraneis locis & sublimius & lucidius est: quâ parte enim Septentrionem spectat; fenestellam habet, qua lux infunditur, cùm cæteri omni prorsus luce careant. Ad Occidentale eiusdem Sacelli latus Scala est lapidea, per quam olim ad superius Delubrum adscendebatur: ostio tamen à Minoritis postmodum obstructo, ab aliquot hinc annis nullius vsus esse cœpit. Dum ad hunc itur, ibidemque gradus sistitur, Minoritæ Hymnum concinunt: *Iste confessor Domini sacratus &c.* dein recitant.

Antiph. *O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen B. Hieronyme, diuinæ Legis amator, deprecare pro nobis filium Dei.*
Vers. *Ora pro nobis B. Hieronyme.*
Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Mox hanc subdit Orationem Guardianus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Hieronymi doctrinam & merita, Ecclesiam tuam multipliciter illustrasti; tribue nobis quæsumus, vt qui commemorationem eius deuotâ mente persoluimus, eius meritis & precibus ad gaudia æterna peruenire fœliciter valeamus. Per Christum Dominum nostrum &c.

His finitis, eadem quâ ingressi fueramus viâ, regressi, redijmus ad Diuæ Catharinæ Templum, concinentibus interim Minoritis Hymnum *Te Deum laudamus &c.* quo absoluto, cùm ad Chorum peruenissent, facta est commemoratio Sanctę Catharinę his verbis.

Antiph. *Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.*
Vers. *Ora pro nobis B. Catharina.*
Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Guardiano deinde hanc subjiciente Orationem.

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco corpus beatæ Catharinæ per Sanctos Angelos tuos mirabiliter collocasti; tribue quæsumus, vt ad montem qui Christus est peruenire valeamus. Per eundem &c.

Atque hîc tandem post recitatas Ecclesiæ preces (quas Litanias maiores vocant) solemni Supplicationi finis imponitur. Illud interim

rim haudquaquam omittendum eſt, exoleuiſſe iamdudum morem illum antiquitùs in ſolemni hac ſupplicatione obſeruari ſolitum. Non enim per ſubterraneos meatus (quos ſuprà memorauimus) ex Cathariniana æde ad Natiuitatis locum procedebant ſupplicaturi, ſed diſcedentes ex ædiculâ eâdem, per clauſtri ambitum, portamque ferream ad Diuæ Mariæ Fanum ſiue ſuperius Delubrum progrediebantur, & primò Aram Circumciſionis Domini ad dextrum Chori latus accedebant, fiebantque ibi Preces & Cantica conſueta; inde per portam ferream, graduſque lapideos, vtrumque Aræ maximæ cingentes latus, ad ſacrum Natiuitatis & Præſepij Domini ſpecum deſcendebāt: mox ad reliqua Sanctorum Monumenta, donec ad Diui Hieronymi Muſæum perueniſſent: vbi rurſum alta petentes, per gradus lapideos (quorum ſuprà meminimus) Diuæ Mariæ repetebant Fanum, inde per portam ferream clauſtrumque Monachorum ad Diuæ Catharinę ædem reuertebantur. Quia verò ſucceſſu temporis rem multis exēplis edocti, grauiſſimis periculis plenam eſſe didicerunt, ſubterraneam hanc viam excauari curare ſunt coacti: quo tutior ſupplicaturis ad ſacrum Natiuitatis locum foret aditus, exituſque.

Solemni ſupplicatione abſolutâ, cùm iam hora inſtaret prandij ad Minoritarum deducti refectorium, vnà cum illis prandium pro corporis neceſſitate ſatis lautum ſumpſimus.

A meridie rurſus poſt dictas in Catharinianâ æde à Minoritis Veſperas, Monaſterio egredimur, Vicario Hieroſolymitano comite, duceque Interprete, & Orientem verſus haud procul à Monaſterio Bethleëmitico antrum (cui à Virgine nomen eſt, quodque item Cryptam Lacteam vocant) ſubijmus. Id ingreſſu obſcuriſſimum & arctum, viâ leniter decliui & ſaxoſa, adeò anguſtum præbet acceſſum, vt niſi genibus flexis, aut ſaltem inclinato ad vterū capite vix penetrare queas. Itaque ne vſquam offenderemus, ardentem quiſque manu cereum geſtauimus. Ad penitiora vbi deuenimus, antrum offendimus quadratâ formâ, viginti quatuor circiter pedes per quadrum continens; in cuius fere medio Aram marmoream etiamnū integram videre eſt. Ferunt hoc loco Mariam Virginem cum Ieſu infantulo (dum Herodem in Bethleëmiticos infantes ſæuientem fugeret) latitaſſe; atque interim dum filium lactaret, lacte ſuo locum irroraſſe. In cuius rei memoriam Diui Hieronymi ætate templum in hoc ipſo loco, itemque Monaſterium virginum à Paulâ Romanâ erectum volunt: quod tamen hac tempeſtate penitus dirutum, & ſolo æquatum in cinerem abijt, nihilque præter altare marmoreum, & antri foramem rotundū (quod in ſummitate rupis exciſum lucem olim admiſiſſe veriſimile eſt) reliquum oſtendit. Huius antri ſaxum coloris ſubalbidi duritie cretā non

ſuperat, vt ſcalpello radi facillimè poſſit; id vulgò Lac Virginis vocat, miramque ei indigenæ viciniq́ue populi omnes attribuunt efficaciam multis experimentis approbatam Ferunt namque fœminas lactis inopiâ laborantes, ſi vel exiguum huius pulueris abraſi, aquâ, vel vino, aut lacte diſſoluti accipiant, ſtatim vbi id ſumpſerint, lacte repleri: idque non ſolum à Chriſtianis, ſed ab ipſis quoque Mahumetæis, & Mauris, & Turcis publicè omnium ore confirmatur: qui hoc ipſum in ſuis vxoribus & animalibus ſæpiſſimè ſe expertos aiunt: cauſam verò virginali lacti attribuunt, ac diuino miraculo adſcribunt. Precibus in Antro peractis, ac ſalutatâ Virgine, ſinguli de cryptæ lateribus aliquid deraſimus, & nobiſcum aſportauimus. Cuius ego vim in noſtratibus fœminis frequentiſſimè certam didici, atque Orientis populi opinionem haud vanam eſſe comprobaui. Inde egreſſi, comitantibus qui introduxerant Mauris, Bethleëmæ incolis, totum oppidum circumiuimus, vicinoſque luſtrauimos agros. Mox ad Virginis ædem reuerſi, Armenio quodam duce, Syrorum, Armeniorum, & Iacobitarum habitacula & cellulas, meridionali Templi lateri adhærentes inuiſimus. Tum ſole ad occaſum vergente Minoritarum Monaſterium repetiuimus; vbi pernoctantes pro fortunâ & conſuetudine Monachorum lautè ſatis ſumus epulati. Prius tamen quàm ad inceptum iter recurramus, paucula hæc, quæ de Bethleëmâ oppido eiuſque incolis nobis innotuere, hic addere placuit.

1. Paral. 2 4. *Ruth 1, 2. 4.* *Hieron. in Epitaph. Paulæ.* *Iud. 12. 29.* *Luc. 2.* *1. Reg. 16.* *Mich. 5.* *Hieron. Epiſt. ad Marcellã*

Inclyta quondam & nobilis hæc ciuitas, in differentiam alterius Bethleëmæ tribus Zabulon, ſeu Galileæ prouinciæ oppidi, Bethleëm Iuda vocata, quæ & Lehem, & Ephrata ab vxore Caleb olim dicta fuit, à quâ & adiacens regio nomen accepit, ſita eſt in cliuo non multum eminenti, ſitu arcto & oblongo; cuius longitudo ab Occidente in Orientem protenditur; diſtatque ab Hieroſolymâ ſeptem circiter paſſuum millia. Multis autem illuſtrata myſterijs, multorumque virorum illuſtrium Monumentis celebrata, ſed Chriſti præſertim Natalibus nobilis, Dauidis quoque ortu & in regem Iſrahel vnctione clara, eiuſdemque patria, atque Vrbs Dauid inde appellata; nec non ſtellæ apparitione, ſeu Epiphaniæ, ac Magorum adoratione irradiata, ab Hieroſolymis oppidorum Iudçæ ſecunda, celebre in ſacris Literis nomen obtinuit, vt non immeritò de eâ Prudentius cecinerit.

In Hym. Epiphan.

O ſola magnarum vrbium
Maior Bethleëm, cui contigit
Ducem ſalutis cœlitùs
Incorporatum gignere.

Quem ſtella, quæ ſolis rotam
Vincit decore ac lumine,
Veniſſe terris nunciat,
Cum carne terreſtri Deum.

Videre

Videre postquam illum Magi,
Eoa promunt munera,
Stratiq; votis offerunt
Thus, Myrrham, & Aurum regium.
Regem Deumq; annunciant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis sepulchrum prædocet.

Frequens non solùm & amplum quondam fuisse oppidum, non obscuro argumento sunt extātes adhuc ruinæ, & rudera amplissima: sed & Christianis Palæstinam moderantibus Episcopatu etiam nobilitatum, scriptorum testimonio constat. Hodie verò ruinosum penitus, & deuastatum, nullam prorsus oppidi faciem retinet; sed exiguum potiùs & obscurissimum refert pagum, seu viculum ignobilem, omni prorsus nitore & decore prisco denudatum. Nihil enim eius, præter arcus aliquot, & vetusti operis fornices, parietes, lapidumque aceruos, est quod cernas: reliqua omnia in cinerem abiere. Humiles aliquot casulas ruditer nuper exstructas, incolæ, vix centum numero, inhabitāt; omnes (præter paucos admodum Christianos) Mauri. Christiani Græcum obseruant ritum, pauci Latinum: omnes tamen Italicā callent linguam, quam Francam appellant, & à pueris ediscunt: Seniores Minoritis & Peregrinis Occidentalibus Interpretum loco seruiūt: filios idcirco Italicâ institui linguâ à Minoritis studiosè curant, ne vnquam deficiant, qui Monasterij negotijs inseruiant: cui equidem (vt à Monachis accepimus) diligentem & fidelem hactenus nauarunt operam & studium. Cruces ex oleâ conficiunt, quas lapillis ibi collectis, vbi mysteria aliqua à Saluatore fuisse patrata innotuit, ornant. Globulos item precatorios è terebintho vel olea, quibus Preces Deo fundere ad certum numerum consueuere Latini, nec non Sanctissimi Sepulchri, itemque Præsepis Domini formas lapideas componunt, ac victum sibi his diuendendis comparant. Cæterùm agriculturæ & vineis excolendis inprimis dant operam; quæ quidem vinum præstantissimum, nec cum vllo eius regionis comparandum proferunt. Summâ verò inopiâ rerum pressi, miseram sanè vitam, varijsque fortunæ casibus obnoxiam ducunt: vel enim Arabum quotidianis deprædationibus infestantur, vel Maurorum delationibus conficiuntur, vel Turcarum assiduis exactionibus exhauriuntur, vt nati prorsus miserijs ferendis videantur. Nihil enim, quod vectigalibus obnoxium non sit, possident: pro oue siquidem vel caprâ maidinum, pro octo cuiusuis generis plantis, arboribusvè duos maidinos pensitant; quartam partē segetum singulis annis fisco inferunt. Cechinum item aureum vxorati annuatim persoluunt; & quod omnium miserrimum est, proprias sæpe deserere ædes, fugâ saluti consulere, ac quicquid habent supellectilis, & annonæ, Arabum subitis excursionibus & depredationibus exponere,

Tyr. 11. *Bel. sacr. c.* 12. & 12. *Bel.* 13. & 15 *Bel.* 16. & 17. *Bel.* 1.

exponere, vel fugam pecuniâ datâ redimere coguntur. Hinc sæpenumerò pagus ab habitatoribus deseritur, solis exceptis Minoritis, qui altissimis Monasterij muris inclusi, tanquam in tuto propugnaculo cõstituti, Arabes non magnoperè reformidant. Solum territorij ferax, coloris veluti cretâ candidi, vineis, hortis, oliuetis satis cultum, & in valles collesque diuisum, aquæ verò penuriâ vel maximè laborat: nullum enim riuum neque fontem habet, sed vnam tantùm atque alteram cisternam, vel puteum.

CAPVT IX.

Variæ iuxta Bethlehem Lustratæ antiquitates. Fontis signati, Piscinarum & Horti conclusi Salomonis, nec non vallis Mambre & oppidi Hebron descriptio.

QVARTO Id. Octobris vnà cum Patre Guardiano Betlehemitico, duobus item Minoritis, Interpretibusque, nec non Mauris aliquot, arcubus sagittisque instructis (quos periculorum euitandorum gratiâ, vt nempe à latronum insidijs, aut repentinis insultibus nos tutarentur, Interpretes nostri mercede conduxerant) comitantibus, primo diluculo itineri nos accingimus, asinisque vecti Ebron, Fontem signatum, & reliqua vicina mysterio aliquo notata loca inuisendi animo Meridiem versus pergimus iter. Medio peracto milliario Botticellam pagum à dextris reliquimus, quem multi Bezech antiquitùs fuisse putant, Adonibezec regiam, vbi ab Israëlitis captus, manibus & pedibus truncatus, Hierosolymam adductus est. Locus est satis frequẽs in adscensu collis Oriẽtem spectantis, cui Ephrata antiquitùs nomen fuit, & à solis Græci ritus hominibus habitatur. Inde per agros, vineis arboribusque sic satis cultos, quasi passus quingentos progressi, in loca inculta & sterilia incidimus. In ipso itinere viæ regiæ magnis lapidibus constratæ fragmenta aliquot (quæ Regum Iudæ opus esse putantur) passim offendimus. Secundo à Bethlehem lapide, ad dextrã eminus conspeximus in imâ valle Fanum vetustissimum, Diuo Georgio sacrum, cui Monasterium adhæret à Calogeris habitatum, atque à Christicolis Orientis, maximè Græcis, imò ab ipsis Mahumetanis frequentatum, & in summâ veneratione habitum. Concurrente siquidem vtriusque gentis multitudine, plurima & varia ibi à Deo fieri miracula, Interpretes Christicolę, simul & Mauri Mahometæi itineris comites retulerunt. Hinc ad Eurum viâ decliui pergentes, ad vallem subiectam deuenimus, in quâ fons ostenditur, quem Fontem signatum esse aiunt, in sacris Literis celebrem. Distat is à Bethlehem

tria

tria circiter millia passuum, descensumque præbet foramine angustissimo, supra quod Ficus antiquissima patulis diffusa ramis vmbram præstat intrantibus lætissimam: Hunc & nos intrauimus, sed quisque, quo facilior foret via, ceream faculam ardentem præferebat; est enim locus subterraneus, & obscurus valdè, cellam formâ quadratâ oblongâ fornicato opere referens, latam circiter pedes decem, longam viginti quinque; quæ à Septentrione in Meridiem distenditur: in medio fossa est in ipsâ rupe excisa, longa pedes sex, lata duos, totidemque palmos, profunda tres; quæ fontis aquam limpidissimam, ac saluberrimam, frigidamque ex ipso viuo saxo exilientem excipit, eamque per canalem continuum rupi incisum diffundit, atque inde per antiquū aquæductum publicis impensis in hunc vsque diem conseruatum, in vrbem ad Solomonis Templi aream defert. Cant. Cantic. Salomon. c. 4.

Viso Fonte signato, proficisci Hebron, inde passuum millia duodecim distantem, erat animus: obstitere tamen Minoritæ, Interpretes simul & Mauri, quo minùs eò peregeremus, quippe qui illud iter minimè tutum fore ob vicinos Arabes, maioremque idcirco requiri comitatum asserebant. Hac oratione moti, ab incepto destitimus, & vicina tantum loca circumiuimus. Quæ tamen de Hebron atque conualle Mambre Minoritarum relatu accepimus, minimè prætereunda duximus.

Pergentibus à Fonte signato Meridiem versus, primò occurrit ad dextram spelunca Odolla, in ipsâ petrâ excisa; locus naturâ munitus; 1. Reg. 22.
in quâ Dauid Saulis rabiem fugiens, aliquamdiu latitauit, multosque 2. Reg. 23.
reifamiliaris angustiâ & ære alieno oppressos ad se fugientes suscepit; vt breui quadringentorum virorum Dux fieret. Hinc ad Conuallem Gen. 3. 18.
Mambre, fertilitate & amœnitate vel maximè commendabilem, atque 24. 25. 37.
Abrahæ Patriarchæ diuturnâ habitatione celebrē, itur. Inde ad locum 49. 50.
quo Abraham Isaacum filium circumcidisse memoriâ proditum est. Delubrum eo in loco ab Helenâ olim exstructum, nunc collapsum & ruinosum iacet. Haud procul inde cellulæ Sacræ vxoris Abraham, Hieron. in Epitaph. Paulæ
& Isaaci filij eius ostenduntur incunabula. Vestigia quoque Quercus Abraham, sub qua in ipso diei æstu apparuere ei viri tres, quibus pedes Gen. 18.
lauit, & ministrauit, vnum verò adorauit. Fanum ibi in memoriam tanti mysterij à Constantino Imperatore exstructum, nunc collapsū penitus, nil præter rudera reliquit. Exinde ad agrum Damascenum Gen. 2.
venitur; in quo Adamum primum parentem à Deo creatum, atque Ioseph. l. 1. Ant. 2.
inde in Paradisum terrestrem translatum, ex eo verò ob præuaricationis crimen eiectum, ad priorem locum reductum, testatur antiquitas. Vbi etiam ostendi speluncam volunt, in quâ post lapsum pœnitentiam egisse opinio est. Ager iste ad iactum ferè balistæ ab Hebron ad Oc-

casum semotus, terram habet subrufam, & glutinosam atq; instar ceræ tractabilem, quam qui gestant, ab infortunijs & ossifragijs tutos esse, nec à venenoso animali lædi posse nonnulli autumant. Ob id Mahometæi in diuersas ac remotas orbis partes eam venum transportant. Inde ad iactum lapidis Hebron itur; quæ olim Arbee, & Mambre, & Chariatarbee dicta, Dauidis Regis regni sedes, qui septem annis cum dimidio in eâ regnauit, hodie Mauris Chalil appellatur: estque adeò ruinis suis sepulta, vt ne vestigium quidem vllum vrbis præ se ferat. Iuxta hanc est duplex illa spelunca, quam Abraham cum agro vicino & arboribus emit à filijs Heth quadringentis siclis argenteis, in quâ eius, nec non Isaaci, & Iacobi Patriarcharum, itemque Saræ, Rebeccæ, & Liæ, eorundem vxorum corpora humata esse sacra Scriptura testatur. Sunt qui Adamum & Euam hic quoque sepultos volunt. Speluncam hanc duplicem Helena Sancta eleganti & miræ magnitudinis Templo adornauit, Monasterio addito peramplo. Vtrumque hodie à Mahumetæis occupatur, Templo in Messitam verso, nec Christianis idcirco peruio. Mahometæis ingredientibus nil præter foramen Speluncæ conspicuum est. His de Hebron & Conualle Mambre dictis ad iter recurramus.

Gen. 23. 35. 1. Paral. 3. 1. Mach. 5. Ios. 14. 15.

Hieron. in Epitaph. Paulæ.

Cyprian in Tract. de Resur. Christi.

Ad iactum lapidis à Fonte signato Ortum versus pergentes maximas dirutarum ædium ruinas conspeximus; quas olim concubinarum Salomonis habitacula fuisse, nonnulli existimant; quorum opinioni non facilè adhæserim, reclamante maximè Gothicâ ædificij formâ: quare potius posteriorum Christianorum Regum, quibus ea loca in delicijs fortassis fuere, opus esse crediderim. Haud procul inde ad Orientem Salomonis illæ piscinæ numero tres plurimum decantatæ nobis occurrerunt. Hæ maximæ, pulcherrimæ, & admodum profundæ, in ipsâ viuâ rupe excisæ, in valle quadam angustâ inter asperrimos vtrimque montes, loco decliui positæ, eo ordine dispositæ sunt, vt prima in secundam, secunda in tertiam aquas pluuiales immittat. Habent autem singulæ suum emissarium, quo aqua vel emitti vel sisti possit, obicibus sublatis, vel demissis. Prima passus ducentos longitudine, sed latitudine centum continet: altera pauciores: tertia cæteris minor est. In has aquæ pluuiæ olim (vt etiam nunc) decidentes conseruabantur, nam per aquæductum veterem in Templum Salomonis hodie etiam aquæ ex ijs deducuntur. Nos eas siccas, & aquâ penitus carentes offendimus, & causam esse didicimus rarissimum imbrem. Sunt enim illis in regionibus pluuiæ adeò infrequentes, vt toto interdum anno aut raræ, aut nullæ fiant: quinimo, vt retulere nobis Mauri itineris nostri duces, totis viginti tunc mensibus in circumvicinâ regione nusquam pluerat, nisi bis tantùm, idque mense Aprili anni

1598, atque eo die dum nos adessemus; licèt tum vix terræ superficiem imber humectaret: quod equidem Diuinæ maledictionis certissimum argumentum putauerim. Pluuiâ enim deficiente terram aridam & torridam fieri; & sterilitatem exinde causari, nemo non nouit: quem quidem pluuiæ defectum Deus per Prophetam Iudeæ olim comminatus est. *Nubibus* (inquiens) *mandabo ne pluant super eam imbrem.* Dum hic subsistimus, mirandamque lustramus Piscinarum molem, quidam è nostris per gradus lapideos rupi incisos ad ima inferioris Piscinæ descendentes, plurimas viridi coloris ranas, easque peringentes & obesas in cœnosâ delitentes aquâ (quæ exigua in infimo angulo remanserat) hamo piscati sunt: quæ oleo frixæ in proximâ cœnâ lauti obsonij loco nobis fuere. *Isai. c. 5.*

Hinc rectà ad Orientem stadia quasi duo progressi, Hortum conclusum Salomonis, in sacris Literis celeberrimum adijmus. Is non muro conclusus, nec arte, sed ab ipsâ naturâ montibus asperrimis, & maximè præcipitibus vtrimque septus, vallem paruam refert, longitudine stadia ferè duo, latitudine passus quingentos continentem. Glebæ est fertilissimæ, & fortunatissimæ, coloris nigerrimi, diuersi generis arboribus, Malis præsertim punicis, Aurantijs, Citrinis, Ficubus, alijsque permultis, Nardo etiam & Croco, varijsque fruticibus abundans. Vix autem dici potest, quantum cùm eminùs tum cominùs mirandi sui situs elegantiâ, amœnitate, ac pulcherrimo prospectu accedentium prætereuntiumque oculos capiat, pascat, atque delectet. Cum etenim circumvicinam regionem torrefactam, aridam, incultam, & Solis ardore exustam Peregrini perspiciant, minusque inter petrosos, steriles, squalidosque montes viridaria se reperturos putent, vbi improuisè vallem arboriferam, odoriferam, herbidam, floribus, frugibusque ridentem, atque cultissimam offendunt, rei nouitate hęrent attoniti, & in summam rapiuntur admirationem. Vbi ad vallis medium ventum est; Mons occurrit, ad septentrionale latus angulum efficiens, atque in hemicycli formam instar arcus sese extendens: cuius costam, quâ Vallem respicit, Villa occupat; quam Salomonis Hettan olim nuncupatam aliqui volunt: hodie ruinosa penitus, nil pręter vetustos fornices aliquot, & aceruos lapidum, nonnullaque Maurorum vallem colentium tuguriola continet. Ad radicem montis sub ipso pago fons est, à Fonte signato deriuatus. Is per deductas arte canaliculas, agros camposque omnes Horti conclusi irrigat; humectatque sata: mox in Aquæ ductum (de quo suprà meminimus) influit, & per eum in Hierosolymam vrbem iuxta Salomonis Templũ suas effundit aquas. Huic monti vicinus hæret alter, Prophetarum appellatus, in quo olim Amos & Habacuc prophetæ habitasse dicuntur,

Cant. Cant. Salomon. c. 4.

Ecclesiast. c. 2.

Ioseph lib. Ant. 2. c. 7.

Ioseph. 8. Ant. 7.

Hieron. in Prophet. Amos. c. 1.

tur, Vrbem etiam vetustissimam Thecuam nomine, hodie in cinerem versam, in eo extitisse fama est.

Superato angulo, fonti iam vicini, eum ab Arabibus sua adaquantibus iumenta occupatum offendimus, ingentem etiam Arabum turmam Camelos suos, capras, & boues plurimos ducentium, & ad fontem properantium eminus conspicimus. His visis, terror illicò omnium mentes inuadit: quid consilij capiendum, hæremus; fugere neque tempus neque occasio sinebat: quæ enim effugiendi spes, vbi nos asinis tardissimis insideremus, illi contrà camelos atque equos velocissimos haberent? Mauri tandem, qui præsidij loco nobis aderant, vbi propiùs accessissent, ad nos læti reuersi, nihil esse metuendum renunciant; vtque progrediamur hortantur, & admonent, vicinos esse, & amicos, non hostes, neque prædones aiunt: præituros se, & si donum aliquod expetant, compositueros cum ipsis, facturosque quod è re nostrâ foret, promittunt. Præcedunt itaque, lento & nos subsequimur gradu. Vbi ad fontem venimus, salutamus obuios; reddunt salutem comiter; nullaque iniuriâ illatâ, nulloque postulato dono, immunes præter omnium exspectationem dimittunt. A tergo pago relicto viâ petrosâ, arduâ, ac difficili nimis, ad proximi montis cacumen processimus. Hinc rectà ad Aquilonem per loca inculta & deuia reliquum itineris absoluimus, atque horâ demum secundâ postmeridiana nec dum pransi ad Bethleëmiticum Monasterium redijmus. Vbi nos cibo potuque refecimus.


CAPVT X.

Ad montana Iudææ profectio: Sepulchrum Rachelis; Ioannis Baptistæ Eremus; eiusq; incunabula: Vallis Raphain, Fons Nephtoa, aliaq; perlustratæ antiquitates, & oppida.

POSTRIDIE, qui tertius Eid. Octobris erat, sub ipso diei crepusculo, Minoritis, Interpretibus, Maurisque (quos suprà memorauimus) comitati, ad montana Iudeæ iter instituimus. Progredientibus itaque à Monasterio Bethleëmitico, Occasum versus, quasi passus ducentos, quo vsque olim oppidi Bethlehem muros pertigisse opinio est, ostensa nobis fuit Cisterna quædam antiquissima ad dextrũ viæ latus, tria continens ora, aquis copiosa. Hanc Cisternam Dauidis vulgo nuncupant, eandemque esse volunt, cuius aquas expetebat Dauid, cum contra Philistæos Bethlehem obsidentes exercitum, quẽ ad paludes habebat, duceret: dicens (vti Scriptura refert (*Quis mihi dabit*

1. Paral. 11. 2. Reg. 23.

dabit potum aquæ de cisternâ quæ est in Bethlehem iuxta portam: quam tamen à tribus viris fortissimis (qui per media Philistæorum castra perruperant) allatam, bibere renuit; sed libauit eam Domino; se nolle bibere, inquiens, sanguinem eorum, qui eam maximo vitæ discrimine, attulerant.



A Fornix.
B Sepulchrum seu tumba Rachelis.
C Duo minora sepulchra tumbis vacua.
D Murus sepulchra ambiens.

Hinc procedentibus Aquilonem versus, quasi passus quingentos, ad læuam occurrit Sepulchrum Rachelis, vxoris Iacob Patriarchę, integrum adhuc, & (quod mireris) omnino illæsum. Id totum lapideũ, quadratę formæ opus est, quatuor ornatum columnis, seu pilis lapideis quadrangularibus, quæ arcuato opere iunctę, arcus totidem constituunt, testudine rotundâ superimpositâ. Inter quas medio solo affixa hæret tumba lapidea, calce vndique oblita, altitudinis pedum sex, longitudinis septem, latitudinis trium cum dimidio: cuius superior pars in rotunditatem desinit. Iuxta hanc duo alia visuntur Sepulchra eiusdem fere formæ, minora tamen tumbisque vacua. E regione Monumenti Rachelis, ad Occasum, dirutorum ædificiorum in costâ mõtis (cui Ephrata nomen est) ingentes quædam cernuntur ruinæ; quas reliquias esse autumant ciuitatis Ramæ; de qua in Euangelio legitur: *Et vox in Ramâ audita est: Rachel autem plorans Filios suos, noluit consolari, quia non sunt.*

Gen. 35. Hieron. in Epitaph. Paula.

Ierem. 31. Matth. 2.

Discedentibus à Rachelis Sepulchro, Septentrionem versus, Campus Ciceris vulgò dictus, cernitur, sterilis planè & arenosus. Occasionem

ſionem huic nomini dediſſe ferunt inſigne Chriſti miraculum. Cùm enim illac iter faceret, hominem ſemina ſpargentem interrogaſſe eũ aiunt, quid ſeminaret: illum verò reſpondiſſe, Lapides: ſubiunxiſſe Dominum, Lapides ſeminas, Lapides & metes; illumque meſſis tẽpore pro Cicere lapides Ciceri perſimiles meſſuiſſe: atque exinde in hunc vſque diem agrum illum nihil aliud producere. Nos plurimos ex ijs collegimus noſtrati Ciceri haud abſimiles.

4. Reg. 19. Prope hunc agrum vallis oſtenditur Ortum verſus, in quâ Sennacherib Aſſyriorum regis exercitus 85 millium hominum ad internecionem vſque ab Angelo deletus eſt.

Inde ad ſtadia quatuor ad dextram in vertice collis dirutarum ędium ſeu Templi reliquias conſpeximus, vbi olim Patriarchæ Iacob habitacula extitiſſe ferunt.

2. Reg. 23. 1. Paral. 11. 14. Paulò vlterius ad vallem propinquam Raphaim, in quâ Dauid Philiſtæos ſecundò fudit & profligauit, deſcendimus. Hæc à Septentrione in Auſtrum ſeſe extendens, culturæ aptiſſima eſt, ac vineis, fertiliſſimiſmiſque campis abundat. Inde per vallem mediam ad Occidentem flectentes, oppidum Bethſafafa prætergreſſi ſumus: mox valle ſuperatâ ad oppidum Alcalha ſummitati collis impoſitum rectà perreximus. Vtrumque à Mauris habitatum infrequens eſt, ruiniſque deforme. His à tergo relictis, longiſſimo tractu modò ima vallium petentes, modò montium cacumina ſuperantes, continuauimus iter, agroſque paſſim obuios, hos vineis oliuetiſque cultos, alios deſertos & ſteriles offendimus. Longum dein viæ permenſi ſpatium, ad ſummum quendam peruenimus montis verticem, è quo à dextris vallem eminus cõſpeximus Ioannis Baptiſtæ natiuitate celebrem, quam pariter vallem Raphaim vocant: eâ verò à tergo relictâ, rectà ad Occidentem montem adſcendimus ſic ſatis altum, in cuius deſcenſu pagum ignobilem & perexiguum, Iora nuncupatum, habitatore Mauro, pertranſijmus medium. Vbi non ſolum pueri, feminæque Maurorum iniurijs & maledictis nos laceſſiuerunt, verùm etiam lapidibus nos impetentes longè inſequuti ſunt. Fontem eo loci profundiſſimum optimas ſcaturiẽtem aquas oſtenderunt nobis Interpretes: moram tamen ibi trahere, atque antrum ingredi ſitis extinguendæ cauſâ nequaquam auſi ſumus; veriti Maurorũ inſidias, moleſtiaſque; ideoque ſolo cauernæ adſpectu contenti, illicò diſceſſimus.

Ad



Ad mille circiter passus ab hoc pago Austrum versus, alius secus viam, quæ Gazam ducit, iuxta vicum Betsoron, olim Betsur, ad radices montis ebulliens Fons visitur, aquis salubribus copiosus, quem Philippi fontem nominant. Huius siquidē aquis à Philippo Apostolo Candacis Reginæ Eunuchum, virum Æthiopem, iam Fide instructū, baptizatum esse veterum memoriâ proditum est: adire autem hunc præ metu Arabum, quos in vicino esse relatum fuit, non licuit. Ea propter fonte ad læuam relicto, Septentrionem versus pergentes, per loca montosa, arida, & squalida, viâ difficili atque arduâ, tandem peruenimus ad locum, Desertum Ioannis Baptistæ appellatum; vbi in antro quodam rupi inciso, vel à natura instructo, Ioannem à teneris annis (vt multi volunt septimo) ad decimum septimum vsque ętatis suæ annum vitam austeriorem, & ab hominum consortio longè remotam vixisse; donec tandem ad desertum prope Iordanem Iudæis Baptismum pœnitentiæ prædicaturus se contulerit, veteres prodidere.

Act. 8. Hieron. in Epitaph. Paula. & in loc. Hebr.

A Desertum



A *Desertum D. Ioannis.* *C* *Fonticulus D. Ioannis.*
B *Antrum D. Ioannis Baptistæ.* *D* *Ruina Monasterij.*

Est autem antrum id in costâ montis excisum, loco valdè præcipiti, ac prærupto, ita vt accedentibus, imò eminus intuentibus horrorem incutiat: accessum habet difficillimum, adeoque arduum, vt vix in ipsâ caute vestigia figas: manibus itaque ac pedibus adrepas necesse est. Sed vbi ad summitatem ventum est, in colles vallesque circumiacentes vastum peramœnumque præbet adspectum. Ostium habet angustissimum, ad Ortum patens, cuius pars interior formâ quadratâ oblonga, latitudinis octo, longitudinis pedum sexdecim, speluncam refert satis obscuram, atque vnico tantum patente foramine, qua parte vallem profundissimam respicit, paululum collustratur. Ingredientibus ex aduerso ad latus Occidentis se offert murus lapideus, altus pedes duos, latus totidem, longitudine antri latitudinem æquans: quem pro culcitrâ & puluinari fuisse Diuo Ioanni opinantur. Super hoc antrum Christianorum operâ posteà ædificatum est Monasterium satis amplum; cuius etiamnum peringentes supersunt reliquiæ, cubicula nempe & fornices aliquot, collapsa tamẽ & ruinosa omnia. Hæc iuxta fonticulus è viuâ rupe aquam optimam & limpidissimam stillat, quæ statim modico foramine, ab eadem, qua genita est terrâ, sorbetur.

Precibus

Precibus hîc aliquamdiu intenti substitimus, concinentibus interim Minoritis sequentia. Ac primùm Hymnum illum *Antra deserti, teneris sub annis &c.* in die Natiuitatis Ioannis in Ecclesia dici solitum.

Antiph. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis locis vsque in diem ostensionis suæ ad Israhel.*

Vers. *Inter natos mulierum non surrexit maior,*

Resp. *Ioannes Baptista.*

Oratio. *Concede nobis quæsumus Domine Iesu Christe, vt qui arduam Præcursoris tui pœnitentiam veneramur, eius etiam virtutes, spretis mundanis affectibus, imitemur Qui cum Patre &c.*

His dictis, è longo & permolesto itinere iam fessi, ac æstu vehemẽtissimo exusti, fame quoque ac siti penè exhausti, iuxta fonticulum in patulo consedimus, ac lassa corpora nonnihil pane atque ouis nobiscum allatis refocillauimus, aquâ fontanâ sitim subleuantes. Iuxta antrum secus viam plurimæ visuntur arbores Charnubi, quæ nobis Siliquæ dicuntur, quarum fructibus Ioannem Baptistam vesci consueuisse, ac Siliquas illas panes inde Ioannis Baptistæ appellatos esse opinio est. Pro cibo fructibus his vsos fuisse veteres, humiliores saltem, plurimi putant; quod quidem facile crediderim: nam & hodie hominibus simul & cęteris animalibus in alimentum cedunt.



A Templum D. Ioannis Baptistæ. *C Domus Sacharia & Elizabeth.*
B Fons B. virginis alias Neptoah

Hinc digressi, & duorum milliarium, Ortum versus, emensi spatium, vetustum adijmus Templum, ruinosum & dirutum maiori ex parte, eo loco à Sanctâ Helenâ (vt ferunt) positum, quo olim ædes Diui Zachariæ patris Ioannis Baptistæ extitere; quas Virgo Maria, Elizabeth tunc vterum gerentem salutatura, accessisse legitur, ac salutatam, exultante fœtu in vtero eius, spiritu plenâ exclamasse *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me*: ac respondisse Virginē Cantico illo celeberrimo *Magnificat anima mea Dominum*, Sacræ narrant Literæ. Templo additum fuit Monasterium: cuius, vt & Templi, peringentes ruinæ, & extrema præsertim septa Monasterij etiamnum supersunt. Delubrum in duos est diuisum fornices, vno alteri super imposito; inferior integer adhuc Mauris loco habitationis est; in quo altare visitur lapideum: superior collapsus totus, vnicâ duntaxat exceptâ Chori parte per exiguâ; in quâ vtrimque depictas aliquot diuorum imagines conspicias. Moris est hoc loco Canticum Mariæ concinere, hasque recitare Preces.

Luc. 1.

Vers. *Benedicta tu in mulieribus:*
Resp. *Et benedictus Fructus ventris tui:*
Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui ex abundantiâ charitatis B. Mariam Virginem Filio tuo fœcundatam ad Salutationem B. Elizabeth inspirasti: præsta quæsumus, vt per eius visitationem donis cœlestibus repleamur, & ab omnibus aduersitatibus eruamur. Per Dominum nostrum &c.*

His dictis à Minoritis, abitum paramus. Sed vbi ad ostium claustri venimus, occurrunt nobis Mauræ, illius loci incolæ, maidinosque poscentes, repagulo obiecto, exitum impediunt: quem tandem solutis maidinis aliquot obtinuimus.

Monasterij septis egressi, ad iactum inde lapidis fontem aquæ viuę, Nephtoa olim vocatæ, ad dextram viæ prætergredimur. Is hodie D. Virginis Mariæ vel Sancti Ioannis Baptistæ ab indigenis appellatur: estque aquis salubribus copiosus. Solent Peregrini ex eo sitis subleuandæ & deuotionis causâ bibere; quod & nos fecimus. Sunt quoque qui aquam ex eo, vt etiam Iordane, in vasculis ad propria deferant.

Iuxta hunc fontem Fanum extat celeberrimum, & splendidissimū, Natiuitati Diui Ioannis Baptistæ consecratum, eo loco, quo eum natum fuisse testatur antiquitas. Quinimò in sacello quodam seu antro subterraneo in ipso saxo exciso, ad quod à sinistro Chori latere per gradus aliquot descenditur, eius Incunabula venerantur. Sunt qui hoc loco Ioannem à matre occultatum ferant, dum Herodes in infantes sæuiret. Hîc quoque Zachariam eius patrem loquelam à Deo recepisse,

ac Canticum illud celeberrimũ (*Benedictus Dominus Deus Israhel*) Diuino spiritu afflatum composuisse asserunt. In cuius rei memoriam, ac gratiarum actionem & nos quoque idem cum Minoritis in ipso Antro concinuimus, hac additâ à Vicario Oratione.

Deus, qui B. Zachariam de Sanctæ prolis promissione dubitantem mutum fecisti; cui postmodum credenti ac Spiritu sancto plenum in tuas laudes mirabiliter reserasti: concede vt eius ac filij gloriosis precibus & meritis linguis nostris incredulitatis vinculo resolutis, ea quæ tuæ placita sunt voluntati, corde credentes, animosè confiteamur. Per Christum &c.

In ipso verò delubro sequentem decantarunt Hymnum Minoritæ.

Vt queant Laxis resonare fibris,
Mira gestorum famuli tuorum,
Solue polluti labij reatum,
Sancte Ioannes.

Nuncius celso veniens Olympo,
Te patri magnum fore nasciturum,
Nomen, & vitæ seriem gerendæ
Ordine promit.

Ille promissi dubius Superni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ,
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.

Ventris obstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem,
Hinc parens nati meritis vterque
Abdita pandit,
Gloria Patri &c.

Antiph. *Ex vtero vetulæ & sterilis hîc natus est Ioannes procursor Domini.*
Vers. *Fuit homo missus à Deo.*
Resp. *Cui nomen erat Ioannes.*
Oratio. *Deus, qui populum tuum in natiuitate B. Ioannis Baptistæ lætificari fecisti; da nobis famulis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Christum &c.*

Delubrum id egregij & magnifici operis fornicibus pluribus rotundo schemate tectum, amplum & quasi integrum adhuc cernitur, à Mauris tamen habitationis loco habitum, sordibus, & animalium immunditijs adeò fœdatum & conspurcatum est, vt stabulum potiùs sordidissimum, quàm Ædem sacram putes.

Post cunabula Præcursoris Domini visitata, & deosculata, Precesque peractas, Templo egredimur. In ipso verò atrij limine occurrũt


nobis Mauri, & egressum prohibent. Vbi quid peterent, per Interpretem quæsissemus, cafarros se poscere respondent. Nos solitos numerari iubemus Illi his non contenti, plures sibi dari postulant. Rixatum diu inter Mauros & nostros, & à verbis ad verbera ferè ventum est. Superveniens tandem Genizarus eques litem composuit. Atque ita post solutos cafarros à barbaris liberati, iter Genizaro comite prosequimur. Is enim cùm comitem ac ducem itineris vltro se nobis obtulisset, ideoque oblatam operam recusare nec fas esse, nec consultum Minoritæ & Interpretes iudicarent, eam acceptauimus, & acceptum beneficium compensaturos promisimus. Proximum itaque arduum & adscensu difficilem montem pedites omnes adscendimus: inde per valles collesque amœnissimos ad tertium vsque milliarium in asinis pergentes Monasterium Sanctæ Crucis, à Georgianis ordinis Sancti Basilij Monachis habitatum, accessimus: vbi militem Genizarum, humanum vtique & benignum, dono ei dato, gratijsque peractis, dimisimus. Abbas lætâ fronte exceptos ad penitiora Monasterij deduxit, & Monachorum cellulas, & Tmeplum (quod Monasterij muris continetur) nobis ostendit. Distat ab Hierosolymâ tria circiter millia passuum, totidemque à loco natali Ioannis Baptistæ. Est autem muris altissimis, valuisque ferreis duplicibus, instar Arcis, contra Arabum latronumque impetus ac vastationes tutum ac munitum propugnaculum, eiusdem ferè formæ, cuius & Heliæ Monasterium esse suprà retulimus. Templum simul cum Monasterio ab Helenâ in honorem Sanctæ Crucis fabricatum ferunt: sub cuius Arâ Maximâ locus ostenditur, ex quo Olea excisa dicitur, Crucis Dominicæ materia. Nam eam ex Palmâ, Cedro, Cypresso, & Oliuâ factam, citra tamen veterum testimonium, sunt qui putant: atque Orientis Christicolæ ita esse certò credunt.

Beda in suis Collect. & Flor. Bellar. Tract. de Imag. Sanct. lib. 2. c. 17.

Hinc discedentes rectà Hierosolymam perreximus, domoque Simeonis iusti ad dextram relictâ, montem Gihon saxosum valdè, & ruderibus plenum, ac Mahumetæorum sepulchris obsitum transijmus medium. Is è regione montis Sion positus vrbem ab Occidente ambit: à qua profundâ vallè separatur; contra Septentrionem verò Vrbi iungitur, continetque Monasterium Sancti Saluatoris, aliaque vicina mœnibus loca. In hoc Salomon à Sadoc Pontifice & Nathan Prophetâ sacro oleo in regem vnctus est. Hodie deformis planè, vastus & incultus iacet. Hinc aliquantum viæ emensi per Portam Iaffæ Vrbem intrauimus, ac sub vesperum Monasterium Sancti Saluatoris ingressi, quieti nos dedimus.

CAPVT XI.

Variarum antiquitatum, Locorumq́; sacratiorum, tam intra quàm extra Sacræ Vrbis mœnia extantium, eorum maximè, quæ illi ab Ortu adiacent, descriptio.



A Porta D. Stephani.
B Porta Templi Salomonis.
C Templum modernum Salomonis
D Piscina probatica.
E Ædes D. Annæ sacra.
F Ostium primarium Prætorij Pilati.
G Palatium Herodis.
H Lectus scalæ sanctæ quà ad Prætorium itur.
I Arcus Ecce homo, & locus quo Christus a Pilato populo ostensus fuit.
K Templum spasmatis B. M. Virginis.
L Locus vbi Iudei angariauerunt Simonem Cyreneum ad portandum crucem Domini.
M Locus quo Christus fœminis Hierosolymitanis dixit Nolite flere super me &c.
N Aedes diuitis epulonis.
O Domus Simonis Pharisæi.
P Domus Veronicæ.
Q Porta iudicialis.
R Mons Caluariæ.

POSTRIDIE, qui pridie Id. Octobris erat, summo manè, duce Fratre Ludouico, Vicario seniore, ac comite Monasterij Interprete, Bethaniam profecturi, Monasterio egredimur; atque Ortum ver-

ſus pergentes, rectà ad Portam Iudiciariam (diſtantem à monte Caluariæ, quem ad dextram reliquimus, quaſi paſſus ducentos) proceſſimus. Hac Saluator noſter Chriſtus Crucis pondere prægrauatus, ad ſacrificij locum perrexit. Antiquiſſimam eſſe Vrbis portam, atque ante aduentum populi Iſraëlis Hebuſæorum temporibus exſtructam, ſacri Codicis teſtimonio conſtat. Iudicialem autem dictam volunt, quod reorum & morte damnatorum ſententiæ ibi publicari ſolent. Hodie tranſitum nullum præbet, nulliuſque vſus eſt: maiori ſiquidẽ ex parte obturata, & priuatorum prædijs incluſa, publici iuris eſſe deſijt. Ex columnis duabus, quæ portæ olim ornamenti cauſâ additæ fuere, altera (ſed ſemifracta) ſupereſt, ac portæ innititur. Eſt autem quaſi in ipſo Vrbis medio, in capite viæ Doloroſæ, ad occiduum viculi poſita latus, quæ tranſuerſim Viam Doloroſam interſecat, & à Septentrione in Meridiẽ protenſa Crucem efficit, relinquiturque à procedentibus ad Ortum à lænâ. Portâ ponè relictâ, ſub fornice antiquiſſimo, & prælongo, viam Crucis, vulgò Doloroſam, ingreſſi ſumus. Hanc Chriſtus Dominus plagis & vulneribus ſaucius, & Cruce onuſtus, cruentis greſſibus calcauit, ſanguine ſuo conſperſit; & pondere Crucis depreſſus, in hac ſæpiùs procidit. Ad centum circiter paſſus viâ leniter decliui progreſſis oſtenſum fuit ad dextram oſtiolum domus, ad quod muro recens reſtaurato, per quatuordecim adſcenditur gradus lapideos. Vbi habitaſſe olim piam Berenicem, vulgò Veronicam, fama eſt: quæ Chriſto cum Cruce tranſeunti capitis ſui peplum obtulit, quo faciem ſanguine & ſudore conſpurcatam tergeret; quod ille acceptum, impreſſâ priùs faciei ſuæ imagine, ei in amoris ſui pignus reddidit; & in hodiernum vſque diem Romæ in Diui Petri Baſilicâ religioſè aſſeruatur, ſtatiſque anni temporibus, præſertim verò in Cænę Domini feſto maximâ cum veneratione populo ad eam ſolemni Supplicatione accedenti oſtenditur. Eadem in via, tranſuerſario ſuperato arcu, ac paulò vlterius progreſſis ad dextram oſtenſæ ſunt Simonis Phariſæi ædes; in quibus (vt legitur) Maria Magdalena Chriſti Saluatoris pedes lauit, capillis abſterſit, oſculata eſt, & vnxit: ob quem tam feruentem amorem remiſſionem peccatorum meruit obtinere.

Matth. 27. Marc. 15. Hieron. in Epitaph. Paulæ. Nehẽ. 3. 12. Ruth. 4. Deuter. 22.

Luc. 7.

Inde ad quindecim paſſus procedentibus obuiam fiunt ædes (vt volunt) diuitis illius epulonis, cuius Lucas meminit, ex quadratis & dolatis conſtructæ lapidibus, magnifico & eleganti opere, altis muris, licet ruinoſis conſpicuæ, ſed habitatore vacuæ & deſertæ. Poſitæ autem ſunt ad dextram viæ, quæ priori contigua tranſuerſum agit & crucem efficit, extenditurque à Septentrione in Meridiem, cum prior ab Occidente in Orientem protendatur.

Cap. 16.

Has


Has iuxta Septentrionem versus locus ostenditur in ipsâ viâ, vbi Christus Cruce grauatus pertransiens, dixisse fertur mulieribus: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Luc. 23.

Vlteriùs ad decem passus locus occurrit ad quoddam triuium, angulum efficiens, vbi impulerunt milites Simonem Cyrenæum veniẽtem de villâ vt tolleret Crucem post Iesum; metuentes ne totus saucius, & graui Crucis pondere oppressus, ante moreretur, quàm ipsum Cruci affigerent: in cuius rei memoriam Templum ibi olim à Christianis conditum fuit, nunc in Turcarum balneum versum. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 23.

Inde relictâ ad læuam Viâ, quæ ad septentrionalem ducit, portam Ephraim nomine, Viâ Dolorosâ proceditur, quæ Ortum versus ad vsque Pilati Prætorium protenditur; quâ nos circiter passus triginta progressi, ad dextram reliquimus Fanum, cui Spasmus Virginis nomen est, ruinosum & collapsum totum, ab Helenâ exstructum eo (vt ferunt) loco, quo Christo sputis deturpato, sanguine madido, spinea corona insignito, ac Crucem baiulanti Mater occurrit, & præ nimio dolore deliquium animi passa est.

Hinc rectâ ad Orientem progrediẽtibus passus circiter quadraginta, Arcus sese offert lapideus, vetustissimus, ac præaltus, sub quo transitur ad Pilati Prætorium: estque hodiè à muro, qui septentrionale viæ claudit latus, ex parte occupatus. Murus supra arcum eminens, atque Occidentem spectans, nullam habet fenestram: cui foris duæ tabulæ lapideę infixę hærent, inscriptione aliquâ temporis iniuriâ excesâ, vt legi nequeat, olim notatæ. Hanc continuisse multi putant *Tolle Tolle, crucifige eum.* Cui opinioni facile annuerim, nam aliàs ad superiorem arcus partem, Porticumque illi superimpositum ab Hoggio quodam Mahumetæo, qui ædes Arcui adiacentes inhabitat, admissus, cùm tabulas illas propiùs intuerer, duas in capite tabulæ Aquilonem respicientis animaduerti superesse literas. T O. nullo reliquarum apparente vestigio. Murus supra Arcum, alterum aduersum claudens latus, atque Orientem spectans, duas continet fenestras, columnâ marmoreâ mediâ. Eo verò loco, quo etiamnum extant fenestræ, Christum indutum purpurâ, spineâ coronatum coronâ, atque arundinem sceptri loco manu gestantem à Pilato dicente *Ecce homo* populo ostensum fuisse, veterum memoria proditum est. vnde & nomen sumpsit, atque Arcus *Ecce homo* vulgò appellatur. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

A. Arcus



A Arcus Ecce homo.
B Lectus Scalæ sanctæ quæ ad Prætorium ducit.
C Locus quo Christus à Pilato populo ostensus est.
D Via dolorosa.

Paulò vlteriùs procedentibus ad dextram se offert Lectus (id est locus) Scalæ Sanctæ vulgò dictus, in ipsâ viâ eminens, atque ad Pilati Prætorium præbens aditum. De hac Christus discedens à tribunali Lithostrato, iam flagellatus, ac morti adiudicatus, cum Cruce descendit. Huius scalæ gradus marmorei, qui numero 28 etiamnum supersunt ab Helenâ (vt fertur) Romam delati, ad Lateranensem Basilicam in scalam vulgò Pilati dictam cooptati; guttulisque sanguinis Christi (vt piè creditur) decorati, in summâ hodie veneratione habētur, & deuotè quotidie, imò singulis ferè horis, maximo hominum concursu frequētantur, omnibus, quotquot accedunt ne vel ipso Pontifice Romano excepto, non pedibus, sed flexis poplitibus eum adscendentibus.

Ioseph. 6. Bel. 6. Act. 12. Hinc ad passus octo viculum ad læuam reliquimus, in cuius extremo angulo, & in ipso adscensu montis Bethsethæ, regij & magnifici operis conspeximus Palatium è quadratis & dolatis constructum lapidibus, cuius frontispicium è vario constat marmore, pulcherrimo artificio elaboratum. vulgò Herodis esse Palatium existimatur, multis id negantibus; qui à Mameluchis exstructum putant eo loco, quo veteres Herodis extitere ædes; quod & mihi verisimilius videtur.

Progressis aliquantulū ad Ortū, altera ad dextram occurrit Prætorij porta, recēs exstructa, è marmore candido, croceoque eleganti opere.

Domici-

Domicilium hîc habent Turcarum Saniacchi, seu Vrbis Præfecti, omnemque tractum illum, qui à meridionali Viæ latere ab Arcu cognomento *Ecce homo* ad hanc vsque portam protenditur, suis ædibus comprehendunt.

Ad penitiora Prætorij rarissimè quidem & difficillimè Christianis conceditur aditus, nec nobis, quantumuis multum exoptantibus, concessus. Narrant Minoritæ etiamnum hîc conspici flagellationis Domini locum, sacello ab Helenâ elegāti opere & formâ sphæricâ decoratum, sed abiectum hodie, & in sordidum animalium stabulum conuersum. Cellulas item vetustissimas, varijs imaginibus depictas, in quibus Pilatum cum Christo sermonē miscuisse traditur ab antiquis, nec non Lithostrotum locum, quo Romani Præsides sententiam ferre solebant, tessellato opertum opere. Hîc Pilatus sedens, cupiensque absoluere adstantem Iesum, vt Iudæorum sedaret rabiem, eum flagris cędendum pronunciauit, hac latâ ex veterum traditione sententiâ.

Iesum Nazarenum, virum seditiosum, & Moysaicæ legis contemptorem, per Pontifices & Principes suæ gentis accusatum, expoliate, ligate, & virgis cedite. I lictor, expedi virgas.

Hac verò sententiâ Iudæos nequaquam contentos, sed sacerdotum & seniorum suasu vt crucifigeretur postulantes, vocibusque instantes vt vidit Pilatus, seditionem veritus, acceptâ aquâ lauit manus coram vniuerso populo, dicens: *Innocens sum à sanguine iusti huius: reclamante vero populo, & dicente, sanguis eius super nos, & super filios nostros, & si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, eum demum Crucis supplicio condemnauit, hac alterâ (vt veteres prodiderunt) datâ sententiâ.

Iesum Nazarenum, subuersorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, vt maiorum suæ gentis testimonio probatum est, ducite ad communis supplicij locum, & eum ludibrio regiæ maiestatis in medio duorum latronum Cruci affigite. I lictor, expedi cruces.

Refert Fr. Bonifacius Guardianus Montis Sion in libello, de quo suprà meminimus, se quidem sæpiùs locum Lithostrotum visisse, sed vocatum à Saniacco, cùm vel exactionis impositæ, vel mulctæ imponendæ causâ inuitus adiret. Cellulas autem se perrarò ingressum: ad locum verò flagellationis, vbi multis modis Christus illusus fuit, septimo vix demum anno (absente Saniacco) à vetulâ admissum, atque tum se & quotquot aderant audiuisse quasi ictus flagellantium: & vetulam interrogatam, an hoc sæpiùs contingeret, respondisse sexaginta annos, quos ibi habitasset, die noctuque indesinenter fuisse auditos. Cæterùm quòd multi putant, asseruntque, videri ac conspici ibi hominem assiduò mouentem dextram, & interrogantem subeuntes de

extremo Iudicij die, nugas esse & aniles fabulas putauerim. Nam & Minoritæ eâ de re à nobis rogati, nihil sibi eiusmodi vnquam innotuisse responderunt.

Hinc passus triginta procedentes, ad læuam reliquimus Fanum vetusti operis Sanctæ Annę Virginis matri quondam dicatũ, conceptione, & natiuitate Virginis percelebre. Ædes namque Ioachimi & Annæ eo loci quondam extitisse, ibique natam esse Virginem à veteribus acceptum est. Fano contiguum hæret Cœnobium satis amplum, à sanctimonialibus quondam habitatum: in quo Balduinus secundus eius nominis Hierosolymorum Rex vxorem dimissam Monacham fieri compulit. Vtrumque in Mahometæorum vsum cessit, Fano in Mesquitam verso, Monasterio in domicilium Seriphi, qui difficillimè Christianos admittit.

Tyr. 11. Bel. sacr. 1.

Haud procul inde portam prętereuntes septentrionalem Atrij Tēpli Salomonis, quod nunc extat, ad dextram viæ positam latus, lychnos aliquot accensos, atque è fornice pendentes conspeximus: subsistere tamen in ipsâ portâ, aut Atrium ingredi nequaquam ausi sumus, cùm Christiano homini id minimè liceat.

Passibus quasi quadraginta peractis, ad dextram fleximus, viculumque ingressi, qui ad alteram ducit Atrij Templi portam, vrbis mœnibus contiguam, Piscinam accessimus Probaticam, prope vrbis muros sitã, & Atrio Templi coniunctam, ita dictam, quòd oues pecudesque in eâ litandæ lauabantur olim. Est autem quadrata oblonga, ex lapidibus quadratis æquâ ferè mensurâ concisis & politis constructa, profundissima quidem, & tot ædificijs circumsepta, vt conspici nequaquam possit, præterquam ab eâ parte, quâ Orientem spectat, vbi per murum altum pedes quinque, & fundum, & situm omnẽ facilè intuearis. Aquis hodie caret, estque partim sterquilinium, & immunditiarum receptaculum, partim cucurbitis, & oleribus culta, viridarij loco habetur: cuius longitudo centum quinquaginta plus minus passus, latitudo triginta continet. Ex quinque porticibus, olim apertis, & multitudine languẽtium, qui sanitatis causâ exspectabant aquæ motum, continuò refertis, duæ tantùm hodie ab Occidente patent, reliquis ad Aquilonem obturatis, ædibusque plurimis desuper constructis. Hæc olim à Rege Salomone à fundamentis educta, Iosepho stagnum Salomonis dicitur: fuitque, Moysaicâ vigente Lege, ob plurimas, quæ ibi, ab Angelo aquas mouente, fiebant sanitates, valdè celebris; vt videre est apud Euangelistam. Aquarum hæc congeries è Templo originem trahebat: omnes siquidem oblationum & immolatorum ablutiones in hunc decurrebant, & recipiebantur locũ, & Nathanei in ea lauabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in Templo offerendas; propterea etiam Be-

Ioan. 5.


Ioan. 5.

6. Bel. Iud. 1.

Ioan. 5.

thesda

thesda Id est, Domus effusionis appellata fuit Paralyticum hoc loco triginta octo annos infirmum, & sanatum postea Christus sublato grabato iussit abire.



A Portæ aurea
B Porta D. Stephani
C Locus lapidationis Stephani
D Templum Sepulchri D. Virginis Mariæ.
E Hortus Oliuarum siue Montis Oliueti.
F Torrens Cedron
G Pons supra torrentem Cedron.
H Sepulchra Turcarum.

Hinc ad Septentrionem rursum flectentes, per Portam Sancti Stephani vrbe egredimur. Hæc à Prothomartyre Stephano, qui per eam extra ciuitatem eductus, & non longè ab eâdem lapidatus est, nomen accepit: quæ & Porta Vallis, & Porta Gregis appellata olim fuit, quòd per eam immolandi in Templo greges in Forum Pecuarium venales adducerentur, quodq; in Vallem Iosaphat ducat. Vrbe egressi, ad dextram reliquimus Portã Auream, per quam Christus Saluator noster triduo ante Passionem triumphans Vrbem intrauit, turbis præcedentibus, & sequentibus, ac lætâ voce acclamantibus *Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hodie à Turcis, Dei quodam occulto iudicio (vt multorum opinio est) obturata, nulli est peruia. Distat autem à Sancti Stephani Portâ Meridiem versus passus circiter centum quinquaginta.

2. Paral 26. Nehem. 2 3 12.

Matth. 21.


Inde Ortum versus, quasi passus cẽtum progredientes, mox ad Meridiem fleximus: atque ad triginta passus progressis ostensus fuit ad dextram viæ, quæ ducit Cedar, locus quo Diuus Stephanus cœlos apertos, & Christum à dextris Dei stantem videns, pro lapidantibus & persecutoribus orauit, atque in ipso iuuentutis flore lapidibus obrutus, primus post Passionem Christi Martyrij palmam tulit. In cuius rei memoriam hoc loco eius imago saxo impressa ostenditur.

Act. 7.

Hinc Vallem Iosaphat aliàs Conuallem Cedron, quæ & vallis Regis, & Iudicij, & Concisionis, & Montium dicitur, pertransiuimus mediam. Hæc longitudine duorum milliarium ab Austro in Aquilonem protenditur, latitudine angustâ, ruinis enim Vrbis, & maximè Templi Salomonis, & Palatij regij, à Tito Vespasiani filio destructi, magnâ ex parte obruta, & impleta iacet. In hac valle pij ac religiosi reges Iuda, Asa, Ezechias, & Iosias, Templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron proiecerunt. Est autem sita inter Montem Oliuarum, & Montem Moriah, hoc ab Occasu, illo ab Ortu adiacentibus; quam torrens Cedron pluuialibus abundantibus aquis, ex vicinis montibus decidentibus, mediam interfluit, & per vallem Gehennon raptus, mox per plana Deserti in mare mortuum procurrit.

4. Reg. 23.
2. Reg. 18.
Ioël c. 3.
Zach. c. 14.

3. Reg. 15.
2. Paral. 15.
29. 30.



Mausolæum Virginis.

A *Introitus templi seu Mausolæi Virginis.*
B *Templi fenestra ad Orientem.*
C *Introitus oratorij Iesu Christi.*
D *Foramen oratorij quo lumẽ immittitur.*
E *Area Templi.*
F *Hortus Turcarum muro septus.*

Haud

Haud procul à loco lapidationis Sancti Stephani, ad radicem Montis Oliuarum Templum extat insigne atque amplum, fornicato opere ab Helenâ (vt volunt) exstructum; vsque adeò terrâ hodie ex Vrbis ruinis contectum, vt solo æquante eius verticem, vix ad limen accedentibus se conspiciendum præbeat: cuius summitatem torrens Cedron abundantibus aquis superfluit. Sepulchro autem virginis Mariæ in primis memorabile, in summâ ab omnibus Christicolis veneratione habetur, descenditurque ad interiora Templi per gradus marmoreos quadraginta octo aut quinquaginta, latos admodùm ac spatiosos. Descendentibus occurrit ad dextrâm scalæ Sacellum, duabus ornatum Aris; quæ Ioachim & Annæ parentum Mariæ ossa continere dicuntur. E regione ad alterum scalæ latus Sacellum priori persimile ostenditur, vnicam habens Aram, quod Sepulchrum esse ferunt Iosephi nutritoris Domini. Vtrumque Peregrini visitant, precesque inibi Deo fundunt, deosculantur Altaria, Sanctorumque patrocinium inuocant, Minoritis interim recitantibus sequentia. Et in primis ad D. Ioachimi Sepulchrum.

Antiph. *Similauit te Deus, Ioachim, viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.*

Vers. *Ora pro nobis B. Ioachim.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio. *Deus qui nos B. Ioachim, patris genitricis Dei commemoratione lætificas; concede propitius, vt cuius memoriam colimus, etiam patrocinium sentiamus. Per Christum &c.*

Ad D. Annæ Sepulchrum:

Antiph. *Hæc est radix & stirps Iesse, Ex qua Virgo sumpsit esse.*
Quæ diuinum profert florem, Et fert fructum contra morem.

Vers. *Ora pro nobis B. Anna.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio *Deus qui B. Annam matrem tuæ Genitricis fieri voluisti; præsta quæsumus, vt apud te meritis vtriusque matris & filiæ regna cælestia consequamur. Qui viuis &c.*

Ad D. Iosephi Sepulchrum.

Antiph. *Sancte Ioseph, suffragia tua nos tueantur iugiter, & ad regna cælestia nos perducant fæliciter.*

Vers. *Ora pro nobis B. Ioseph.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio. *Da quæsumus, Domine, B. Iosephi sponsi genitricis tuæ Mariæ solemnitatibus gloriari, vt eius semper & patrocinijs subleuemur, & fidem congruâ deuotione sectemur. Qui viuis &c.*


Vbi ad ima ſcalæ ventum eſt, ſubeuntibus ad læuam ſe offert puteus ſeu ciſterna aquæ optimæ & frigidiſſimę. Hinc ortum verſus ad Sepulchrum itur Virginis, Templi medium occupans, in quo carnis reſoluta nexibus repoſita eſſe traditur ab antiquis. Id quadratæ formæ opus, cemento & calce extrinſecus illitum, intrà tabulis marmoreis coloris candidi opertum, duo continet oſtiola, vnum ab Ortu, alterum ab Aquilone. Locus quo Sanctiſſimum eius corpus ab Apoſtolis conditum, tertio à ſepulturâ die vacuus, ſuauiſſimo miroque odore fragraſſe fertur, quadratæ formæ Tumbam ſeu Aram albido marmore coopertam refert, in quo ſoli Catholici ſacrum celebrant: vicenis verò lychnis penſilibus, die noctuque ardentibus Sacellum ipſum per ſe obſcuriſſimum Chriſti fidelium variæ nationis impenſis illuſtratur. Hîc precibus aliquantulum intenti ſubſtitimus, Virginiſque Beatiſſimæ patrocinium inuocauimus. Minoritis interim concinentibus Hymnum *Aue maris ſtella &c.* itemque ſequentia.

Antiph. *O glorioſa Domina, aſſumpta ſuper ſydera, quæ nec primam ſimilem, nec habes ſequentem, ſola ſine exemplo placuit Virgo Chriſto.*

Verſ. *Exaltata eſt Sancta Dei genitrix.*

Reſp. *Super choros Angelorum ad cœleſtia regna.*

Oratio *Famulis tuis quæſumus, Domine, cœleſtis gratiæ munus impartire, vt ſicut B. Virginis partus nobis extitit ſalutis exordium, ita eius Aſſumptio glorioſa aditum ad gaudia tribuat Angelorum. Per Chriſtum &c.*




A *Deſcenſus 50 graduum.*
B *Ciſterna.*
C *Sacellum Sepulchri B. M. V.*
D *Summum altare.*
E *Moſchea ſeu locus Orationis Turcarum.*
F *Sepulchrum Ioſephi ſponſi B. M. Virginis,*
G *Sepulchrum SS. Ioachimi & Annæ parentum B. M. V.*
H *Ara.*

Cæterum

Cæterùm Templum, quod Sepulchri ędiculam ambit, totum fornicatum, ſed & humidum, & valde obſcurum eſt, cùm nullum recipiat lumen, quàm quod apertis foribus per eas, itemque feneſtellam, quæ ad Orientem eſt, admittit. Frontiſpicium Meridiem reſpiciens, eleuatum à terrâ ſeu Templi Areâ pedes circiter duodecim, muris vtrimque iunctis in quadratum ſurgit opus, pauimẽto deſuper obducto plano, quod terræ ſuperficiem æquat. Area Templi muris vndique à Viâ regiâ, hortis agriſque circumiacentibus ſeparatur; quæ cùm ſit ipſâ viâ inferior, per gradus aliquot lapideos aditum à Meridie præbet. Iuxta Templum peringens viſitur arbor Piſtaceum nomine, latè diffundens ramos. Eius generis arbores Occidentalibus incognitæ Syriæ peculiares ſunt; in Ægypto quoque copioſiſſimè proueniunt, nuceſq; producunt Pini nucibus non abſimiles, nucleo tamen viridi, medicâ virtute nobiles, ad hepar roborandum, ac ſuccos in venis eius infarctos expurgandos in primis vtiles: quas ideò in maximâ copiâ Venetias mercatores Itali venum deferunt. E nucleis Saccaro indito, placentas Itali conficiunt, quas vulgò *piſtacheas*, aut *Piſtacchiate* vocant, in conuiuijs nobilium, ditiorumque ſecundâ menſâ inter bellaria apponi ſolitas.

Oratorium Chriſti ad radicem Montis Oliuarum, ſeu antrum in quo ſolitus erat orare, in quo & ſanguinẽ & aquâ ſudauit, & ab Angelo confortatus eſt.



A *Locus Chriſti orantis.*
B *Locus Angeli confortantis.*
C *Introitus antri.*
D *Foramen antri quo lumen immittitur.*

Sepulchro Virginis egreſſi, rurſum alta petijmus, atque ad læuam flectentes, Ortum verſus perreximus, peranguſtâ ſemitâ; & aliquantum viæ permenſi, antrum ingreſſi ſumus, ad radices Montis Oliuarum, Chriſti oratione, ſanguinis & aquæ ſudore, atque Angeli præſentiâ

Hieron. in Epitaph. Paulæ. Math. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18.

ſentiâ à Patre æterno ad Filium ſuum confirmandum miſſi, perceleſbre, atque omnibus Chriſtianis venerabile. Id figuræ eſt quaſi ſphericæ, in rupe exciſum, quatuor columnis ſeu pilis ex eadem rupe cęſis ſuffultum, latum per diametrum pedes circiter triginta, In ſummitate rupis iuxta vltimam columnā, ad Occaſum vnicū ſpiraculū habet, ſeu foramen rotundum, per quod lumen admittitur. Iuxta murum, qui ad Orientem rupem ſuſtentat, altare quondam extitiſſe referunt, eo loci, quo Chriſtus proſtratus in terram, ęternum precatus eſt Patrem, *Pater* (inquiens) *ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: ſed non ſicut ego volo ſed ſicut tu.* Proſtrata ibidem iacet columna, pro ſigno olim (vt volunt) poſita, vbi Angelum ſubſtitiſſe, ac Chriſtum confortaſſe, ſacræ narrant Literæ. Hîc quoque nos ſubſiſtentes, precibus aliquantulum vacauimus, gratias agentes Deo Saluatori noſtro, de immenſo ſuo erga genus humanum amore, quòd humanam ſuam naturam in eam coarctauerit anguſtiam, vt pro noſtris peccatis pauens & tædens, atque ad mortem triſtis hîc ſanguinem ſudârit. Recitata interim à Minoritis fuere ſequentia.

Antiph. *Dominus Ieſus Chriſtus Mundi redemptor, factâ cum Diſcipulis cœnâ, venit in hunc locum, cœleſtem Patrem oraturus; & cùm prolixiùs oraſſet, factus eſt in agoniâ.*

Verſ. *Factus autem eſt ſudor eius,*

Reſp. *Tanquam guttæ ſanguinis, decurrentis in terram.*

Oratio *Domine Ieſu Chriſte dulciſsime, qui antequam patereris Hieroſolyma egreſſus, ad hunc Orationis tuæ locum more ſolito perrexiſti, vt te ſponte paſſurum demonſtrares; vbi factus in agoniâ, præ anguſtiâ calicis Paſsionis tuæ bibendi, guttas ſanguineas ſudaſti, tuæ aſſumptæ carnis veritatem propalando: hinc tuam imploramus clementiam, vt nobis ſpiritum in oratione corroborãs, agoniæ tuæ nos ſociare digneris, quo nullis tentationibus territi, cuncta aduerſantia te adiuuante vincamus. Qui cum Patre &c.*

Precibus peractis, atque antro egreſſi, ad aream Sepulchri Virginis regredimur; eaque tranſitâ, atque ad lęuam relicto horto quodam areæ Templi adhærenti, muro vndique ſepto, ac Turcarum Meſſitâ ornato, denuo Montem Oliuarum adſcendimus. Paſſus circiter quadraginta progreſſis, ad læuam viæ ſe nobis obtulit locus Sacello & Altari quōdam ornatus; quorum tamen hodie nulla extant veſtigia, vbi Thomæ Apoſtolo videnti Virginem ad cœlos eleuari, Zonam eius demiſſam eſſe referunt Orientales, pieque ab omnibus creditur.

Paulò vlteriùs in duas ſemitas diuiditur via, quarū vna ſiniſtrorſum ad Montis faſtigium, vulgò Viri Galilæi nuncupatum, altera dextrorſum ad Adſcenſionis locum ducit. Hac pergentes ſummum Montis Oliuarum

Oliuarum petiuimus, relicto ad dextram Horto, in quo Christus captus est, de quo suo loco dicemus. Adscendentibus igitur quasi passus sexaginta, ostensum fuit ad læuā acumen complanatum, Christi quondam (vt ferunt) lachrymis rigatum, vbi (vt in Euangelio legitur) sedēs & adspiciens Ciuitatem Sanctam, prænoscens quæ illi euentura essent, fleuit super eam. In cuius rei memoriam à Minoritis recitata fuere sequētia.

Antiph. *Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super eam.*

Vers. *Non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Resp. *Eo quod non noueris tempus visitationis tuæ.*

Oratio. *Inclina, Domine, aurem tuam precibus supplicantium, vt qui super hanc Sanctam Ciuitatem Iudæorum magis infidelitatem, quàm vrbis ruinā, te magnâ motum pietate hîc fleuisse credimus, ab omni nos infidelitatis vulnere liberati, lachrymarum tuarum participes esse possimus Qui viuis &c.*

Ex hoc loco Hierosolyma tota oculis objicitur, vt situs, forma, ædificia, ambitus totus, ac quęque eiusdem partes distinctè, ac particulatim internosci queant, præsertim Mons Moriah, & Solomonis Templum, eiusque Area spatiosa: Cuius speciem quantum ex eo loco colligere licuit hîc, breuiter adjicere visum est.

Mons Moriah, aliàs Terra visionis, & Mons Templi dictus, Orientale Vrbis latus constituit, in quo & muri ab Oriente terminantur, excelsus olim & vndique præceps, nunc infimum vrbis locum obtinet, *Gen.22.*
ita vt vix montem repræsentare videatur: quinimò si quis ab Occasu *Mich.3.* *1.Mach.13.16*
vel Aquilone Vrbem accedat, Templum desuper constructum in planitiæ potiùs humili quàm eminentiori in loco situm esse putauerit. Ab Ortu tamen & Meridie, vbi per valles Gehennon & Iosaphat ad Vrbē adscenditur, montem esse excelsum liquidò apparet. Adeò verò tractu temporis complanatus est hic mons, vt valli Tyropœon dictę (quæ & Mello vorago, atque olim Montem Sion & Moriah interiacebat *Ioseph.6.Bel.6.*
media) æqualitate respondeat, Hęc enim ruinis exaggerata & impleta, *4. Reg.12.*
in tantam altitudinē excreuit, vt hodie cum montis Moriah summitate æquetur; ita vt non incongruēter Iosephus dicat vrbem in suo excidio, adeò vastatam esse, vt valles in montes, montesque in valles cōmutati sint. Hic est ille mons, quem Dauid ab Ornâ Iebusæo sexcentis Si- *2. Reg.24.*
clis auri emit, & exstructo in eius areâ altari, holocaustum Deo obtulit, *1.Paral 21.36.*
quod ignis è cœlo consumpsit: in quo & Salomon, patris in regno suc- *3. Reg.6.*
cessor, Templum Domino augustissimum, totoque terrarum Orbe *2.Paral.3.36* *3.Esdr.6.*
celeberrimum exstruxit. Id post quadringentos & quadraginta annos à Nabuchodonosor Babyloniæ Rege combustum, destructum, & septuaginta annis desolatū, Zorobabel denuò dolatis ac quadratis lapidibus, lignisque, imputribilibus annis quadraginta sex magnificè in-

ſtaurauit: quod quidem ad Machabæorum vſque tempora permanſit illæſum; fuitque ſummi nominis & famæ, & in maximâ apud omnes ferè Mundi incolas veneratione: adeò vt etiam exteri Principes & Reges plurimi maximis illud muneribus & donarijs illuſtrarent. Denique poſt annos trecentos quinquaginta quatuor ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ, captâ vrbe, interfectiſque triduo octoginta millibus Iudæorum, totidemque in captiuitatem abductis, & venundatis, Menelao quodam ductore omnibus ornamentis, diuitijſque ſpoliatum, atque idolis pollutum eſt: quod denique Iudas Machabæus fortiſſimus Hebræorum Dux, receptâ vrbe, ab idolorum cultu purgauit; eiq; vaſa aurea, verumque Dei cultum reſtituit; ac ne iterum à gentibus profanaretur, altis, fortiſſimiſque muris, turribus, foſſis, ac portis egregiè muniuit: in quo & à centum & viginti millibus gentium diu obſeſſus obſidionem ſuſtinuit. Tandem anno à fundatione ſub Zorobabel quingenteſimo octogeſimo ſexto, per Titum Imperatorem poſt dubium cruentumque conflictum, maximâ vi expugnatum, tantâ à militibus Iudæorum factâ cæde, vt per gradus Templi torrentis inſtar occiſorum ſanguis proflueret, à quodam milite, Cæſare licèt inuito, face incenſum, totum penitus conflagrauit, & ſolo æquatum eſt. Poſt annos autem ſexaginta quinque, Iudæis denuò rebellantibus, & Templum reſtituere volentibus, quinquaginta & octo eorum myriadibus ab Ælio Adriano vno die occiſis, Mons Moriah, in quo Templum ædificatum fuerat, ad planitiem redactus eſt, ruderibus in vallem Ioſaphat proiectis, ne vrbs, Montis & Templi præſidio confiſa, à Romanis ampliùs deficeret. Licèt autem ab ipſo Deo in ſedem ſui tabernaculi electum, & à Chriſto Domus Orationis vocatum, eiuſdemque frequentatione, doctrinâ, & miraculis illuſtratum fuerit, funditùs tamen demolitum, & fundus ipſe ob Iudæorum ſcelera iuxta Chriſti oraculum pluſquam trecentos annos deſertus remanſit, nulloque ædificio aut Templo etiam Iudæis contra nitentibus cohoneſtatus fuit. Ex quo clarè liquere putauerim, quod hodie in Monte Moriah extat Templum, non eſſe antiquum illud, à Salomone inſtauratum, vel à Zorobabel reſtitutum, cùm vtrumque (vt ſuprà retulimus) funditùs euerſum ſit, ſed longè recentius, ab Helenâ exſtructum, & à Mahumetæis poſtmodum auctore Homaro tertio à Mahomete Maurorũ Calipha (vt Tyrius putat) auctum, vel reſtauratum, eodem tamen poſitum loco, etſi paulò inferiori, quo vetuſtum extitit. Id formam refert octogonam, conſtatque opere rotundo, & Græco labore, ex magnis ſectis & politis lapidibus, præcellenti ſanè formâ, ampla, atque præaltâ: cuius inferior pars marmoreis veſtita tabulis, ſuperior lateribus varij coloris, Damaſceno opere illuſtrata eſt, teſtudine plumbeis coopertâ laminis

1. Mach. 3. 5. 10.
1. Mach. 1 4 6. 13.
Ioſeph. 7. Bel. 24. 25. 26.
Bel. ſacr. lib. 5. c. 2. & lib. 8. c. 3.

laminis ſuper impoſitâ, totamque tegente Templi molem: in cuius ſummo faſtigio ſemicirculus eſt lunaris ex ære deaurato, Turcarum ſymbolum, Templis ſiue Moſcheis ipſorum imponi ſolitum. Intùs verò in medio Templi infra interiorem columnarum ſeriem rupes eſſe dicitur, aliquantulum eminentior, cum ſubiecta in eodem ſaxo ſpelunca, ſupra quam ſediſſe Angelum volunt, quē propter dinumerationē populi à Dauide incautè factā, percuſſiſſe populū ſacræ referunt Literæ. Situs autem Templi ita ſe habet. Binæ areæ ſeu plateę ampliſſimæ atque æquilateræ, vnâ eminentiori alterâ Templum circundant. Inferiori quadrangula, & æquis diſtantibus contenta lateribus, per quadrum plus minus trecentorum paſſuum habet, albidoque marmore vndique tecta, Templo multum addit & ſplendoris & maieſtatis: Solis enim radijs reſplendentibus ita refulget, vt intuentium oculi quaſi præſtricti à Solis radijs auertantur. Palmis verò, Oleis, Aurantijſque arboribus eleganti ordine diſpoſitis paſſim conſita ſpectatur. Porrò in medio huius areæ planities quædam ſurgit eminentior, eleuata à ſolo inferioris areæ pedes circiter duodecim; cuius item pauimentum è marmore conſtat candido, atque eodem modo quadrilatera, à lateribus ſubiectæ ex omnibus partibus æquè diſtans. Hæc hodiernum Solomonis Templum ſiue Meſſitam in medio continet, quaternis ſcalis marmoreis adſcenſum præbens, eo ordine diſpoſitis, vt vna Orientem, altera Occidentem, tertia Meridiem, quarta Septentrionē ſpectent. Orientis ſcala rectà ad ingreſſum Templi ducit: qui vnicus eſt, & ad Solis ortum Montem Oliuarum reſpicit. Quatuor autem porticibus ſiue Oratorijs, ad totidem angulos conſtitutis, ſuperior area ornata eſt. Inferior muris vndique cincta altiſſimis, quinque portis aditum admittit, eo ordine conſtitutis, vt vna Orientem, quæ hodie obturata eſt, & Aurea appellatur, duæ aliæ Occidentem, quarta Meridiē, quinta Septentrionem reſpiciant. His addi poteſt ab eodem latere & ſexta, cæteris minor, iuxta Piſcinam Probaticam muris vrbis contermina. Intra hæc ſepta nemini Mahometęorum habitare, nemini etiam introire, niſi nudis & lotis pedibus permittitur. Hibernis temporibus aquæ pluuiales, quæ plurimæ de Templi deſcendunt ædificio, quaſque aliunde non pauciores excipiunt, limpidiſſimæ & abſque cœno in ciſternas defluunt: quæ plurimæ intra eadem ſepta continentur. Templum hoc per aliquot ſecula Patriarchali Cathedrâ decoratum, vero Dei cultu celebre fuit: tandem verò à Saracenis occupatâ Ciuitate, inuaſum, ac ſpurco Mahometæo cultu annis quadringentis & ſexaginta tribus contaminatum, rurſum anno 1100, licet turribus & portis validiſſimis apprimè communitum, à Duce Bullionenſe expugnatū, & Chriſtiano ritui reſtitutum eſt: denique octoginta octo tranſ-

2.Reg.24.

Tyr. Bel. ſacr. lib. 8. c. 2. & lib. 9. c. 9.

actis annis ob perniciosam Principum Christianorum discordiam à Saracenis rursum occupatum, ac detestabili Mahometæo cultu conspurcatum, etiamnum polluitur: imò ab eius introitu capitali Turcarum decretò Christiani & Iudæi arcentur omnes. Nam si intrasse quis Templum fuerit deprehensus, vel Christi fidem abneget, vel morte plectatur, stipite per medium hominem acto, vel ignibus comburatur necesse est. Vti id quidem Græco cuidam Episcopo, & Minoritæ Hispano superioribus annis contigisse Minoritæ nobis narrauerunt. Hæc obiter de Templo Salomonis: modo ad institutum reuertantur.

Herold, Cont. Bel sacr. lib. 1. c. 7.

Prosequentibus inde ad altiora iter, alius se offert locus, in cuius æquatâ planitie Fidei Symbolum composuisse Apostolos ferunt. Hinc ibi à Minoritis Peregrinisque Symbolum Apostolicum recitari consueuit, quod & nos præstitimus.

Math. 6.

Progressis ad triginta passus, à læuâ locus nobis ostensus est, quo Christus Apostolos orare docuisse dicitur: quare & nos pro more cõsueto Orationem Dominicam recitauimus.

Matth. 24. Luc. 21.


Haud procul inde iuxta columnam collapsam, alius item nobis demonstratus est locus, quo Dominus Iesus, interrogantibus Discipulis de signis sui aduentus, & consummationis sæculi, omnia, quæ extremum Iudicij diem præcederent, clarissimè prædixisse fertur. Minoritę ad rei gestæ memoriam tali Oratione vsi sunt.

Antiph. *Sedente Iesu super hunc montem Oliueti, accesserunt ad eum Discipuli eius, secretò dicentes, Domine, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi.*

Vers. *Consurget gens in gentem & regnum in regnum.*

Resp. *Et erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca.*

Oratio. *Præsta nobis Domine Iesu Christe, pater futuri seculi, vt tuis Sacris actionibus eruditi, Iudicio illo tremendo, de quo Apostolis tuis hoc in loco petentibus locutus fuisti, meritis tuæ Passionis sanctissimæ læti interesse mereamur. Qui viuis & regnas &c.*



A Templum & locus Adscensionis Domini.
B Cellula Diuæ Pelagiæ.
C Locus quo Christus vltimum Apostolis prædixit Iudicium.
D Locus quo docuit Apostolos orare.
E Locus quo Apostoli composuerũt Symbolum.
F Locus vbi Christus fleuit super Hierusalem.
G Locus vbi B.V. Maria requieuit, & palmam acc pit.
H Locus viri Galilæi.
I Locus vbi D. Thomas accepit cingulum à B. V. Maria.
K Locus vbi B. V. Maria solita fuit quiescere.
L Locus vbi Christus oraturus reliquit tres Apostolos.
M Locus vbi Christus fuit captus.
N Foramen specus, in quo Christus ter orauit, sudauitq́ sanguinem & aquam.
O Gethsemani.
P Mausolæum B. Mariæ Virginis.
Q Locus vbi Iudas se laqueo suspendit.
R Monumentum Absolonis.
S Pons lapideus supra torrentem Cedron.
T Cemiterium Iudæorum.
V Vallis ficus maledictæ.
X Via quâ itur Bethaniam.
Y Via quæ ducit Hierosolymam.
Z Torrens Cedron.

Vlterius procedentibus, quasi sub ipso montis vertice, antrum occurrit angustum & obscurum, in ipso saxo excauatum, Diuæ Pelagiæ Cellula vulgò nuncupatum, cuius esse Monumentum dicitur. Hæc

 illa

illa famosissima ante conuersionem Antiochena meretrix, quæ cùm cunctas Antiochæ fœminas formâ, diuitijs, delitijs, & luxuriâ superaret, Christianam postea professa fidem, prioris vitæ pertæsa, & sexum suum dissimulans, hoc loco habitu eremitico, sub nomine Pelagij austeram vitam duxit, & sanctissimè reliquum vitæ transegit, vt verè omnium virtutum pelagus dici meruerit; cuius animâ ad cœlos euolante, corpus hoc eodem in antro conditum ferunt. Nos quidem id ingredi omnes optabamus, sed Mauri, qui ostium antri præcluserant, ingressum prohibuerunt. Foris itaque salutato loco, ac sanctæ fœminæ reliquijs, eius patrocinium inuocauimus, Minoritis, interim recitantibus sequentia.

Niceph. Hist. Eccles. lib. 17. c. 5.

Antiph *Pelagia meretrix quadam nocte pœnitentiâ ducta, de domo suâ effugiens, in Montem Oliueti se contulit, & habitum Eremitæ accipiens, in hac paruâ cellulâ se inclusit, & Deo in multâ abstinentiâ seruiuit.*

Vers. *Ora pro nobis B. Pelagia.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Orat. *Exaudi nos, Deus Salutaris noster, & sicut de B. Pelagiæ conuersione gaudemus, ita eius admirabilis pœnitentiæ imitemur exemplum. Per Dominum &c.*

Hinc ad passus circiter triginta verticem Montis adscendimus, in quo olim à B. Helenâ Fanum insigne atque peramplum ædificatum est in memoriam Adscensionis Domini, hic propriâ virtute super æthera vecti; cuius rudera & extremi parietes etiamnũ supersunt, sphæricam referentes figuram. In cuius areæ medio Sacellum hodie est rotundo schemate, formâ octogonâ, albido è marmore constructum, operis Dorici, octenis ornatum columnis mormoreis, venustatis causa foris adhibitis, testudineo opere coopertum, ac gradibus marmoreis duobus circumseptum: cuius amplitudo interior per diametrum pedes duodecim continet, aditumque admittit vnico ad Occidentẽ patente ostiolo. Cæterùm cùm abhinc annis amplius viginti quinque in Turcarum Messitam versum fuerit, difficillimè Peregrinis patet introitus. Nos casu quodam ante fores reperto Messitæ Seripho, largitione ingressum impetrauimus, nostrasque inibi summâ cum animi consolatione Deo preces obtulimus, Saluatorem nostrum, quasi coram cœlos adscendentem videremus, adorantes, ac diuina eius vestigia venerantes. Videre est in ipso Sacello locum quendam concauum interiori muro Meridiem versus cubitali formâ incisum, statuarũ loculis non absimilem, latum pedes tres, altum septem, marmoreo opere ornatum, Turcis sacrum: Dei siquidem nomen tabulę aureis literis inscriptum hic appensum habent, idque dum Orationes inibi fiunt

Math. 16. Luc. 24. Act. 1.

fiunt, accenſo lychno illuſtrant, & Seriphus hoc loco, vti ſacratiore, Preces, Laudeſque diuinas peragit. In medio pauimenti vnius tantùm dextri pedis Chriſti veſtigium ſaxo coloris ſubalbidi impreſſum cernitur. Duo quidem relicta eſſe veriſimile eſt, affirmantibus idipſum Sulpitio Seuero, Euſebio, Hieronymo, alijſque, qui vtrumque ſe vidiſſe ſcribunt, ac miranda de ijs narrant: hodie tamen alterum deeſt, & in Templo Hieroſolymorum à Turcis aſſeruari (vti nobis retulere Minoritæ) exiſtimatur. Dum hîc ſubſiſtimus, precibuſque vacamus, Minoritæ concinuere ſequentia.

Sulpit. Seuer. lib. 2. Euſeb. in vita Conſt. lib 3. c. 42. Hieron. in Loc Hebr. Act. Apoſt. lib. m. Niceph. Hiſt. Eccleſ. c. 30. Paul Nolan. Epiſt. 11. ad Seuer.

Hymn. *Ieſu noſtra redemptio &c.*

O Rex glorioſe, Domine virtutum, qui triumphator hîc ſupra omnes cœlos adſcendiſti; ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis. Alleluia.

Verſ. *Adſcendit Deus in iubilatione. Alleluia.*
Reſp. *Et Dominus in voce tubæ. Alleluia.*


Oratio. *Concede quæſumus, omnipotens Deus, vt qui de hoc loco vnigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cœlos adſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente in cœleſtibus habitemus. Per eundem &c.*

Diſcedentibus nobis à loco Adſcenſionis, iuxta muros maioris nũc ruinoſi Fani, ad læuam oſtenſus eſt locus, quo Virginem beatiſſimam, poſtquam filium conſcendiſſe cœlos vidiſſet, ſedentem & quieſcteem paululum Angelum adijſſe, ſuique tranſitus diem prænuntiaſſe, nec non palmam ei è cœlo attuliſſe referunt Orientis Chriſtiani, pieque ab omnibus creditur. In cuius rei memoriam Minoritæ cecinere ſequentia.

Antiph. *Palmam quam Angelus B. Virgini de cœlo portauit, nimiâ claritate ſplendebat: quæ quidem virga viriditati conſimilis erat, ſed folia illius vt ſtella matutina fulgebant.*

Verſ. *Accipe ramum Palmæ virgo glorioſa.*
Reſp. *Quem de Paradiſo ad te attuli.*

Oratio. *Deus pudicitiæ ac puritatis amator, qui Virgini Matri palmam præfulgidam, ac virentem folijs in ſuæ teſtimonium virginitatis egregiæ manu Angelicâ de cœlo miſiſti: cuiq; fœlicem eius tranſitum nuntiare feciſti, ac demum ne teterrimum dæmonis conſpectum res humanas relinquendo videret, eam benigniſſime exaudiſti: concede vt eius apud te interceſſio glorioſa nos ſemper ab omnibus tueatur inimicorum inſidijs. Per Chriſtum &c.*



Mons Oliuarum.

A Sacellum montis Oliuarum.
B Cellula D. Pelagiæ.
C Ruinæ monasterij.
D Introitus Templi maioris, nunc collapsi & diruti, ambientis sacellum Adscensionis Domini.

Zach. 14. Act. 1. Daniel. 11. Priusquam autem iter prosequamur, de situ & vbertate Montis Oliueti nonnihil dicẽdum est. Olìueti seu Oliuarum hic Mons ab vbertate frequentium in eo crescentium Oliuarum sic dictus, Inclytus etiam, & Sanctus à Daniele appellatur. Tot verò mysterijs Christi clarus, toties à Saluatore frequentatus, eiusque sanctissimis lachrymis, ac sanguine irrigatus, pedumque vestigijs sacratus, haud iniuriâ celebre in Euangelio nomen obtinuit, & in omnium Christianorum ore versatur. Cęteris autem circumiacentibus eminentior, situ elegantior fertiliorque, Viridarijs, Vineis, Oliuetisque cultissimus, Palmis itẽ, Terebinthis, Charnubis; Pistaceis. Citreis, Aurantijs, Myrtis alijsque odoriferis plantis, & arboribus pulcherrimè consitus: tria continet cacumina; ex quorum medio, cæteris eminentiore, adstantibus & intuentibus Discipulis, facie ad Occidentem versâ, Saluator omnium Christus cœlos adscendit. In hoc item Montis cacumine Dauid Rex fugiens à facie filij sui Absolom, nudis pedibus, & aperto capite flens Deum adorauit. In hoc quoque Monte Salomon, omnis pietatis immemor, ethnicarum suarum vxorum instinctu dijs alienigenis Fana construxit, quæ postea Iosias cum cæteris Idolorum delubris destruxit. Distat autem summus montis apex ab Vrbe Hierosolymâ (vt Scriptura loquitur) iter Sabathi: hoc est duo millia passuum, quantum itineris Iudæis citra peccatum in Sabathô licebat conficere: tan-

Matth. 16. Luc. 24. 2 Reg. 15. 3 Reg. 11. 4. Reg. 23.

tæque

tæque altitudinis est, vt ex eo vastissimus vndique prospectus ad mare mortuum, Iordanem, Montes Quarantenam, Abarin, Nebo, & Phasgam, Arabiam, aliaque plurima loca pateat. Cacumen alterum Meridiem respiciens, nullum hodie habet ædificium. In tertio quod Septentrionem spectat, & vulgò Galilæa vocatur, turris est & domuncula recens exstrui cœpta, ast nondum perfecta. Id nos prætereuntes, ad leuam sine omni cultu reliquimus: nec enim Templum habet, nec vllo mysterio notatur. Galilæam autem dictum aliqui putant, ab hospitio, quo olim Galilæi Hierosolymam proficiscentes diuertebant.



A *Ecclesia Montis Oliueti.*
B *Betphage viculus.*
C *Fons Apostolorum.*
D *Domus Marthæ.*
E *Petra sessionis Domini.*
F *Domus Mariæ Magdalenæ.*
G *Sepulchrum Lazari.*
H *Domus Lazari.*
I *Ædes Simonis leprosi.*
K *Ficus maledicta à Domino.*
L *Via Hierusalem versus.*

Inde Ortum versus pergentibus, iuxta viam quæ Bethaniam ducit in planitie quadam non multum amplâ locus ostensus est, quo olim Bethphage sacerdotum viculus extitit, distans à Montis Oliuarũ vertice passus circiter centum: vnde Saluator Christus in oppositum castellum duos misit Discipulos, vt asinam alligatam cum pullo solue- *Matth. 21. Marc. 11. Ioan. 12. Hieron. in Loc. Hebr. lit. B.*

rent, & solutam sibi adducerent, vti hanc historiam omnes Euangelistæ plenissimè describunt. In rei gestæ memoriam à Minoritis sequētia recitata fuere:

Antiph. *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymam, & venisset in Bethphage ad Montem Oliueti; tunc misit hinc duos Discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum eâ; soluite, & adducite mihi.*

Vers. *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite:*

Resp. *Quia Dominus his opus habet.*

Orat. *Omnipotens æterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum die azymorum super pullum asinæ hinc Hierosolymam adscendere fecisti, & turbas Iudæorum vestimenta ac arborum ramos ante eum sternere, Osannaq; decantare in laudem ipsius docuisti: fac nos quæsumus famulos tuos & eiusdem Filij tui sectari humilitatis exemplum, & illorum consequi meritum. Per eundem &c.*

Viculi Bethphage nulla prorsus hodie extant vestigia, adeoque in cinerem versa sunt omnia, vt ædificium ibi aliquando extitisse nequaquam colligas.

Hinc viâ decliui Bethaniam versus discedentibus, in ipsâ viâ occurrit fons instar putei; iuxta quem Saluatorem reuertentem à Galilæâ & Samariâ sedisse & quieuisse sæpiùs, ac dixisse discipulis suis; *Ecce adscēdimus Hierosolymam*, veterum memoriâ proditum est.

Math. 20. Marc. 10. Luc. 18. Paulò vlteriùs ad Meridiem declinantes, relicto ad dextram Bethaniæ oppido, inde Ortum versus euntibus; ac passibus quasi quingentis peractis apparuit locus, quo olim Marthæ ædes Christi hospitio nobiles extitisse fertur: eas tamen solo æquatas, & in cinerem versas, nec vllum quidem vestigium reliquisse comperimus. Subsistentibus nobis, & orantibus, hæc à Minoritis recitata sunt:

Antiph. *Intrauit Iesus in hoc castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.*

Vers. *Martha Martha sollicita es,*

Resp. *Et turbaris erga plurima.*

Oratio. *Dulcissime Domine Iesu Christe, qui pro tuâ summâ pietate in hac famulæ tuæ Marthæ domo sæpius hospitari dignatus es: da quæsumus, ita nos meritis ipsius hospitæ tuæ conscientiæ nostræ habitaculum sanctis tibi præparare actionibus, vt cùm extrema dies aduenerit, in cœlesti regno tecum perenniter hospitari mereamur. Qui viuis &c.*

Hinc ad iactum lapidis saxum vidimus coloris subflaui, albidis intersecantibus venis, duorum circiter pedum altitudinis, omnibus cùm Orientis tum Occidentis Christicolis venerabile. Illud enim esse produnt, in quo sedentem & quiescentem Saluatorem Martha hisce allocuta

locuta est verbis: *Domine, si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus.*

Porro maximâ admiratione dignum est, à tot iam seculis, & à tot Peregrinis fragmẽtis huius saxi asportatis (id quod & nos fecimus) non esse attenuatum. Rem gestam Minoritæ tali Oratione prosequuti sunt:

Antiph *Nondum venerat Iesus in hoc castellum, sed erat adhuc in loco isto vbi occurrit ei Martha.*

Vers. *Dixit Martha sorori suæ,*

Resp. *Magister adest, & vocat te.*

Oratio. *Consolator optime Iesu Christe benigne, qui ad gaudium Mariæ & Marthæ sororum de interitu fratris ac pœnâ dolentium Bethaniam adsiẽ-disti, & ex longo fatigatus itinere hic humiliter consedisti; Patris tui gloriam in defuncti Lazari suscitatione mundo gloriosissimè ostensurus: præsta propitius, ita nos per amplam præsentis vitæ viam fideliter incedere, vt soluti carnis ergastulo, in cælestibus tabernaculis tecum mereamur æternaliter conquiescere. Qui viuis &c.*

Haud procul ab hoc saxo ruinæ quædam diruti visuntur ædificij, Templi & Monasterij vestigia, quæ in honorem B. Mariæ Magdalenæ supra fundamenta ædium ipsius à Christianis ædificata esse putantur. Hîc rursum substitimus, & à Minoritis sequentia recitata sunt:

Hymnus. *Nardi Maria pistici sumpsit libram mox optimi,*
Vnxit beatos Domini pedes, rigando lachrymis.
Honor decus imperium sit Trinitati vnicæ,
Patri, Nato, Paraclyto per infinita secula. Amen.

Vers. *Optimam partem elegit sibi Maria.*

Resp. *Quæ non auferetur ab eâ in æternum.*

Oratio. *Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæsumus, Domine, suffragijs; adiuuemur qui precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab Inferis resuscitasti: Qui viuis &c.*

Inde rursus ad Occidentem flectentes, Bethaniam venimus. Id oppidum ad radices Montis Oliuarũ Meridiem respiciẽtes situm; distat ab Vrbe Hierosolymâ quasi stadia quindecim, Lazari sepulchro, resuscitatione, Christi lachrymis, Orationibus, frequentique hospitio in primis celebre; neglectum tamen hodie, sordidum, ac ruinosum penitus, omnino infrequens est; paucis tantùm ibi extantibus domunculis, Maurorum habitaculis. In ipso oppidi ingressu Mauri aliquot occurrerunt, vt nos ad Lazari monumentum perducerent: quibus, vti & Antri custodibus, priusquam ingredi liceret, maidinos aliquot singulatim numerare oportuit. Super Monumentum ab Helenâ delubrum insigne structum etiamnum superest; à Mauris autem in Messitam versum cùm sit, Christianis eò ingredi non datur. Per id

Matth. 21. 26. Marc. 11. 14. Luca 10. 19. 24. Ioan. 11. 12. Hieron. in loc. Hebr. lit B.

olim ad Lazari Sepulchrum patebat aditus: ſed eo impedito, alter ad id paucis abhinc annis à Guardiano Hieroſolymitano proprijs impẽſis excogitatus eſt, per ſcalam ſubterraneam viginti duorum graduum, ab Occidentali Templi latere in ipſâ rupe excauatam. Eſt autem Spelunca Monumenti duplex: vna alteri ſuperimpoſita, vtraque quadratæ formæ cellulam referens, inferior nonnihil ſuperiori anguſtior. Hæc altari ornata lapideo, cuius tegumentum oſtium quondam fuiſſe Monumenti Lazari affirmant, ſolis Catholicis ad ſacra celebranda ſeruit. Ex hac ad inferiorem ſpeluncam marmore ornatam, & altari pariter lapideo, ſex deſcenditur gradibus. Hanc Lazari eſſe monumentum
Ioan 11. aſſerunt: ex quo iam quatriduanum & fœtẽtem eum adſtantibus multis Iudæis Saluator noſter diuinâ ſuâ potentiâ ad vitam euocauit. Precibus hoc loco pro more dictis, & à Minoritis Euangelicâ lectione rem geſtam enarrante, ac ſequentibus recitatis, diſceſſimus.

Antiph. *Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad hoc monumentum, & ait, Tollite lapidem.*

Verſ. *Hoc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit.*

Reſp. *Lazare, veni foras.*

Orat. *Omnipotens clementiſſime Deus, qui mundum innumerabilibus renouas beneficijs; concede quæſumus, vt ſicuti Lazarum in hoc Mauſolæo quatriduanum fœtidumq́; iacentem, ac magnâ mole lapidis obrutum, qui peccatorem in peccatis mortuum, tuâ ſolâ pietate ſuſcitatum eſſe deſignat, ad hanc mortalem lucem per Vnigeniti tui vocem potenter redire iuſsiſti; ſic nos iubeas à vitiorum omnium reſuſcitatos pondere, per eius ſacratiſsimæ Paſsionis myſterium ad æternam lucem feliciter peruenire. Per eundem Chriſtum &c.*

Lazari Monumento egreſſi, ad Auſtrum aliquantulum fleximus: vbi collapſi ædificij (Lazari fuiſſe putatur) ruinas peringentes è quadrato lapide opere Ruſtico, inſtar Arcis conſtructi, & foſſis vndequaque cincti, penetrauimus medias.

Inde quaſi paſſus quinquaginta progreſſi, ędificium ingens atque
Ioan. 12. amplum acceſſimus, quod Simonis leproſi fuiſſe ferunt: in quo Chriſtus ſexto ante Paſchatis feſtum die ad cœnam inuitatus, interuenientibus Lazaro, Simone, & quibuſdam è ſuis Diſcipulis, à Maria Magdalenâ pretioſo vnguento vnctus eſt; cuius odore vniuerſa domus impleta fuit. Triclinium vbi cœna hæc peracta eſſe memoratur, in Sacellum poſtmodum à Chriſtianis verſum, Arâ etiamnum ornatum eſt marmoreâ. Ædificium nunc abiectum, ruinoſum, & ſordidum, à nullo habitatur. Sola quædam cubicula & cellulæ Mauris ſunt pro ſtabulis,

Hîc

Hîc rurſus Precibus aliquantulum vacantes ſubſtitimus; Franciſcanis interim concinentibus ſequentia:

Antiph. *Cum autem eſſet Ieſus in Bethaniâ, in domo Simonis leproſi, acceſsit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt, dicentes, vt quid perditio hæc?*

Verſ. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?*
Reſp. *Bonum enim opus operata eſt in me.*

Orat. *Fac nos quæſumus, Domine, exemplo B. Mariæ Magdalenæ, quam in hoc loco ſuper caput & pedes dulciſsimi Filij tui recumbentis alabaſtrum vnguenti pretioſi credimus effudiſſe, eiusdem Domini noſtri Ieſu Chriſti mortalitatem poſteris deſignantem; omnes actus noſtros rectæ intentionis vnguento condire, vt iſtud venerandum recenſentes ſpectaculum, certæ redemptionis noſtræ myſteria fideli mente pertractare mereamur. Per eundem Dominum noſtrum &c.*

Inde rectà ad Occidentem, Vrbem verſus, ad coſtam Montis Oliueti, qui nobis à dextris erat, iter fecimus. Haud procul inde, in quodam Montis deſcenſu locus ficibus abundans oſtẽſus eſt, vbi Chriſtus ficui carenti fructibus maledixiſſe fertur. *Matth. 21. Marc. 11.*

Deſcendentibus ad iactum quaſi lapidis, oſtenderunt nobis Minoritæ locum ad læuam viæ, in quo Iudas, prodito iam Chriſto Iudæis, pœnitentiâ ductus, laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius. Iuxta hunc Iudæorum ſunt ſepulchra, è regione Montis Moriah, ſecus vallem Ioſaphat: quo quidem in loco & olim extitiſſe Iudæorum cœmiterium, ex eo probari putauerim, quod in ſacris legitur Literis, Ioſiam Regem lucum de domo Domini efferri feciſſe foras extra vrbem Hieruſalem, in Conuallem Cedron; & combuſſiſſe eum ibi, & redegiſſe in puluerem, & proieciſſe ſupra Sepulchra vulgi. *4 Reg. 23. Hierem. 26.*

Inde ad ima Vallis Ioſaphat deſcendimus, eamque tranſgreſſi mediam iuxta Abſolonis Monumentum (de quo poſtea) rurſum Montem Moriah adſcendimus, ac ſecus vrbis muros Meridiẽ reſpicientes, vbi Aream Templi Salomonis ſepiunt, gradũ fecimus, relicto ad dextrã Delubro inſigni atque amplo, plumbeis laminis tecto, atq; elegãtis operis ædificio. Id mœnibus vrbis incluſum, iuxta hodiernũ Salomonis Templũ, eodẽ fertur poſitum loco, quo quondã Porticus Salomonis extitit: vbi Virgo Beatiſſima à parentibus Deo præſentata, & cum alijs puellis Deo ſeruiẽtibus educata fuit: vbi etiã poſtmodũ Maria & Ioſeph puerum Ieſum ſecundum Legem Moyſis Deo Patri ſtiterunt, munuſq; pro eo Pontifici obtulerunt: Vbi demũ Simeon iuſtus ſpiritu plenus puerũ *Luc. 2.*

olim ad Lazari Sepulchrum patebat aditus: sed eo impedito, alter ad id paucis abhinc annis à Guardiano Hierosolymitano proprijs impēsis excogitatus est, per scalam subterraneam viginti duorum graduum, ab Occidentali Templi latere in ipsâ rupe excauatam. Est autem Spelunca Monumenti duplex: vna alteri superimposita, vtraque quadratæ formæ cellulam referens, inferior nonnihil superiori angustior. Hæc altari ornata lapideo, cuius tegumentum ostium quondam fuisse Monumenti Lazari affirmant, solis Catholicis ad sacra celebranda seruit. Ex hac ad inferiorem speluncam marmore ornatam, & altari pariter lapideo, sex descenditur gradibus. Hanc Lazari esse monumentum
Ioan 11. asserunt: ex quo iam quatriduanum & fœtētem eum adstantibus multis Iudæis Saluator noster diuinâ suâ potentiâ ad vitam euocauit. Precibus hoc loco pro more dictis, & à Minoritis Euangelicâ lectione rem gestam enarrante, ac sequentibus recitatis, discessimus.

Antiph. *Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad hoc monumentum, & ait, Tollite lapidem.*

Vers. *Hoc cùm dixisset, voce magnâ clamauit.*

Resp. *Lazare, veni foras.*

Orat. *Omnipotens clementissime Deus, qui mundum innumerabilibus renouas beneficijs; concede quæsumus, vt sicuti Lazarum in hoc Mausolæo quatriduanum fœtidumq́ iacentem, ac magnâ mole lapidis obrutum, qui peccatorem in peccatis mortuum, tuâ solâ pietate suscitatum esse designat, ad hanc mortalem lucem per Vnigeniti tui vocem potenter redire iussisti; sic nos iubeas à vitiorum omnium resuscitatos pondere, per eius sacratissimæ Passionis mysterium ad æternam lucem feliciter peruenire. Per eundem Christum &c.*

Lazari Monumento egressi, ad Austrum aliquantulum fleximus: vbi collapsi ædificij (Lazari fuisse putatur) ruinas peringentes è quadrato lapide opere Rustico, instar Arcis constructi, & fossis vndequaque cincti, penetrauimus medias.

Inde quasi passus quinquaginta progressi, ędificium ingens atque
Ioan. 12. amplum accessimus, quod Simonis leprosi fuisse ferunt: in quo Christus sexto ante Paschatis festum die ad cœnam inuitatus, interuenientibus Lazaro, Simone, & quibusdam è suis Discipulis, à Maria Magdalenâ pretioso vnguento vnctus est; cuius odore vniuersa domus impleta fuit. Triclinium vbi cœna hæc peracta esse memoratur, in Sacellum postmodum à Christianis versum, Arâ etiamnum ornatum est marmoreâ. Ædificium nunc abiectum, ruinosum, & sordidum, à nullo habitatur. Sola quædam cubicula & cellulæ Mauris sunt pro stabulis,

Hîc

Hîc rursus Precibus aliquantulum vacantes substitimus; Franciscanis interim concinentibus sequentia:

Antiph. *Cum autem esset Iesus in Bethaniâ, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem Discipuli, indignati sunt, dicentes, vt quid perditio hæc?*

Vers. *Quid molesti estis huic mulieri?*
Resp. *Bonum enim opus operata est in me.*

Orat. *Fac nos quæsumus, Domine, exemplo B. Mariæ Magdalenæ, quam in hoc loco super caput & pedes dulcissimi Filij tui recumbentis alabastrum vnguenti pretiosi credimus effudisse, eiusdem Domini nostri Iesu Christi mortalitatem posteris designantem; omnes actus nostros rectæ intentionis vnguento condire, vt istud venerandum recensentes spectaculum, certæ redemptionis nostræ mysteria fideli mente pertractare mereamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

Inde rectà ad Occidentem, Vrbem versus, ad costam Montis Oliueti, qui nobis à dextris erat, iter fecimus. Haud procul inde, in quodam Montis descensu locus ficibus abundans ostēsus est, vbi Christus ficui carenti fructibus maledixisse fertur. *Matth. 21. Marc. 11.*

Descendentibus ad iactum quasi lapidis, ostenderunt nobis Minoritæ locum ad læuam viæ, in quo Iudas, prodito iam Christo Iudæis, pœnitentiâ ductus, laqueo se suspendit, & crepuit medius. Iuxta hunc Iudæorum sunt sepulchra, è regione Montis Moriah, secus vallem Iosaphat: quo quidem in loco & olim extitisse Iudæorum cœmiterium, ex eo probari putauerim, quod in sacris legitur Literis, Iosiam Regem lucum de domo Domini efferri fecisse foras extra vrbem Hierusalem, in Conuallem Cedron; & combussisse eum ibi, & redegisse in puluerem, & proiecisse supra Sepulchra vulgi. *4 Reg. 23. Hierem. 26.*

Inde ad ima Vallis Iosaphat descendimus, eamque transgressi mediam iuxta Absolonis Monumentum (de quo postea) rursum Montem Moriah adscendimus, ac secus vrbis muros Meridiē respicientes, vbi Aream Templi Salomonis sepiunt, gradū fecimus, relicto ad dextrā Delubro insigni atque amplo, plumbeis laminis tecto, atq; elegātis operis ædificio. Id mœnibus vrbis inclusum, iuxta hodiernū Salomonis Templū, eodē fertur positum loco, quo quondā Porticus Salomonis extitit: vbi Virgo Beatissima à parentibus Deo præsentata, & cum alijs puellis Deo seruiētibus educata fuit: vbi etiā postmodū Maria & Ioseph puerum Iesum secundum Legem Moysis Deo Patri stiterunt, munusq; pro eo Pontifici obtulerunt: Vbi demū Simeon iustus spiritu plenus puerū *Luc. 2.*

Iesum in vlnas accepit, & Deum benedixit, *Nunc* (inquiens) *dimitte seruum tuum Domine.* Hinc etiam titulo Purificationis, & Præsentationis Mariæ olim insignitum fuisse, narrant Minoritæ: à Turcis autē iamdudum profanatum, & eorum sacris dicatum, Christianis hodie non patet: sed tantùm eminus salutare concessum est; vti & nos illac prætereuntes fecimus: Minoritis interim concinentibus sequentiā:

Hym. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.*

Antiph. *Postquam impleti sunt dies Purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.*

Vers. *Obtulerunt pro eo Domino,*

Resp. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Orat. *Omnipotens sempiterne Deus, clementiam tuam supplices oramus, vt sicut B. Virgo Maria in tenerâ ac purissimâ eius ætate in hoc sacratissimo Templo educata, Maiestati tuæ humiliter deseruiuit; nec non transactis suæ Purgationis diebus, Filium suum vnigenitum in eodem loco cum oblationibus præsentauit: sic nos suâ intercessione faciat purificatis tibi mentibus deseruire, & cum bonorum operum oblationibus præsentari: Per eundem Dominum nostrum &c.*

Hinc triginta passus ad Occidentem progressi, vidimus quæ adhuc supersunt antiquæ Vrbis mœnia, ex ingentibus constantia saxis, quadratis, oblongis, latitudinis pedum quatuor, longitudinis septem, & amplius; atque ita manibus artificum concinnatis, vt nusquam ferè iuncturæ compaginum appareant: super quæ noui Ciuitatis muri à Soleimane Turcarum Imperatore ædificati sunt.

Matth. 26. *Luca 22.* Ad iactum sagittæ, iuxta Vrbis muros specus est, in quo Petrus Apostolus post trinam negationem, Saluatore eum respiciente, latitasse, & lachrymis peccatum expiasse dicitur. In cuius rei memoriam hoc loco sequentia à Minoritis cantantur:

Antiph. *Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem, & continuò gallus cantauit: & recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, priusquam gallus cantet, ter me negabis.*

Vers. *Et egressus foras venit in hunc locum,*

Resp. *In quo fleuit amarè.*

Oratio. *Da nobis, quæsumus, Domine, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum, vt exemplo B. Petri Apostoli (cui quantum trina de te displicuit abiuratio, amara eius hic ostendit contritio) admissa largissimè flere mereamur, & flendo eadem amplius non admittere. Qui viuis &c.*

Paulò vlteriùs procedentes, reliquimus ad dextram Portam Sterquilinij, per quam Christus, à Iudæis captus & vinctus, ad Annæ Pontificis domum deductus fuit.

Inde

Inde paſſus circiter quinquaginta progreſſis, ad læuam, iuxta ſemitam quæ ad Vallem Gehennon ducit, aceruus lapidum à Franciſcanis oſtenſus eſt, quo loco (vt ferunt) perfidi Iudæi è manibus Apoſtolorum, corpus Beatiſſimæ Mariæ Virginis ad ſepulturam deferentium, eripere conati, ab Angelo autem cæcitate percuſſi, ab incepto deſiſtere coacti ſunt. Cuius rei memoriam, dum hîc ſiſtitur, fiuntque Preces à Peregrinis, tali Oratione Minoritæ celebrant:

Antiph *Hic impetum Iudæi in Domini noſtri Ieſu Chriſti Matrem vnanimiter fecerunt, eius Sanctum funus euertere conantes.*

Verſ. *Dominus adiutor noſter;*

Reſp. *Et ſalus noſtra in tempore tribulationis.*

Orat. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui cælorum Reginæ corpus glorioſum ab immaniſſimo Iudæorum concurſu, illud impudenter ſubuertere nitentium, in hoc potenter eripuiſti loco: quæſumus nos eiuſdem Genitricis Filij tui interuentione à cunctis cogitationum malarum incurſibus defende placatus. Per eundem &c.*

Inde ad læuam relinquentes Cenaculum Montis Sion, & Domum Caiphæ, per Portam Dauidis, quæ & Sion, Vrbem ingreſſi, rectà ad Monaſterium Sancti Saluatoris, ex longo itinere feſſi, Sole iam medio flagrante cœlo, peruenimus, & poſt refecta aliquantulum corpora quieuimus.

CAPVT XII.

Aliæ rurſum quamplurimæ ac diuerſæ luſtratæ antiquitates, ac inter eas loca ſacris myſterijs memoranda, tam in Vrbe Hieroſolymâ, quàm in ſuburbanis locis exiſtentia.

PROXIMA luce, ipſis Idibus Octobris, Sole nondum exorto, Minoritis Interpretibuſque (quos ſuprà memorauimus) comitantibus, Monaſterio egredimur, Piſanorum præterlegentes Caſtrum. Id Portæ Iaffenſi proximum, à Piſanis, Piſarum Italiæ Vrbis incolis, ac Republicâ quondam florentiſſimâ, dum Chriſtiani rerum in Palæſtinâ potirentur ſupra Vrbis muros conſtructum, atque ipſis mœnibus incluſum, formam habet quadrangularem, è quadrato cõſtans lapide, turribus ac muris ſic ſatis validis atque altis, foſſiſque profundiſſimis, aquâ tamen carentibus, vndequaque cinctum, tormentis bellicis, præſidioque centum Genizarorum militum inſtructum; cui cẽturio, titulo Boluc-baſſi, præeſt: ad quod vnus tantum ex vrbe patet aditus, ſublicio ponte, eoq; penſili, ſiue verſatili, duplicique portâ præcludente ingreſſum. Chriſtiani in hanc arcem haudquaquam admittuntur.

Castro ad læuam relicto, Ortum versus, Turcarum Messitam, olim Christiano ritui dicatam, eo (vt ferunt) fabricatam loco, quo Iacobus & Ioannes Zebedæi filij nati fuere, præteriuimus.

Hinc vno atque altero superato viculo, per vetustum è viuo lapide fornicem, quem Portæ Ferreę olim nomen habuisse ferunt, transiuimus. Is hodie terrâ obrutus magnâ ex parte, atque intra Vrbis mœnia situs, nullo ostio occlusus, transitum viatoribus ad vicinos viculos, viasque publicas præbet. Ad hanc olim Portam cùm Petrus Apostolus peruenisset, postquam se collegisset, intellexit se Angeli ductu è carcere liberatum.

Act. 12.

Ab hac Portâ Meridiem versus pergentes, ad sacram peruenimus Ædiculam, vetustam, & obscuram; à Syris hodie possessam; quo loco (vt ferunt) ædes olim extitere Diui Marci, quas Petrus Apostolus è carcere eductus accessit, & à Rhode puellâ agnitus, & à fidelibus ibi in Oratione persistentibus, summâ omnium cum gratulatione susceptus est.

Inde ad Meridiem prosequentibus iter, ostensę sunt vetustæ ædiculæ muri, in angulo viæ constituti: quo in loco Thomam Apostolum quondam habitasse opinantur.

Hinc ad læuam primum ingressi vicum, in eius ferè medio Atrium accessimus amplum & spatiosum, ad Orientale positum latus: cui peramplum atque insigne cohæret vetusti operis Templum, eo (vt fertur) fabricatum loco, quo olim Forum rerum venalium fuit: in quo Iacobus frater Ioannis primus Apostolorum ab Herode Agrippâ glorioso martyrio coronatus est: vbi etiam multis ante temporibus Iosias propheta mortem occubuit. Templum id ab Helenâ sanctâ exstructum, Hospitium satis amplum & magnificum contiguum habet, ab Hispanis postea additum; in quo Peregrini Hispani seculis peractis hospitabantur: nunc Armenij vtrumque possident, eorum Episcopo inibi habitante. Ad sinistrum Templi latus Sacellum visitur angustissimum, in quo sub Altari fouea extat rotundo schemate, marmoreæ tabulę, pauimento infixæ incisa: quæ locum denotare dicitur, quo D. Iacobo ab Herode caput fuit amputatum. Hîc precibus nonnihil vacauimus, & locum sanctum deosculati sumus. Minoritis interim concinentibus sequentia:

Act. 12. Euseb. 2. Hist. Eccle. 9. Niceph 2. Hist Ecclesi. 12.


Antiph. *Tradent enim vos in Consilijs, & in Synagogis suis: Flagellabunt vos, & ante Reges & Præsides ducemini, propter me, in testimonium illis & gentibus.*

Vers. *Constitues eos Principes super omnem terram.*

Resp. *Memores erunt nominis tui Domine.*

Orat.

Oratio. *Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt intercedentibus Sanctis tuis Iacobo Apostolo tuo, & Iosiâ, hic pro tuo nomine martyrio coronatis, à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente Per Christum &c.*




Precibus eo loci finitis, ac Templo egressi, ędes Annæ Pontificis, ad iactum lapidis inde distantes, accessimus. Hæ in Templum (cui Sanctorum Angelorum titulus est) à Christianis versæ, & muris vndique cinctæ, domunculas aliquot atrio inclusas (quas inopes Armeni incolunt) cõtinent. Templum è fornicato constat opere, atque vnico Altari ornatum, sub Armeniorum curâ est: ad cuius sinistrum latus, Septentrionem spectans, vetustissima cernitur Olea, ad quam Christum Saluatorem nocte, dormiente adhuc Pontifice, à ministris ligatum, illusum, & contumelijs affectum fuisse, dum conuocato consilio adduci eum iuberet Pontifex, veteres prodiderunt. In his Saluator noster de doctrinâ suâ, & Discipulis interrogatus, alapâ à ministro cęsus, multaque alia opprobria passus est. Quorum omnium memoriam agentes, Precibus intenti, nonnihil hoc loco substitimus: hoc modo interim Deum deprecantibus Minoritis: *Ioan. 18.*

Antiph. *Ego semper docui in Synagogâ, & in Templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, sic respondes Pontifici?*

Vers. *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo,*

Resp. *Si autem benè, cur me cædis?*

Oratio. *Domine Iesu Christe, mansuetudinis speculum, & pietatis forma, qui vt nobis humilitatis documentum præberes; irrefragabilem doctrinam tuam in hac Annæ domo examinari permisisti, ac in faciem illam sydeream in quam desiderant Angeli prospicere, turpissimè cædi sustinuisti: præsta quæsumus nobis peccatoribus, vt in omnibus aduersis te ducem sequentes, nos humiliter & patienter habeamus. Qui viuis &c.*



A Lapis ad ostium Monumenti Dominici olim positus. *B Carcer Christi vulgò appellatus.*

Post preces Templo egressi, mox per Portam Sion, haud procul inde distantem, vrbe exeuntes, ad Domum Caiphæ Pontificis, in Mõte Sion sitam, perreximus. Hæc pariter à Christianis in Templum redacta, ac titulo Sancti Saluatoris insignita, sub Armeniorum curâ est. In eâ lapis Monumenti Dominici, Altari maiori impositus ostenditur. Iuxta Altare locus est angustus & obscurus, quem Carcerem Christi vulgò appellant: eo namque loco (vti veteres tradidere) Saluator noster Christus, iam reus mortis declaratus, in proximam lucem à Iudæis asseruatus est, vt cùm diluxisset, ad Pilatum Crucis supplicio addicendus, abduceretur. In hac Principes & Seniores consilio habito quomodo Iesum dolo caperent, & occiderent, Iudæ proditori triginta argenteos numerârunt. Hic Saluator palmis, pugnisque cæsus, sputis deturpatus, facie velatus, à Petro negatus, à perfidis Iudeis & ministris iniquis prophetizare iussus, multis modis illusus, ac totâ nocte varijs blasphemijs vexatus, & à falsis testibus accusatus, denique à Pontifice adiuratus, vt an Filius Dei esset confiteretur: Quod cùm confessus esset, ille scissis vestibus exclamauit. *Quid adhuc egemus testibus, audistis blasphemiam, quid vobis videtur*? Hîc iam quasi blasphemiæ conuictus, ab vniuerso Concilio (quod nonnulli sexaginta seniorum fuisse autumant) dignus morte iudicatus est, acclamantibus omnibus, *Reus est mortis*. Quæ quidem omnia à Minoritis Lectione Euangelicâ ad memoriam reuocata sunt; hac addita ad Deum Saluatorem Oratione: quæ dum legerentur, nos quoque Precibus incumbentes, gratias egimus Deo nostro de infinito suo erga genus humanum amore.

Niceph. 8. Hist. Eccles. 30.

Math 26.27 Marc 14 15 Luc. 22. 23. Ioan. 18.

Antiph.

Antiph *Hic exspuerunt in faciem Iesu, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt.*

Vers. *Prophetiza nobis Christe,*
Resp. *Quis est qui te percussit?*

Oratio. *Creator vniuersorum Deus, & rector, qui pro redemptione & Mundi salute ad hanc Domum Caiphæ non solum ligatus adduci, verum etiam accusari ibidem, colaphizari, reus mortis proclamari, faciem conspui: & velari voluisti: fac nos quæsumus, in præsenti vitâ sic vniuersas passiones & dolores tuos amarissimè flere, vt carne soluti de tuâ ineffabili gloriâ vnà cum Sanctis omnibus perenniter collætemur. Qui viuis &c.*

In ipsâ Areâ, quæ Templum cingit, ac muro vndique septa est, columnæ epistylium ostenditur, supra quod, dum Christum Petrus negaret, gallum ter cantasse vulgo fertur.

In eadem Areâ Meridiem versus locus spectatur, Arbore, quæ Aurea mala profert, lapidibus circundata, notabilis: quem eum esse ferunt, quo Petrus olim, stans & calefaciens se cum ministris Iudæorum, tertiò negauit Dominum: quo eum respiciente, secessit in antrum, de quo suprà egimus.

Iuxta hunc locum subdiale pauimentum fornicibus impositum adscendimus, vbi per muri foramen Aream Templumque Saluatoris, quâ parte Meridiem spectat, munientis, sacrum Domini Cœnaculum eminus conspeximus: in quo spremâ ante Passionem nocte cum Apostolis cœnatus, corporis & sanguinis sui sacra mysteria instituit; iuxta quod est locus, quo lauit Discipulorum pedes, linteoque accinctus extersit. *Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12. 1. Corint. 11. Tyr. Bel sacr. lib. 8. c. 5.*

Varia præterea in hoc monte extant mysteriorum sacra loca, ad quæ quidem hoc tempore accedere Christianis non licet. Abhinc namque quadraginta annis, aut circiter, Minoritis ex sacro Monte Sion (quem incolebant, & à quo eorum Antistes titulum nactus, Guardianus Sacri Montis Sion dici olim solebat) eiectis, cuncta circumiacentia loca mysterio aliquo notata, à Turcis profanata, Templum Sacri Cœnaculi in Messitam mutatum, & omnis Christianorũ cultus sublatus, ceteraque loca vicina Seriphorum habitationi destinata sunt: qui Christianos difficillimè, & non nisi multo ære, ad ea loca admittunt. Putant illi siquidem violari sua Templa, si alienigenæ legis quispiam ea ingrediatur; largitionibus tamen (quæ nihil non apud barbaros possunt) corrumpi se interdum sinunt, & clam (ne alijs scandalo sint) Christianis aditum concedunt. Quæ verò præter iam dicta in Sacro hoc Monte extant loca Christi & Apostolorum mysterijs celebrata (vti à Franciscanis accepimus) hæc sunt.

Egredientibus Lotionis loco, alius se offert locus, vbi quondam extitere ædes, in quibus Apostoli & Discipuli Domini ipso die Pentecostes repleti sunt Spiritu Sancto, descendente super eos in dispartitis linguis, sonitu repentino: & vniuersam replente domum. Dein vbi Christus ipso Resurrectionis die Discipulis apparuit ianuis clausis, stetitque in medio eorum dicens: *Pax vobis; ego sum, nolite timere.* Quo etiam loco octauo deinde die Thomæ Apostolo, cæterisque apparuit. Thomæ autem lanceæ & clauorum vestigia videnda & palpanda exhibuit.

Act. 1. 2. *Tyr. lib. 8. c. 5* *Luc. 24.* *Ioan. 20.*

Inde proceditur ad locum in quo sors cecidit super Mathiam: qui in Iudæ proditoris locum subrogatus, cum vndecim Apostolis annumeratus est. Is præ foribus est iuxta gradus Sancti Cœnaculi, parietibus maioris Ecclesiæ ab Helenâ Sanctâ ędificatæ, nunc temporis iniuriâ collapsæ, & solo æquatæ, olim inclusus. Illinc passus decem itur ad locum, in quo Maria Virgo decimo quarto post Christi Adscensionē (vt quidam volunt) anno, extremum clausit vitæ suæ diem: quo etiam omnes Apostoli ex diuersis Mundi partibus in ipsâ eius exitus horâ cōuenere. Iuxta hunc locum Sacellum ostenditur, in quo Ioannem Apostolum sacra mysteria celebrasse opinio est. Inde ad Austrum declinantibus alterum occurit Sacellum, Oratorium Virginis vulgò nuncupatum: eo siquidem loco post Adscensionem Domini Mariam permansisse, Precibusque vacasse, ac reliquum vitæ tempus transegisse, piè ab omnibus creditur Christicolis. Hinc ad Septentrionem remeātibus se offert locus, Diuisionis Apostolorum dictus: vbi post primum Concilium eo loci celebratum, Spiritu sancto iubente, sunt separati, perque vniuersum missi Orbem, ad prędicandum Euangelium, testificaturi cunctis gentibus venisse Saluatorem Iesum, vnicum Dei Filiū, qui credentes in se, & baptizatos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti saluos faciat. Iuxta hunc est alius, in quem corpus beati Stephani Protomartyris delatum, & à quodam Caphargamala Honorij Principis tempore iterum tumulatum ferunt. Sed iam de Monte in genere, deque situ eius & conditione quædam dicenda.

Act. 1. *Niceph. 8. Hist. Eccles. c. 30.* *Tyr. lib. 8. c. 5.* *Euseb. in Chrō.* *Niceph. lib. Hist. Eccles. 2. c. 3. 21.* *Tyr. lib. 8. c. 5.*

A Cœna-



A *Cœnaculum Domini.*
B *Domus Caiphæ.*
C *Locus vbi Iudæi volentes rapere corpus D. Virginis, cæcitate percußi sunt.*
D *Locus vbi D. Petrus fleuit amarè.*
E *Porta Sterquilina.*
F *Fons & Natatorium Siloë.*
G *Quercus Rogel.*
H *Ecclesia Præsentationis D. Virginis.*
I *Fons Draconis siue D. Virginis.*
K *Pons supra torrentem Cedron.*
L *Ager siue campus Acheldemæ.*
M *Locus vbi latitarunt Apostoli.*
N *Mons offensionis siue Mashit.*
O *Domus Annæ Pontificis.*
P *Cœmiterium Catholicorum.*

Mons hic Sion, varijs nominibus in sacris Scripturis appellatus, *Psal. 2. 23. 47 86.* typum Ecclesiæ refert, ac præ cæteris Montibus tanquam gemma *Ioel. 2. 3.* pretiosissima in sacris Literis fulget. Hunc arce validâ, atque altis firmisque muris, turribus, & portis munitum, Dauid Rex Iebusæis *2. Reg. 5 7. 1.* vi armisque eripuit, & primus in regni sui sedem elegit: mox muros, *3. Reg. 1. 22.* portas, turresque omnes multò munitiores reddidit, & à suo nomine *1. Paral. 11.* Ciuitatem Dauid appellauit; quæ Iosepho Ciuitas Superior est: eo *17.* quod in colle sedeat, cæteris circumiacētibus collibus olim excelsiori. Arcem item in eius summo vertice à Iebusęis conditum firmiorē fecit *6. Bel. 3. 3. Reg. 3.*

in eaque Palatium postea regium, Domum cedrinam, ac Solium re-
Ierem. 17. Luc. 1. gium ædificauit, mirumque in modum auxit; quæ ipsi & Solomoni cæterisque Iudę regibus domicilium fuit, atque arctâ militum custodiâ seruabatur. Hinc passim in sacris Literis Arx regia appellatur, & Domus Dauid, necnon sedes, Solium, & Thronus Dauid, itemque Aula
1. Mach. 1. & Domus Regis. Hanc arcem Antiochus Epiphanes, occupatâ Hierosolymâ restaurauit; in eaque militum suorum præsidium posuit; quo diu multumque Iudæos afflixit: donec tandem Simon Machabæus fa-
1. Mach. 13. 14. me compulsus ad deditionem præsidiarijs, eam recuperauit, & ab idolorum sordibus mundatam, comitantibus Iudæis cum laude, ramis palmarum, cinnyris, cymbalis, nablijs, hymnis & canticis intrauit; deditque eam Iudæo militi custodiendam. Reliquam verò Montis planitiem intrinsecus sitam in plateas & vicos Dauid Rex distinxit, atque inibi Præfectis, Ducibus, cæterisque heroibus, ac viris fortioribus domos ædificauit; inter quas & Vriæ fortissimi militis domum fuisse autumant; cuius vxorem Bersabeam lauantem se in fonte sui pomarij, quod in imâ valle sub Regis Palatio extabat, atque etiamnum à Minoritis ostenditur, è tecto subdiali Domus regiæ (quod Sacra Scriptura Solarium domus vocat) visam, formâ mulieris captus, adulterauit. Hinc er-
2. Reg. 11. rorem illorum detegi putauerim, qui Dauidem conspexisse Bersabeam putant è Meniano Domus regiæ; vti quoque passim depingitur; cùm id maximè Sacrę Scripturæ aduersetur, ac constet apud Orientis populos nullũ esse Meniani vsum: nisi largè sumpto vocabulo pro Meniano intelligas omnem editum locum, qui Soli & auræ pateat.



A Cœnaculum Domini, & Mons Sion.
B Ruinæ ac rudera Turris Dauid.
C Domus Caiphæ.
D Castrum

D *Castrum.*
E *Porta Iaffæ.*
F *Aquæductus.*
G *Fons Bersabeæ.*
H *Mons Oliuarum.*

Eundem montem postea Iudas Machabęus, fuso Lysiæ exercitu, per circuitum reædificauit, solidisque muris, ac turribus altissimis ita muniuit, vt Iosephi testimonio vi nunquam, solâ verò fame capi potuerit: quod & Titus Imperator (teste eodem Iosepho) cùm Montem occupasset, confessus est. Cum etenim (vt idem ait) Romani milites arietes muris admouissent, ijsque subito quodam timore perculsi Iudæi, munitiones dereliquissent, & à muris diffugientes se in cloacas occultassent, illi statim, muris vacuis defensoribus, Ciuitatem sine vllo suorũ sanguine præter omnem spem occupârunt, ac plurimâ æditâ hominũ strage, incendio vniuersam deleuerunt: eamque postero die ingressus Titus, & conspectâ murorum & turrium solidâ altitudine, magnitudine, subtilique singulorum lapidum compagine, quantum paterent, vel quantum erigerentur, miratus validas ciuitatis munitiones, turriumq; cautes; Deo (inquit) planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat, qui detraxit ab istis munitionibus Iudæos: nam quæ hominum manus, aut quæ machinę aduersus istas valerent? In hoc etiam Monte (vt Sacræ referunt Literę) Dauid, Salomon, alijque Reges Iuda, itemque Ioiada Pontifex sepulti sunt, & à Salomone in patris sui monumentum maximæ illatæ diuitiæ: ex quo postea Hyrcanus Pontifex & Dux tria millia talentorum argenti extulit. Deinde etiam Herodes Ascalonita simile attentauit; sed flammâ erumpente, & duobus satellitibus interemptis, territus ab incepto destitit; &, vt se expiaret, Monumentum candido marmore exornauit. Quâ parte autem Montis hæc sepulchra existãt, certi quod afferam nihil habeo, nullo vestigio eorum superstite. Ea propter hallucinari eos, vel mendacia obtrudere putauerim, qui formam Sepulchri Dauidici describunt, & se in illud, Templo Cœnaculi subterraneo inclusum, intromissos dicunt. Nam & Beniaminus Iudęus in suo Itinerario illud iamdudum oculis hominum subtractum esse scribit: idem Breidenbachius innuere videtur, vbi asserit nullum dari accessum Christianis ad regum Iuda Sepulchra in monte Siõ existentia. Beniamini hæc sunt verba. Locus (inquit) Sepulchrorum „ Dauidis & Salomonis ab hinc annis mille iussu Patriarchæ Christianorum occlusus, & ab oculis hominum ad hodiernum vsque diem celatus est: corruente enim muro Templi quod in Sion est, lapides ex antiquis Montis Siõ murorum fundamentis ad Templi instaurationem eruti fuere: in quibus eruendis casu lapide quodam sublato, Antri ostium ab operarijs inuentum fuit, quod subeuntes, ad quoddam Palatium marmoreis innixum columnis peruenere in quo Monumentum videre

1. Mach. 4.
7. Bel. 24.
3. Reg. 2. 11.
2. Paral. 24. 26.
Neem. 3.
Ioseph. 13. Ant. 15.
Niceph. 8. Hist. Eccles. 30.
Ioseph. 16. Ant. 12.

videre auro & argento obductum: ante quod mensa erat, in eaque
" sceptrum, & corona aurea;ad cuius sinistram simili ornatu Sepulchrũ:
" erantque illic vrnę conclusæ: quid vero continerent, ignotum fuit.
" Cùm verò homines illi in Palatium penetrare constituissent, turbinis
" spiritu percussi, ex Antri ostio in terram exanimati deciderunt. Iacue-
" runt autem eodem loco vsque ad vesperam; cùm spiritu alio rursus ex-
" citati, humanę voci similem audiuerunt, Surgite, exite ex hoc loco: illi
" verò impulsi, atque pauore correpti, maximè trementes exierunt; rem-
" que omnem ad Patriarcham retulere. Hæc ille. Ingentium autem re-
giorum ædificiorum, quæ in hoc monte olim fuisse sacræ Scripturæ & Iosephi testimonio constat, nihil præter rudera immensa & lapidum aceruos est quod cernas. Supersunt quidem altissimæ turris reliquiæ, quam Turrim Dauidis nonnulli vocant, eamque esse volunt, cuius in Canticis fit mentio; cuiusque munitionibus ac pulchritudini Ecclesia Christi sponsa à Salomone comparatur: eorum tamen opinioni non facilè subscripserim, quod Vrbem vniuersam incendio penitus deletã scribat Iosephus. Ceterùm vt nunc se res habent, adiacet Mons *Sion* meridionali Vrbis lateri, mœnibus exclusus, inclusus olim, cæteris omnibus eminentior, vallibus profundissimis, sed vt plurimùm ædificiorũ & mœnium ruderibus exaggeratis (olim licèt adscensu difficillimis) vndique cinctus, ab Aquilone, quà Vrbi cohæret, cum eâ exęquatur. Denique ita deformatus est, vt vix vnquam in eo Vrbem fuisse aduertas. Nihil enim est, Turri, Caiphæ domo, & Cœnaculo Domini, Santonique Turcici ædibus exceptis, nisi immensus lapidũ aceruus: quod multis ante seculis Micheas vates prædixerat. *Sion* (inquiens) *quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit.* Similiter & Hieremias *Sion* (inquit) *disperijt, vulpes ambulauerunt in eo.*

Cap. 4. — 7. Bel. 24. — Cap. 3. — Thren. 5.

Caiphæ domo lustratâ, Precibusque inibi (vt diximus) peractis, egressi, ad læuam fleximus. Haud procul inde, Meridiem versus, ex muro seu macerie ostensum nobis fuit Cœmiterium Minoritarum, in quo cæteri Christiani Occidentis, qui Hierosolymis è viuis excedunt, impetratâ prius à Saniacco facultate, & pro iure sepulturæ soluto pretio, humantur. Intra Vrbis siquidem mœnia sepulchra habere nemini fas est.

Ex eodem quoque loco totum ædificium Cœnaculi Domini cubâ sphæricâ ornatum conspeximus; quam supra aperturam summitatis Templi respondentem, loco vbi Apostoli receperunt Spiritum sanctum, à Turcis paucis abhinc annis vnà cum turriculâ additam, Minoritæ nobis retulerunt.

Inde discedentes, per angustam mox semitam Austrum versus ad subiectam vallem Agrum Fullonis nuncupatam descendimus. Hæc pars

pars Vallis Gehennon est, atque ab Acheldemach agro in Occidentem protendens fullonibus olim vsui fuit. Hîc enim pannos suos in vicino torrente Gihon, qui ex fonte inferiori Montis Gihon fluit, lotos suspendere, & siccare solebant. *4. Reg.18. 2. Paral.33. Isai.7.36.*



A	*Cœnaculum Domini, & Mons Sion.*	*D*	*Acheldemach.*
B	*Quercus Rogel.*	*E*	*Mons offensionis, & Domus mali consilij.*
C	*Locus occultationis Apostolorum.*	*F*	*Vallis Ennon.*

Valle superatâ, rectâ ad montem Mashit, id est offensionis, siue Exterminij, perreximus. Is è regione Vrbis positus, montem Sion ad Occidentem, Oliueti ad Orientem, Vrbis mœnia ad Septentrionem habet. Dicitur autem Offensionis, quòd Salomon vxorum alienigenarũ instinctu in ipsius cacumine altaria & templa construxerit, Astaroth idolo Sidoniorum, Chamos offensioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon: quæ omnia Rex Iosias demolitus est; qui & lucos succidit, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum. Supersunt etiamnum in eodem Montis fastigio veterum ædificiorum vestigia aliquot, quæ plurimi reliquias Templorum Salomonis existimant; quorum opinioni, quæ ex sacrâ Scripturâ iam retulimus, aduersantur. *3.Reg.11. 4. Reg.23.*

Ad costam eiusdem Montis prosequentes iter Ortum versus, quasi ducentos passus, in ipso ferè cliui medio Agrum Figuli, vel Acheldemach, seu Acheldema, hoc est, Agrum sanguinis, vulgò Campũ sanctum, accessimus. Is Christi sanguinis pretio, triginta nempe denarijs argenteis, quos Iudas à principibus sacerdotum ad tradendum Christum acceperat, & postea pœnitentiâ ductus in Templum proiecerat, à Iudæis emptus, ad sepulturam Peregrinorum antrum quadratæ formæ *Zach.11. Matth.27. Act.1. Hieron. in Loc. Hebr. lit. A.*

 represen-

repræſentat, amplum equidem atque ingens, muro circundatum; qui à Montis ſuperficie pedes eminet quindecim, habens in latitudine pedes quinquaginta, in longitudine ſeptuaginta tres; cui ſuperimpoſiti ſunt fornices aliquot ſphærici, quibus lumen immittitur, & mortuorum cadauera funibus inferuntur. Opus id ab Helenâ Conſtantini matre inſtauratum aliqui volunt. Ad antri latus occiduum paululum adſcendentes, per foramen rupi inciſum totum perluſtrauimus, & cadaueribus pænè refertum inuenimus, plurimis adhuc integris atque illæſis, ſuiſque ſudarijs inuolutis, atque eo ordine in ipſâ Antri ſuperficie compoſitis, & diſtentis, vt alterum alterius clauderet latus. Quotquot autem Chriſticolæ Hieroſolymis obeunt, exceptis Latinis hoc loco, Saniacco Vrbis pro ſepulturâ datis ſeptem aut octo aureis (vt nobis narratum eſt) ſepeliuntur. Fiunt hîc preces à Peregrinis. Minoritæ concinunt ſequentia:

Niceph. 8. Hiſt Eccleſ. c.30.

Antiph. *Principes Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, non licet mittere eos in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.*

Verſ. *Concilio autem inito emerunt ex illis hunc agrum.*
Reſp. *In ſepulturam Peregrinorum.*

Orat. *Omnipotens clementiſſime Deus, qui vt mundum priorum parentum lapſu perditum redimeres, Filium tuum vnigenitum ad nos profugos non crucifigendum tantum demiſiſti; verum etiam vt largior quoque eſſet noſtra redemptio, & Scripturæ de eo loquentes finem haberent, viliſſimo pretio impretiabilem vendi ſuſtinuiſti: quorum equidem denariorum numero hunc agrum emptum fuiſſe credimus: nobis propterea præſta redemptis, vt dignos pænitentiæ fructus colligentes, einſdem Filij tui Paſſionis meritum conſequamur. Qui tecum &c.*

Inde triginta circiter paſſus ad Ortum declinantes, alium acceſſimus ſpecum, plura habentem latibula, Anachoretarum pœnitentium quondam habitacula; in quibus Dominicæ Paſſionis temporæ Apoſtolos latitaſſe veterum memoriâ proditum eſt. Variæ inibi viſuntur Diuorum imagines, lateribus depictæ. Sepulchrum quoque ibi oſtenditur rupi inciſũ, Dominico Sepulchro perſimile, ſi Fr. Bonifacio credimus; qui vtrumque ſe inſpexiſſe teſtatur. Eius formam ſuprà expreſſimus, vt ſuperfluum ſit hîc eadem repetere. Hic rurſum funduntur. Preces à Peregrinis, & à Minoritis concinuntur ſequentia:

Lib De perẽ. cult. Ter. Sanct.

Hymnus *Triſtes erant Apoſtoli de nece ſui Domini &c.*

Antiph.

Antiph. *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte istâ: quia scriptum est; Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis.*

Vers. *Omnes amici mei dereliquerunt me.*

Resp. *Dominus autem assumpsit me.*

Oratio. *Benignissime ac semper dulcissime Iesu Christe, derelictorum spes, atque refugium, qui Apostolos tuos nimio terrore perterritos in diuersis locis in tua Passionis agone latitantes, post Resurrectionem tuam in vnum congregatos, gloriosâ tui optatáq; præsentia consolari sæpius voluisti: sic nos famulos tuos maximâ pietate, & eorum precibus in omni tribulationis euentu solidatos esse, vt te in nobis resurgente, nulla nos aduersitate à te separari vnquam contingat. Qui viuis &c.*

Hinc rursum descendentes ad vallem filiorum Ennon, quæ
& Tophet, & Gehennon, vel Benhinnon, aut Behennon dicitur, *Iof. 15. 18.*
Aquilonem versus perreximus. Vallis hæc ab Ortu Montem Oli-
uarum, à Meridie Montem offensionis, ab Occasu Montem Sion,
ab Aquilone verò Montem Moriah, vrbisque mœnia habet, est-
que profundissima, & hortis viridarijsque amœnissima, ac fluxu
Torrentis Cedron irrigua, olim autem tota nemorosa, & delitijs
plena fuisse perhibetur. Hîc Adonias Dauidis filius ad paternũ adspi-
rans regnum regium habuit conuiuium. Hîc etiam Hebræi idololatræ *3. Reg. 1.*
Moloch idolo (horrendum dictu) super altare Topheth proprios quõ- *4. Reg. 17.*
dam immolarunt filios. Hos Achab & Manasses Reges sequuti, filios *4. Reg. 16. 21* *2. Paral. 28.*
suos eidem consecrauerunt. Quem abominandum ritum Iosias Rex *33*
sustulit, Statuam Moloch contriuit, lucum succidit, locumque mor- *4. Reg. 23.*
tuorum ossibus alijsque sordibus impleuit. Ob hæc tam detestenda
sacrificia, sparsumque tot innocentum puerorum sanguinem, hanc
Vallem non amplius Topheth, sed Occisionis aliquando nuncupan-
dam prædixerat Hieremias: qui hîc etiam Dei iussu coram senioribus *Cap. 7. 19. 32*
populi ad terram vas fictile allisit, atque confregit, vt Deum quando-
que sic Vrbem populumque contriturum declararet. Ab his tam cru-
delibus infantum pœnis Saluatorem analogiam sumpsisse, & Infernũ
Gehennam appellasse scribit Hieronymus. Abominandum id idolum *In loc. Hebr. lib. 6.*
concauum, & æneum fuisse tradunt authores, quod capite vitulum,
diademate insignito, reliqua parte hominem exprimebat; quod cùm
igne subiecto totum ignesceret, & mox brachia expansa contraheret,
eius cultores filios suos filiasque summa crudelitate eius complexibus
cremandos tradebant, vti Hieremias id quoque innuere videtur, vbi *Cap. 32.*
ait: *Aedificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennon, vt initiarent Filios suos & Filias suas Moloch, quod non mandaui illis.* Gratum id ob-
sequium Deo suo credebant, qui Abrahæ exemplo proprios filios of-

ferrent; durante verò sacrificio Sacerdotes Meloch rauco tubarum clangore, ac ingenti tympanorum strepitu adstantium aures obtundebant, ne flebiles eorum voces, qui exquisitissimis supplicijs torquebantur, in horrendis illis tormentis à parentibus exaudirentur.

In extremo ad Orientem angulo, vbi cum Valle Iosaphat coniungitur, vetustum cernitur ędificium; quod Puteum contutationis sacri Ignis vocant: eo siquidem loco Sacerdotes Babylonicæ captiuitatis tempore Ignem sacrum de altari sumptum condidisse ac (vt loquuntur) contutasse ferunt: quem postea ex Perside reuersi in aquam crassam conuersum inuenerunt: eâ verò cùm ligna altaris conspergerentur, adstāte populo omnium cum admiratione Sole refulgente accensa fuere: in cuius rei memoriam postmodum festum Scenopegiæ institutum fuit. Puteus iste ad dextram relinquitur, atque à Peregrinis eminus conspectus præteritur.

2. Mach. 1.

Valle Gehennon superatâ rursum alta petiuimus montemque Moriah adscendentes, ad Siloah fontem perreximus. Is aquis optimis vberrimus ad radicem montis Moriah scaturit. Ob cæcum natum hîc Christi virtute illuminatum, Christianis in primis venerabilis: quinimo Turcæ Maurique omnes eius aquas magni faciunt, atque oculorũ vitijs prodesse aiunt.

Isai 8. 11. Neem. 3. Ioan. c. 9.

Haud procul ab hoc fonte iuxta transitum aquarum, quas Rex Ezechias iniecto obstruxerat puluere, Morus extat lapidibus ad imum trunci circumsepta, eo loco (vt volunt) quo olim Quercus Rogel extitit, sub qua Isaias, iussu Manassis Regis prope hunc locum serrâ ligneâ dissectus, cōditus est. Duas hic Fons efficit piscinas, quarum muros Sellum filius Cholhoza restaurasse legitur, erantque olim inclusæ Horto Salomonis. Prior autem, quæ in viâ est, iuxta pontem, alterâ capacior, formam etiamnum refert quadratam oblongam, versus fontem paululum in rotunditatem desinentem, quam (cùm nos fontem viseremus) siccatam inuenimus: altera fonti contigua quadratâ formâ aquis abundabat.

2. Parah 33. Hieron. in arg supra Proph. Isai.

4. Esdr. 3.

Inde per gradus aliquot sub rupis concauo ad fontem descenditur, qui instar canalis, latitudinis pedum quatuor aut quinque, sub ipsâ rupe protenditur. Insignis quondam supra hunc fontem exstructa fuit à pijssima Helena Ecclesia, titulo Saluatoris Illuminatoris, cuius etiamnum nonnulla remanent indicia. Peregrini antrum ingrediuntur, manus, oculos, faciemque religionis ergo hac aquâ lauant, vti & nos fecimus, precibus poscentes à Deo Saluatore, ac summo illuminatore, vt sicut cæco nato lumen oculorum restituerat, sic nobis lumen fidei augeret, corpusque fragile in bono opere corroboraret; quibus hæ quoque à Minoritis additæ fuere Precationes:

Niceph. 8. Hist. Eccles. 30.

Antiph.

Antiph. *Exspuit Iesus in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos cæci nati; & dixit, Vade, & laua ad natatoria Siloë.*

Vers. *Abijt ergo ille.*

Resp. *Et lauit, & vidit.*

Oratio. *Deus, cui nihil impossibile, sed solo verbo restauras vniuersa, qui cæco nato eius oculos tuo iussu in his Siloë natatorijs extergenti, clarum tam spiritus quàm corporis reddidisti visum: concede nobis quæsumus, hæc tua sancta recensentibus opera, vt oculi mentis nostræ luto delictorum infecti, aquâ misericordiæ tuæ valeant expiari. Qui viuis &c.*


A Fonte Siloë ad iactum lapidis, Septentrionem versus alium accessimus fontem, ab Hieremiâ, & Nehemiâ Fontem Draconis appellatum, ad Montis quoque Moriah radicem iuxta Vallē Iosaphat positū, Neem. 2. quem vulgò Fontem Mariæ vocant, quòd Filij sui crepundia, aliosque panniculos in eo sæpe abluerit. Hic profundissimus est, octoginta enim & ampliùs gradibus ad eius ima hodie descēditur, protenditurque sub ipsâ rupe, latitudine pedes duos continens. Mahometæi in eo quotidie se lauant, & Moscheam in muro excisam iuxta habent. Cùm nos illaciter faceremus, Arabes aliquot Fontem occupauerant, qui ne ad infima Fontis descenderemus, aut eius aqua faciem lauaremus (vti Peregrinis mos est) impediuerunt. Eminus itaque salutato Fonte, dictisque pro more à Minoritis Precibus, quæ sequuntur, discessimus.

Antiph. *Aue Regina cælorum, Aue Domina Angelorum;*
Salue Radix Sancta, ex qua Mundo lux est orta.
Gaude gloriosa, super omnes speciosa.
Valde valde decora, & pro nobis Christum exora.

Vers. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Deus, qui virginalem aulam Beatæ Mariæ Virginis in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, vt sua nos defensione munitos, iucundos suæ faciat interesse commemorationi. Qui viuis &c.



A *Monumentum Absolonis.*
B *Spelunca seu latibulum D. Iacobi Apostoli.*
C *Sepulchrum Zachariæ Filij Barachiæ.*
D *Torrens Cedron.*

A Fonte Ortum versus pergentes Vallem Iosaphat transiuimus mediam. Valle superatâ, ad Aquilonem processimus, vbi ad dextram viæ in costâ Montis Oliueti Sepulchrum offēdimus formâ quadratâ, rupi incisum; cuius frontispicium quatuor columnis duplicique coronide ornatum est, apice in formam pyramidis insurgente. Monumentum fuisse autumant Zachariæ filij Barachiæ à Iudæis occisi inter Templū & Altare.

2. Paral. 24. Matth. 23.

Iuxta hoc aliud quoque spectatur Sepulchrum, tribus in facie ornatum columnis, in ipsâ rupe excisis, formam porticus referens: in quo Iacobum Apostolum, cùm se voto obstrinxisset, non comesturum panem ab horâ quâ calicem Domini biberat, donec Christum à mortuis excitatum videret, toto passionis tempore latitasse, atque Saluatorem post Resurrectionem ei apparuisse asserunt, quod & piè ab omnibus creditur Christicolis. In cuius rei memoriam Minoritæ concinuere sequentia:

1. Corinth. 15 Hieron. in Catal. script. illustr.

Antiph *Tunc relicto Iesu omnes Discipuli fugerunt.*
Vers. *Iacobus venit ad hunc locum.*
Resp. *Non se comesturum vouerat, nisi prius videret Christum resuscitatum.*
Oratio. *Domine Iesu Christe, consolator omnium, & Redemptor, qui B.*

Apostolo

Apostolo tuo Iacobo Iudaeorum metu in hoc latibulo tempore tuæ Passionis secretissimè latitanti, tua resuscitatus potentiâ, apparuisti, eumq; comedere benignè iussisti: esto nobis precibus ipsius Apostoli propitius, & præsta vt inter has barbaras nationes omisso omnis pusillanimitatis timore, fidem tuam constanter confiteri, & prædicare valeamus. Qui viuis &c.



A *Pons lapideus supra Torrentem Cedron.*
B *Vestigia pedum Christi saxo impressorum.*
C *Torrens Cedron.*
D *Monumentum Absolonis.*
E *Sepulchrum Regis Iosaphat; vel secundum alios Manassis.*
F *Mausolæum D. Virginis.*
G *Mari Hierusalem.*
H *Aceruus lapidum iuxta sepulchrum Absolonis Mahometeorum proiectione ibidem processu temporis excretus.*

Viginti quasi passus progressis tertium occurrit Sepulchrum, regiũ profectò, & egregium opus, ordinis Dorici, columnis, duplicique coronide, ac pyramidali fastigio decoratum. Totum ædificium ex perpetuâ rupe concisum, triginta circiter pedes altitudine continet. Absolonis id esse asserunt, ab eodem dum viueret ædificatum, licèt postea in illud illatus non fuerit. Testes sanè sacræ sunt Literæ Absolonem in Valle regis, quæ & Iosephat, erexisse titulum & Monumentum nominis sui, vocatumque fuisse Manum Absolonis. Peringens aceruus lapidum Monumentum cingit, eius causam sciscantibus nobis retulere Franciscani, Mahumetæos prætereuntes lapides in Sepulchrum injicere, ac hominis impietatem; quòd vitæ patris insidiatus fuerit, his verbis execrari: *Maledictus Absalon, quiq; in parentes sæuiunt, maledicti æternùm.*

2. Reg. 18. Ioseph. 7. Ant. 10.

Huic

Huic ferè contiguum hæret quartum, lapidibus pænè opertum, vt nihil præter introitus apicem videas, Corinthio constat opere, portæ frontispicium referens, Regis Iosaphat Monumentum, & Vallem subiectam inde nomen sumpsisse vulgò asseritur. Alij tamen Manassis regis esse Sepulchrum existimant, quod potius crediderim: Nam Iosaphat in Ciuitate Dauid cum patribus suis sepultum, Manassem verò in Sepulchro suo in horto Oza humatum esse, Libri Regum testantur.

3. Reg. vlt. 4. Reg. 21.

E regione vltimi Sepulchri in infimâ parte Vallis, vbi rupes denudata cernitur, quam Torrens Cedron interdum superat, saxo impressa manuum & pedum aliquot vestigia conspeximus: quæ Saluatorem illis impressisse, dum ex Horto Oliueti illac ad Annam Pontificem raperetur, piè ab omnibus creditur: minus integra tamen, nec comparanda cum vestigio pedis Saluatoris, quod in Monte Oliuarum nos vidisse & contrectasse suprà diximus: quod quidem Peregrinorum iniuriâ (qui malleorum & lapidum ictibus, dum fragmenta conantur auellere; ea vitiant) contigisse putauerim.

Post deosculata pro more Sanctissimarum manuum & pedum vestigia, ac sequenti à Minoritis dictâ Oratione:

Respice quæsumus, Domine Deus, super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus nocentium tradi, & Crucis subire tormentum. Qui tecum &c.

Ad Hortum Oliuarum processimus, relicto ad læuam ponte lapideo, ex vnico constante fornice; quem Helena Imperatrix construxisse putatur. Is aquis torrentis intumescentibus (quod quidem rarissimè, & nisi cœlo imbribus abundante accidit) transitum supra torrentem præbet; aliàs siccis pedibus transitur.

Semitâ angustâ pergentes, ad dextram in costâ montis Arcum semidirutum, & pęnè collapsum eminus conspeximus, quem vulgò Sepulchrum Iudæ proditoris appellant. Iuxta sunt Sepulchra vulgi Iudæorum.

Procedentes paululum ad Occasum, reliquimus ad sinistram Portam Auream Vrbis Hierosolymæ, quam, cùm cominus accedere non liceret, eminus salutauimus, ac Christum Ouantem adorauimus. Minoritis interim recitantibus sequentia:

Antiph. *Rex tuus venit, Hierusalem, sedens super asinam; & pullum filium subiugalis.*

Vers. *Aperite mihi portam iustitiæ.*

Resp. *Et ingressus in eâ confitebor Domino.*

Oratio. *Clementissimè Domine Iesu Christe, qui die palmarum fidelissimâ populorum in te credentium stipatus catervâ, per hanc sacratissimam*

tißimam portam super pullum Asinæ, vt nobis præberes humilitatis exemplum, Hierosolymam ingredi voluisti: præsta quæsumus vt tua nos humilitatis imitantes vestigia, per illam cœlorum ianuam, qua tu es, Hierusalem supernam ingredi mereamur. Qui viuis &c.

E regione Portæ Aureæ ad radices Montis Oliueti locus ostensus est, quo olim vicus Gethsemani extitisse putatur, vbi Christus à cœnâ nouissimâ mœstus ac pauens suos reliquit Apostolos, ac solis inde secum assumptis Petro, Iacobo, & Ioanne, ad Hortum Montis Oliuarum perrexit. Hodie verò ita in cinerem hîc omnia versa sunt, vt ne vllum quidem veterum ædificiorum vestigium superesse conspicias. Matth. 26. Marc. 14.

Inde ad iactum sagittæ progressis, in ipso Montis Oliueti radice ostensa fuit maceria vtrimque angusta, instar viculi, ingressum ad vicinum præbens Oliuetum: olim aditum Horti Oliuarum fuisse asserunt, in quo Saluator noster à Iudâ militum cohorte, ac ministris pontificum stipato, proditus osculo, & à cæteris captus, ligatus, atque inde immaniter per torrentem Cedron, ac vallem Iosaphat, Montemque Moriah, denique per Portam Sterquilinij ad Pontificis Annæ domũ abreptus fuit. Hîc quoque milites & ministri iterum interrogati, quem quærerent, ceciderunt in terram supini. Hîc denique Petrus educto gladio Malcho Pontificis seruo abscidit auriculam. Hîc gradum sistentes, pro more precati sumus, recitantibus Minoritis sequentia: Matth. 26. Luc. 22. Ioan. 18.

Antiph. *Dederat autem eis traditor signum, dicens, quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.*

Vers. *Dixit Iesus tradenti se.*

Resp. *Iuda, osculo filium hominis tradis?*

Oratio. *Domine Iesu Christe, humani generis benigne redemptor, qui ob maximum erga nos amorem tuum, à discipulo in hoc Horto Sancto primùm tradi, deinde ab immanissimâ Iudæorum manu capi, ligari, atque ignominiosè tanquam latro ad Pontificis præsentiam plectendus perduci sustinuisti, postremò vero turpissimam crudelissimamq; mortem oppetere, vt nos de inimici rugientis captiuitate absolueres, vltro voluisti: concede nobis quæsumus, vt cuncta huiuscemodi aduersa æquo atque constanti animo tolerare, & tolerando pro tui nominis gloriâ eidem congaudere queamus. Qui viuis &c.*

Iuxta hunc locum adscendentibus nonnihil, in eodem horto nuda rupes ostenditur triplici culmine: qui locus esse dicitur, quo Christus tres reliquit Apostolos, quos secum adduxerat, Petrum nempe, Ioannem, & Iacobum, dicens eis *Vigilate hic & orate.* Vbi etiam paulò post rediens, inuenit eos dormientes, & dixit Simoni Petro, *Simon, dormis, non potuisti vnâ horâ vigilare mecum?* Quorum omnium hîc commemoratio fit à Minoritis tali Oratione:

Antiph. *Assumpto autem Iesus Petrô & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse: tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Sustinete hic & vigilate mecum.*

Vers. *Et reuersus ad Discipulos suos, ait Petro.*

Resp. *Non potuisti vnâ horâ vigilare mecum?*

Oratio. *Dulcissime Domine Iesu Christe, qui quantum possit humana fragilitas prænoscis, Discipulos tuos prædilectos, quos ex nimiâ cordis tristitiâ vrgens corporis necessitas in validum hic soporem immerserat, benignè excitasti, atque vt Orationi vacarent exhortatus fuisti: omnem negligentiæ nostræ somnolentiæq́ torporem à nobis procul repelle, vt salutiferum vitæ tuæ decursum vigilantiùs ac deuotius contemplari mereamur. Qui viuis &c.*

In eodem Horto declinando paululum ad Occidentem locus ostẽditur sessionis beatissimæ Mariæ Virginis, ab Orientalibus ita appellatus. Aiunt enim ab Adscensione Filij ad diem obitus sui circumvicina omnia Montis Oliueti loca à Filio suo frequentata, quotidie ferè perlustrasse, contemplatamque mysteria ibi ab eo peracta, & ex itinere fessam ibi considere solitam: stetisse etiam ibi, atque Stephanum Protomartyrem, Vrbe eiectum, cùm lapidibus haud procul inde obrueretur, confirmasse, & precibus suis iuuisse, ne in tormentis deficeret. Hîc igitur & nos substitimus, ac Deo fudimus Preces, Virginisque beatissimæ patrocinium deprecati sumus. Seraphicis interim concinentibus sequentia:

Antiph. *Quæ est ista, quæ adscendit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. Alleluia.*

Vers. *Dignare me laudare te Virgo sacrata.*

Resp. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

Orat. *Respice quæsumus Domine, oculo tuæ pietatis ad indignas preces seruorum tuorum, & meritis gloriosissimæ Matris tuæ, dum vitâ viuens, hunc sacratissimum Montem, diuinis ac copiosis refertum mysterijs, deuotissimè visitaret, sæpius hic sedendo, tuaq́ Passionis acerbitatem lachrymabiliter meditando quiescebat: fac nos in hac lachrymarum valle sedentes in vmbrâ mortis ad gloriosum Olympum fæliciter transmigrare. Qui viuis &c.*

Hortus Oliueti non continuâ sepe vel pariete sepitur, sed multis semitis intersecatur, & plurimis locis omnibus est peruius. Multæ in eo etiamnum vetustissimæ visuntur Oleæ; quas à Christi ætate superesse, vulgò persuasum est.

Hinc ad Aquilonem pergentes, relicto ad dextram Virginis Sepulchro, locum lapidationis Diui Stephani adiuimus, ibidemque precibus vacantes paulisper substitimus, Minoritiæ interim concinuere sequentia:

Antiph.

Antiph. *Lapidauerunt hîc Stephanum Iudæi inuocantem, & dicentem, Domine Iesu, accipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt; & cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.*

Vers. *Stephanus vidit cœlos apertos.*

Resp. *Vidit, & introiuit, beatus homo cui cœli patebunt.*

Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Leuitæ Stephani sanguine dedicasti; tribue quæsumus, vt pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exorauit Dominum Iesum Christū filium tuum, Qui tecum &c.*

Inde alta petentes, per Portam Gregis Vrbem intrauimus. Dein rectà iuxta Pilati Prætorium per Viam Dolorosam ad Portam vsque Iudicialem processimus. Hinc ad læuam flectentes Meridiem versus, per plateas vicosq; testudinibus coopertos, raris tantum foraminibus in summitate luminis admittendi causâ hinc inde relictis, continuauimus iter. Hi etsi plerique collapsi ruinis pleni, & multis in locis neglecti, & sordidi iaceant, ex parte tamen Turcis Maurisque loco Bazarri (nos Forum vocamus) seruiunt. Sub his enim fornicibus in tabernis vtrimque dispositis venalia quæque habent, seque interdiu contra solis æstum, ac pluuiam recipiunt, tutique obambulant.

His perspectis, atque Occiduum versus pergentes, Templum vetustum & ruinosum, vulgò Petri Carcerem, prætериuimus. Inde ad Aream sanctissimi Sepulchri Dominici processimus, ad cuius dextram ostiolo patente obscuros quosdam ingressi sumus fornices: dein atriolum transgressi, & quasi 32 passus difficili incommodoque gradu procedentes, Sacellum accessimus Abassinorum curæ & custodię demandatum, Dominicæ Crucifixionis Sacello contiguum, soloque muro diremptum, quod Orientalium opinione locus sacrificij Abraham dicitur, & in maxima est apud omnes Christicolas veneratione. Eodem siquidem in loco, Patriarcham Abrahamum, constructo altari Isaacem filium ex diuino mandato voluisse immolare, sed ab Angelo retentum, arietem pro filio in holocaustum obtulisse veteres tradiderunt. In cuius rei memoriam etiamnum in ipso Sacelli medio lapis ostenditur pauimento affixus, nonnihil profundus, tessellato opere, varijsque emblematis ornatus, quo loco sacrificium ab Abrahamo peractum putatur.

Huic contiguum hæret & aliud Sacellum, in quo pariter Ara ostenditur lapidea, supra quam Melchisedechem Regem, & Sacerdotem Dei altissimi, sacrificium Deo obtulisse referunt Orientales. His egressis Sacellis peruetusta occurrit Olea, eodem (vt fertur) posita loco, quo aries vepribus irretitus ac hærens ab Abrahamo

apprehensus, & in holocaustum pro filio oblatus est. Hæc quidem ita se habere, & à Patribus accepisse Orientales narrant, quibus & plurimi Patrum Occidentalis Ecclesiæ consentiunt: licèt alij contradicant, ac locum Sacrificij Abraham non Monti Caluariæ, sed Moriæ adscribant. Melchisedech verò Sacrificium non hîc, sed in Salem oppido peractum velint. Vt vt est, sat sit relata referre. Solitis ibi exhibitis Deo precibus, salutatisque ante fores Templi Monte Caluariç, & Sepulchro Dominico, ad Monasterium Minoritarum, Sole iam medio hærente cœlo, reuersi sumus, viresque nostras cibo demum paululùm reparauimus.

CAPVT XIII.

Monumentum B. Mariæ Virginis secundò inuisum. Aedes D. Ioachimi & Annæ parentum Mariæ, Arx Antonia, Porta speciosa Templi Salomonis, aliaq; antiquitatis Lustrata vestigia.

DECIMO SEPTIMO Kal. Nouembris, illucescente iam die, ad Beatissimæ Virginis Mariæ Monumentum binis comitantibus Minoritis, perreximus, nemine neque in vrbe neque extra Vrbem nobis obuio. Vbi ad Mausolæum Virginis venimus, patente ostio ad inferiora descendimus, & sacrum Virginis Sepulchrum inuisimus, perque horam vnam atque alteram Precibus inibi vacauimus: altero interim Minoritarum in sacrâ ædiculâ supra Virginis Monumentum sacrum faciente: quo peracto, & nos sacræmensæ participes facti sumus. Post fusas Preces, ac debitas Deo Opt. Max. eiusque Matri sanctissimæ habitas gratias, Templo egredimur, atque ad Vrbem reuersi, domum DD. Ioachim & Annæ, in quâ dum festa Hierosolymis agerent, hospitatos fuisse, vbi & obijsse vtrumque, veterum memoriâ proditum est, accessimus; Templumque à Christianis postmodum istarum ædiũ fundamentis superstructum, cum Monasterio illi contiguo, perlustrauimus. Templum id elegantis operis, à Turcis in Messitam versum, situm est haud procul à Portâ Gregis, è regione Templi Salomonis: sub cuius Choro specus extant, vulgò Ioachimi & Annæ cubicula crediti; ad quos Templum transgressis in ipso Monasterij claustro scalâ ligneâ patet aditus. Nos quoque vt locum B. Mariæ natiuitate celebrem inuiseremus, ad subterraneos hos specus, obscuros tamen valde, & omni prorsus luce carentes, ardentibus cereis ideò instructi, penetrauimus. Sunt autem tres numero, quadratâ formâ, cellulæ, viuæ rupi incisę, eo ordine vt sibi cohæreant, & ex vnâ in alteram detur transitus. Postrema sub ipsâ Arâ superioris Templi, Annæ Thalamus dicitur,

dicitur, in quo virgo Maria concepta & nata putatur. In cuius rei memoriam, Deo, eiusque Matri Preces fudimus; Minoritis sequentia dicentibus:

Antiph. *Gloriosæ Virginis Mariæ & Annæ matris eius conceptionis & natiuitatis Ecclesiam deuotißimè visitemus; quæ & Genitricis dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit.*

Vers. *Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix.*

Resp. *Vt digni efficiamur promißionibus Christi.*

Orat. *Famulorum tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce, & qui tibi de actibus nostris placere non valemus B. Annæ & Genitricis Filij tui Domini nostri intercessione saluemur. Per Dominum nostrum Iesum &c.*

Precibus finitis ad superiora rediimus, donoque dato Seriphi famulo inibi habitantis, ad penetralia introducti sumus, totumque lustrauimus Monasterium. Ædificium est satis amplum, & magnificum, quadratâ formâ in plurima diuisum cubicula, duplici ornatum porticu, vnâ alteri superimpositâ, columnis marmoreis vtraque suffultâ, impluuio in medio satis spatioso. Id culturæ aptatum, pomis aureis, varijsque floribus refertum, in hortum amœnissimum, & cultissimum euasit.

Monasterio egressi, iuxta Salomonis Templi vestibulum quod Septentrionem spectat, Arcis Antonianæ reliquias ad dextram viæ reliquimus, vnicum Romanorum peramplum quondam & regium monumentum. Hodie tamen maiori ex parte dirutum & concisum, exiguā tantum partem reliquam habet, constatque è saxis marmoreis miræ magnitudinis. Ab Hircano autem Machabæo in rupe quinquaginta cubitis altâ & vndique abruptâ ædificata, priùs Turris Baris dicta, & sacerdotalis stolæ custodiæ destinata, Pontificum ad Herodis vsque tempora sedes fuit. Herodes verò regnum adeptus restaurauit, & turribus excelsis communiuit, atque vt esset oportunum contra Templum & ciuium seditiones præsidium, militibus custodiendam dedit, eamq; Antoniam in gratiam Marci Antonij nominauit. Ioseph. 15. Ant. 11. & 18. Ant. 12. Act. 3.

Ab Arce rectà ad Occasum prosequentes iter, vbi ad Domum Epulonis venimus, ad Meridiem fleximus, Portam Speciosam Templi Salomonis inuisuri. Hæc ab Occasu ad Atrium Templi accessum præbet; eademque dicitur, per quam Petrus & Ioannes Apostoli adscendētes ad Templum horâ Orationis nonâ claudum mēdicum eleēmosynam petentem, cùm neque aurum neque argentum Petrus se habere respondisset, in nomine Iesu curauit. Ego tamen esse antiquam illā, non facilè crediderim, sed aliam potiùs, & recentiorem; nam Templum funditùs euersum, & Montem Moriah complanatum esse historicorum testimonio constat: ex quo facile colligere est etiam Portam Act. 3.

Pp 3 hanc

hanc parem cum Templo ruinam passam fuisse. Est autem opus regium, & admirandum, marmoreum & fornicatum totum, instar porticus amplissimæ, altitudinis pedum circiter triginta, latitudinis viginti quinque, vtrimque tabernis rerum venalium omnis generis ornatum. Porticum ingressis appropinquare Portæ Areæ Templi proximæ, aut inibi subsistere non licuit; sed quasi per transennam Templum, Areamque amplissimam introspicere tantùm datum fuit. Portâ conspectâ, & porticu, ad Caluariæ Montem perreximus, quem ab Orientali latere viâ accliui atque apertâ conscendimus; vbi supra diuæ Helenæ Sacellum eiusque subdiale pauimentum procedentes, ad Cophtorum & Abassinorum habitacula & oratoria à Cophto quodam religioso introducti sumus. Quibus perlustratis ad Aream Templi Dominici Monumenti descendimus. Hîc quoque salutato Sepulchro Dominico, & Caluariæ Monte, Precibus aliquantulum vacauimus: mox ad Minoritarum Monasterium reuersi, quieti nos dedimus.

In omnibus ferè locis, quos suprà memorauimus, pro cuiusque conditione, ac mysterij significatione, à Peregrinis vnà cum Franciscanis modo quo diximus recitantur Orationes, cum Antiphonis, versiculis, & Responsorijs consuetis: leguntur adhæc plurimis in locis Euangelia, mysteria (quæ in ijs acciderunt) continentia. Religiosus verò aliquis Franciscanus Peregrinorum Dux & comes breui Oratione mysteriorum significationem explicat, & quid in singulis locis à Saluatore peractum sit, enarrat; exhortatione additâ, vt quæ oculis coram viderint, animo imprimant, eaque diligenter retractent, gratiasque Deo Opt. Max. agant, quòd ea conspicati sint, quæ paucis intueri concessum est. Si quis autem Peregrinorum legere nesciat, vel libellum orationes solitas continentem non habeat, recitatione Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ satisfacit, consequiturque indulgentias à summis Pontificibus ea loca visitantibus concessas. In ijs solummodo locis, in Viâ Dolorosâ occurrentibus, nonnullisque alijs, intra Vrbis mœnia extantibus, ad quæ Christianis non datur ingredi, nullæ fiunt Orationes, aut Preces, cùm vel subsistere inibi, vel in reuerentiæ signum caput aperire non liceat. Quisque tamen in transitu corde saltem ea venerari, & salutare eminus, ac tacitâ oratione loci numen colere potest. Cæterùm solo eorum adspectu quemlibet contentum manere necesse est.

CAPVT

CAPVT XIV.

Sepulchrorum Regum Iuda, ac specus Threnorum Hieremiæ, extra vrbem Hierosolymitanam extantium descriptio. Bombycum item in Oriente natura, ac earundem pastura.

DECIMO SEXTO Kal. Nouembris, horâ postmeridianâ, duce Baptista Hierosolymitano Monasterij Interprete, binisque comitibus Minoritis, Vrbe per Iaffæ Portam egressi, viâ quâ Sichem itur, Aquilonem versus, processimus. Ad læuam autem viæ hortos plurimos moris albis, Mauris *Tuth* dictis, distinctis ordinibus consitis, refertos præterijmus: quarum folia, ad alendos Bombyces aptissima, Hispanis & Italis inprimis vsui sunt. Longè autem aliter illius regionis homines (vt comites nobis retulere) vermiculos istos pascunt, atque Itali, alijque Occidentis populi. Hi quippe denudant arbores folijs, eaque virentia saccis ingesta domum conferunt, reptantibusque per tabulas Bombycibus ea in pabulum substernunt; bis verò in die pabula mutant, tabulasque ab animalculorum excrementis purgant: donec tandem pleniore alueo albescentes, atque adultiores, aranearum in morem ex ore spumâ eiectâ, tenuissima fila ducere, & sericeis globulis sese inuoluere incipiant: id vero vbi animaduertunt, detractis arborum ramis, eos imponunt, atque ita in orbem, nucumque modum (cui se irretiunt) glomerare sinunt. Orientales verò, vbi arbores plenæ folijs virescunt, ramos colligant, ac connectunt simul: recensque natos & iam repentes vermiculos arboribus imponunt: qui nulla prorsus humana adiuti ope, aut ministerio, per ramos colligatos ex vnâ arbore in aliam repunt, eas folijs denudant, & pabulum naturâ duce quærunt, donec tandem debito pascendi tempore expleto, robustiores effecti, ac fœti, sese ad texendum accingant, opusque suum naturæ instinctu in ijsdem arborum ramis conficiant. Licèt autem pascendi hic modus, vt multis notissimus, apud Occidentales facillimè introduci queat, tamen quo id minùs fiat, cùm aëris intemperiem, tùm tonitrua crebra, ac frigus intempestiuum, quæ nonnunquam etiam media æstate in Occidentis partibus, noctu præsertim, ex improuiso ingruunt, obstare crediderim. Nam hæc bombycibus sub dio expositis interitum illicò essent allatura. In Palæstinâ verò nihil horum verentur. est enim ibi aër amœnus, ac die noctuque innocuus, & sudus, nullusque vnquam rigor æstiuo præsertim tempore, hic viget. Mira autem huiusce vermiculi propago: ex exiguis siquidem minimisq; Bombycum seminibus, sabulo comparandis, circa

Kalendas

Kalendas Maias ſubtili linteo inuolutis & muliebrium mammarum calore confotis, vermiculi generantur: qui ne intereant, ab his quibus curæ ſunt, alimonia ex mori folijs, modo quo diximus imbuuntur: atque ita fronde velati, educatique nono quoque die ſummam corpuſculorum pelliculam mutant; poſteà adultiores ſuapte naturâ ad texēdum ſe accingunt, & telis ſuis ſemet irretiunt, reconditique rurſum ſpoliantur, atque in ſubcandidos ad extremum papiliones exeunt: demumque ex mutuo congreſſu fœminæ pariunt, ex quibus propagatâ nouâ vermiculorum ſobole ipſi depereunt.

Ex eorum deinde ſpolijs, quæ nucum ferè formam habent, colore albidis, vel croceis, in ahenum aquâ plenum focoque adhibitum iniectis, artifices fila glomeratorio extrahunr, torquentque digitis: quæ tandem lanificio aptata in pannos contexunt, quos Sericos vocamus.

Hortis à tergo relictis, iuxta Turcarum Meſſitam Mahometæi cuiuſdam Sepulchro celebrem, maceriam tranſcendimus. Eâ ſuperatâ ad Orientem flexímus, hortumque ficubus & oleis conſitum tranſiuimus medium. Mox per Arcum in ipſâ rupe excauatum, latum pedes octo, Aream quadratâ formâ latiſſimam, viuo in ſaxo exciſam, arboribuſque cultam, & horto inferiorem, intrauimus: in quâ ad læuam Meridiem verſus, vetuſtiſſimam Porticum, ſtupendi operis molem, frontiſpicio Dorici operis adornatam, offendimus. Porticus hæc è viuâ cæſa rupe, latitudinis pedum duodecim, longitudinis viginti quatuor Aquilonem ſpectat: altitudinem, ruinis maiori ex parte obrutam metiri non licuit. Grandes hîc ſubeſſe ſpeluncas, cùm narraret Interpres, eas (vt eſt cupiditas hominum occulta cognoſcere) auidiùs explorare ſtatuimus. In extremo itaque ſiniſtri lateris angulo, Ortum verſus, per anguſtam foueam inter exaggeratos lapides erutam, ad inferiora deſcendimus. Vbi ad imum venimus, per foramen rupi inciſum, lapidibus ferè obturatum, adeoque arctum, atque anguſtum, vt vix diſtentis corporibus humi proſtratis, ac repentibus ad interiora penetrare daretur, maximâ difficultate, tenentes accenſum manu cereum, feſſi ac ſudore pænè madidi ad penitiora tandem deuenimus. Subeuntibus primò ſeſe obtulit grande veſtibulum, ceu cella, formâ quadratâ, non teſtudineatâ, lata per quadrum pedes circiter viginti: inde ad alium Ortum verſus progreſſi ſumus ſpecum, eiuſdem ferè formæ, nonnihil tamen minorem, ſex continentem Sepulchra, eo ordine diſpoſita, vt tria Aquilonem, totidemque Meridiem ſpectent, in rotundam ſuperius deſinentia formam, longitudine pedes ſeptem, latitudine quatuor continentia, canaliculâ rupi inciſâ medium interſecante ab inuicem diuiſa. Hinc exeuntes, ad Occidentem flexímus, perque

perque portam valuâ lapideâ è rupe miro artificio excisam, & versatilem, tertiam accessimus cellam, non minorem alterâ, eiusdemque formæ, ac totidem habentem Sepulchra. Hanc penetrantes, Occidentem versus, ad quartam profundiorem, sed minorem, per sex gradus descendimus: tumbas hîc duas marmoreas, diligenti manu, foliatoq; opere fabrefactas inuenimus, apertas ambas, & ex parte confractas; quas Regum Hierosolymorum fuisse Sepulchra vulgi opinio est; à veritate (meâ quidem opinione) haudquaquam aliena: cùm sacra Pagina Oziam Regem Iuda in agro regalium Sepulchrorum, quod esset leprosus, non autem in regijs Sepulchris Ciuitatis Dauid humatum referat, quo sanè testimonio planè liquet præter Dauidica Montis Siō, alia quoque regia extitisse sepulchra. Hac egressi ad Aquilonem rursus fleximus, transitisque, quas supra memorauimus, cellis, per portā, valuâ item lapideâ munitam, quintam ingredimur cellam, prioribus persimilem; itemque sextam, huic contiguam, sed inferiorem, & minorem, duobus quoque marmoreis decoratam Sepulchris, cæteris similibus, in quibus item Hierosolymorum Reges olim humatos existimant. Valuæ hæ ex vnâ eademque petrâ (vt diximus) excisæ in angulis prominentes rotundas extremitates vtrique posti ita insertas habēt, vt facili ductu circumferantur, adeoque tanquam cardinibus suspensæ commodè claudi & reserari queant: quod vtique intuentibus stuporem injicit, & admirationis causam præbet maximam, quomodo nimirum ex vno eodemque saxo id exsculpi potuerit. Et quod magis mireris, etiam tumbæ lapideæ multò maiores sunt, quàm vt per portam introduci queant; vt hinc facilè quis existimet non eas arte humanâ importatas, sed intus ex eadem rupe excisas, & sculptorum operâ ibidem formatas esse. Porro specus hi subterranei ad vnum omnes obscurissimi sunt, miro artificio è viua rupe, non concamerato, sed quadrato opere excisi, lati per quadrum pedes plus minus viginti: profundioribus tantum exceptis, quorum latitudo sex, longitudo septem pedibus constat. Opus equidem mirandum, ac memorabile, & non nisi maximis impensis fabrefactum: vt meritò Regiâ Sepulturâ dignum censeatur. Sunt qui Sepulchra hæc regia vrbis muris olim comprehensa putent, licèt nunc longè extra muros conspiciantur: ex quo ingentem vrbis magnitudinem colligere facilè quis potest. 2. Paral. 26.

His ita conspectis, Hieremiæ (vt vocant) specum adijmus; in quo Threnos eum de Vrbis excidio composuisse ferunt. Distat is à regijs Sepulchris Occidentem versus passus circiter centum: estque quadratæ formæ Antrum, amplum & spatiosum, vnicâ columnâ eiusdem rupis suffultum, triginta circiter passus per quadrum continens.

 Eo

Eo egreſſi, rectà ad Vrbem redijmus. In itinere nobis obuiam venere Maurorum aliquot familiæ: quæ collectis ſarcinulis, nouam quærentes ſedem, fame (quæ tunc per vicinas regiones graſſabatur) cogente, aliò commigrabant. Itineris aliquod emenſi ſpatium, per Portam, quam vulgò Damaſcenam appellant, vrbem intrauimus: inde per viculos quoſdam deuios, ſordidoſque, ac ruderibus multis in locis pænè oppletos, ad Minoritarum Monaſterium, cùm iam adueſperaſceret, reuerſi ſumus.

CAPVT XV.

Arcus Ecce homo, & ædium Herodis deſcriptio. Deiq; Supremi Chiecagiæ in vrbem Hieroſolymam aduentu.

DECIMO QVINTO Kal. Nouembris, eodem, quem ſuprà memorauimus, Interprete duce, horâ primâ poſtmeridianâ ad Arcum Ecce homo per ædes quaſdam Pilati Prætorio contiguas, aditu equidem difficillimo, & periculoſo ducimur: nam Seriphi habitaculum, Meſſitamque paruulam Arcui vicinam pertranſire cogebamur, quam licèt ingredi Chriſtianos piaculum putant, barbarorum tamen animis dono prius placatis, quo difficillima quæque ſæpiſſimè ſuperantur, ad ſuperiora ædium quàm occultiſſimè admiſſi ſumus, ſcalaque ligneâ Maurorum operâ ædificio admotâ, ad ſummitatẽ Arcus peruenimus, ac ſumma ſpiritus conſolatione luſtrauimus. Id paruum admodum repreſentat cubiculum, quadratum, oblongum, latitudinis pedum ſex, longitudinis duodecim, collapſum ex parte, tectoque carens, parietibus vtrimque extantibus. Quâ parte Orientem ſpectat, duæ ſunt feneſtræ, à pauimento eminentes quaſi pedes quinque, columellâ marmoreâ mixti coloris diuidente medias. Hîc Pilatus (vt eſt maiorum traditio) Ieſum Saluatorem diris flagris conciſum, conſputum, toto corpore ſanguine madidum, purpureâ indutum chlamyde, ſpineamque in capite geſtantem coronam, in conſpectum principum, ac populi produxit, & dixit *Ecce homo.* Arcus ille, Xyſti porticus, frequentibus arcubus ſupra plateam publicam amplâ latitudine inſtar pontis exſtructæ, ac ſubdialibus inambulationibus ornatæ, pars eſſe creditur. Per hanc à Pilati Prætorio in Antoniam Arcem, & inde in Templum Salomonis tranſitus erat. Ex hac Præſides Romani, & Agrippa Rex, tanquam è loco tuto populum alloquebantur: cuius frequens apud Ioſephum fit mentio. Orationibus hîc perſolutis, locoque perluſtrato, nec non lapidum aliquot collectis fragmentis, diſceſſimus. Mox Herodis Regis Palatium, è regione Prætorij acceſſimus, vbi in inferiori

Lib. 2. Bel. Iud. c. 17.

riori domus parte ab Interprete nobis ostensus est locus, quo adductus fuit Iesus ad Herodem Antipam; qui signum ab eo videre dudum desiderauerat; & cùm interrogatus nihil responderet, ab eo spretus, illusus, pro demente habitus, ac veste albâ indutus, ad Pilatum remissus est. Hinc rursus ne eâdem viâ regrederemur, per obliquos, deuiosque viculos Minoritarum Monasterium repetiuimus, vbi & postero die quieuimus.

XIII Kal. Nouembris à Bethleëmita quodam Monasterij famulo relatum nobis fuit *Seraij* regij, seu Portæ Osmannicæ supremi Præfecti Chiecagiam, nobis Vicarium, Mechâ redeuntem, vbem amplo cum comitatu eo die intrasse: sequenti verò Bethleëmam, itemque Hebron profecturum, Patriacharum Sepulchra inuisendi causâ, plurimosque è primoribus Vrbis eum comitaturos. Ea siquidem Turcarũ animis insita est religio, vt voti rei, post Mahometis sui sepulchrum visitatum, non se legittimè votum soluisse arbitrentur, nisi postea Bethleëmam, Hebron, Hierosolymam, ac Lyddam adierint, & Christi incunabula, Patriarcharum, ac Diui Georgij Sepulchra, nec non Salomonis Templum visitauerint. Id vbi intelleximus, non spernendam hanc occasionem rati, quæ ad iter pertinebant summâ cum animi voluptate præparauimus: explere tamen animi desiderium minimè potuimus, dissuadentibus Guardiano, & primo Monasterij Interprete, *Anna* nomine, qui varia itineris pericula proponebant. Noctu siquidem Turcas, æstum diei declinantes, iter agere, minimè propterea nobis consultum fore tam temerè cum barbaris per loca deserta & incognita itineri nos committere. Summoperè namque verendum esse, cùm ipsi in equis proficiscantur, celerique incedant gradu, nos verò asinis vehamur, ne asinorum tarditate impediti eos assequi non valeremus, adeoque omni prorsus comitatu destituti, & à socijs derelicti, viam nescientes, intempesta nocte hac illacque vagari non absq; summo vitæ discrimine cogeremur. Quæ cùm vera esse & reliqui Minoritæ assererent, dicto parentes, ne pertinaciæ aut temeritatis notam incurreremus, mutatâ sententia à proposito abstinuimus. Licèt autem id malè nos omnes haberet, atque molestè hanc repulsam ferremus, ferenda tamen fuit. Ea quippe Pegrinorum ijs in partibus conditio est, vt velint nolint, id sepenumerò præstare cogantur, quod contra stomachum est, atque ea perferre, quæ nequaquam arrident, adeoque propriâ voluntate abnegatâ, aliorum sequi iussa, obtemperare alijs, & (vt apud Italos in prouerbijs est) longobardâ patientiâ omnia tolerare necessum sit.

CAPVT XVI.

Mira quædam de Mahumetanis Peregrinis, natione Indis, eorumq; in Minoritarum templo precibus, necnon Mahumetæorum de Christo, eiusq; Matre Mariâ opinio.

NONO Kal. Nouembris accessere ad Monasterium Sancti Saluatoris religiosi quidam Mohometæi conditione Deruisij, natione Indi: qui Mechâ (vt ferebatur) cum Chiecagiâ Hierosolymam adorandi causâ venerant, prouectæ ætatis, simplices, rudes, ac subfusci homines, pannosi omnes, pileolis cinereis, lintæo obuolutis tecti. Horum alter ceruinum cornu gestabat manu, alius pendentem de collo per humeros Tigridis pellem habebat: cumque acriter instarent, vt venia sibi à Guardiano intrandi Monasterium daretur; voti tandem compotes facti ad superiora claustra admissi, & in Templum ab Interprete Monasterij introducti sunt: quibus dum ille, nobis adstantibus, depictas altaribus imagines ostenderet, quid significarent, & quorum personas, atque acta referrent, declararet; nullis ante id tempus visis, stupebant, fixisque in imagines hærentes oculis, Deum suo more adorabant, Christum Dominum laudibus extollebant. aliqui genibus flexis, oculis clausis, ac velut taciti submissè orationes ad Deum fundebant, alij stantes, oculis in cœlum erectis, altâ voce exclamabant, repetebantque pluries *la Illah Illa Allah, Isan Roh Allah, Mahomet Rusûl Allah.* quod nobis est, Non est Deus, nisi verus ille Iehoua, vel ille Deus, qui creauit cœlum & terram, Iesus Spiritus Dei, Mahometes Nuncius, siue Apostolus Dei. Anteponentes hoc modo Christum suo Mahometi: cùm hunc Nuncium, illum Spiritum Dei nuncuparent, & tanquam digniorem primo loco statuerent. Neque id mirum videri cuiquam debet: nam ex Alcorano & Zunâ Mahometææ Legis sacris codicibus constat Christum ab ipso quoque Mahomete magnifieri, omnibus præferri Prophetis, imò ipsi Moysi: fateri insuper Christum cum animâ & corpore cœlos adscendisse, & inde rediturum, vt verum Iudicem, ad iudicandum Mundum, ac Deo proximè in Iudicio assessurum: esse Verbum Dei, virtutem, sapientiam, animam, spiritum, & cor Dei afflatu diuino ex Mariâ semper virgine generatum, suscitasse mortuos, cæcis visum reddidisse, aliaque multa fecisse miracula. Ego quidem, cum in Orientis hærerem partibus, à plurimis intellixi, Mahometæorum vulgus Christum Prophetam tantum, & Mahomete suo inferiorem credere; doctiores tamē, & in literis Arabicis versatos, Santonos nimirum & Scheichos palam asserere, immortalem fuisse, è cœlo originem traxisse, è Virgine Maria natum, & gloriosum ad cœlos adscendisse, ac suo Mahomete digniorem esse. Licèt enim Mahometem magnum fuisse Prophetam asserant; hominem tamen, & mortalem, ac sepulchro conditum, adeoque cum Christo nequaquam con-

ferendum fatentur. Neque Mahometes ipse dissentit: testatur enim in Alcorano se neque miracula fecisse, neque facturum, plurima ignorare, esse purum hominem, tametsi à Deo missum, & inspiratum, neque posse dare veniam peccatorum; esse præterea in libris suis quædã, de quorum veritate dubitari posset, cùm tamen Euangelij auctoritatem sartam tectam habeat, & perfectionem, ac directoriũ salutis agnoscat. Hinc verò apud Mahometæos omnes mos ille seu religio inualuit, quãdo Hierosolymam veniunt, vt omnia loca Christi aliquo mysterio notata, Mortis tantùm, & Passionis, ac Resurrectionis exceptis, honore prosequantur, ac sedulò visitent, orationibusque frequentent. Mausolæum quoque Virginis crebro inuisant, & precibus honorent In summâ namque existimatione etiam Virginem Mariam habent: quam & ante & post partum Virginem semper permansisse constanter credũt: eamque Alcorani testimonio tanquam à Deo electam, & summis virtutibus ornatam cunctis Mundi mulieribus anteponunt, atque omni laude dignissimam fatentur. Qua in re Christianis Catholicis proximè accedunt: nam & ipsi Sepulchrum Virginis summè honorant, precibus visitant, eamque beatissimam prædicant, & matricem sequentes Ecclesiam indesinenter salutant, tanquam patronam & aduocatam inuocant, eiusque intercessionem apud Filium suum Vnigenitum efflagitant; atque omni denique laude dignissimam (si diuinam excipias) credunt. Hebron quoque profecturi Mahometæi omnes vel in aditu vel in reditu Bethleëmam accedunt, Christi Natiuitatis specum inuisunt, precibus inibi vacant, tanto spiritus feruore, & reuerentiâ, vt etiã Christianis sæpenumero pudorem injiciant. Calceos namque exuunt, vestem superiorem in terram deponunt, ac priusquam ad locum Natiuitatis perueniant, ter quaterve humum deosculantur. Mox suo more profundunt vota & preces, locumque singultibus implent. Peractis precibus haudquaquam auersâ facie recedunt, vilipendi enim sacrum locum putant ab eo qui id faxit; sed inclinato capite retrogradi abeũt. Atque hæc ita se habere à Minoritis accepimus. Quid autẽ nobis hac de re innotuerit, cuius & testes oculati sumus, paucis subjiciemus.

XI Kal Nouembris, dum Christi Incunabula reuisimus, perq; Portã ferreã superioris Ecclesiæ ad inferiorẽ Natiuitatis Domini specũ iterũ pergimus, obuiã se nobis exhibet Maurus quidã capularis senex, cereũ manu tenens necdum accensum, qui cùm Antrũ Dominicũ velle nos ingredi cerneret, perquàm obnixè Minoritas obsecrat, nobiscum precãdi causa vt intromitteretur; cumq; id ei negarent, nec æquũ esse dicerent, vt sacro in loco Mahometæi cũ Christianis simul orẽt, spe tandẽ frustratus, illacrymans, nullamq; vindictã quærens, discessit nõ sine singulari & patiẽtiæ & humilitatis exẽplo. Non omnibus tamen idẽ est zelus,

zelus; nec deuotionis feruor, sed hic illo remissior, vti id quoque Christianis (quos non eadem in Deum pietas tangit) euenire quotidiana exempla docent. Nam & alij alijs firmiùs credunt, alij alijs vehementiùs Dei amore flagrant, gratiâ Dei apud hos quàm illos efficaciore existente.

Secundâ postmeridianâ horâ insequẽtis diei inuisum me venit Calogerus quidam nonagenarius, Diui Michaëlis Hierosolymorum cœnobita: cui ego nepotis sui literas Venetijs commorantis paulò ante attuleram: breui enim me abiturum ratus, literas ad eundem reddidit, atque in grati animi signum Crucem oleagineã, Saluatoris in Cruce pendentis imagine vtrimque insculptam, corollam item precariam nec non & lapidem ex monte Oreb dono dedit. Huic (mirum dictu) arbuscularum formas natura impresserat; cumque causam rei tam mirandæ à sene illo sciscitarer, ille mysterium eius loci, quo Deus Moysi in flammâ ignis de medio rubi ardentis apparuit, continere, ibidemque hunc lapidem inuentum, atque alios passim inueniri, vel à petris auelli asseruit.

CAPVT XVII.

Peregrinationis in Hiericho, ac montem Quadrantanam siue Quarantenam, aliaq; circumvicina loca descriptio.

OCTAVO Kal. Nouembris de peregrinatione Hierichuntinâ, deque præsidio nobiscum ducendo cum Guardiano egimus. Is supremo Monasterij Interpreti negotium dedit, vt cum Subassio Vrbis ea de re pactum iniret, & prȩsidium (sine quo tutò id iter non conficitur) peteret. Interpres iussa Guardiani facturus Subassium adit; quid in mandatis habeat, exponit; sed ille difficilem se exhibens, votis nostris annuere recusauit. Re itaque infectâ mox redit Interpres, nimium pro præsidio postulasse Subassium refert, atque è re nostrâ futurum, ne iter arripiamus ait. Voto idcirco frustrati, Ierichuntinam profectionem postponere coacti sumus. Licèt autem Hierichuntem non accessimus, quæ tamen nobis de eâ, deque locis in itinere occurrentibus, ac cȩteris circumvicinis ex aliorum relatu innotuerunt, breuiter adiungenda duximus.

Vrbe egressi Peregrini, rectà Bethaniam petunt: inde non procul in ipsâ viâ ad Meridiem progredientibus occurrit Fons Apostolorum, ita dictus, quod sȩpiùs iuxta illum quieuerint, & corpora lassa Apostoli refecerint. Dein ostenditur arbor Sycomorus, quam Sacheũ (vt Christum videret) adscẽdisse sacræ narrant Literæ. Non longè à Sycomoro locus

locus est, in quo cæci sedentes secus viam Iesu, transeunte, clamabant *Miserere nostri Fili Dauid*; quorum misertus, visum eis restituit. Inde locus Adomim transitur, frequentibus olim, vt & nunc, homicidijs, & latrocinijs infamis. Hîc homo ille, de quo in Euangelio fit mentio, Hierusalem Hierichuntem petiturus, à latronibus vulneratus, à Samaritano curatus est. Hinc Hierichuntem pergunt. Hæc à Iosue euersa, reædificatori maledictionem imprecante, in hunc vsque diem, paucis tantum extantibus domunculis, ac turri quadrati operis lapidea, derelicta iacet. Est autem in planitie sita perampla, montibus in Theatri formam circundata, amœnissima quidem & pinguissima, sed inculta hodie, floribus tamen & herbis odoriferis abundantissima. Mirum sanè quod hîc palmas fructus maturos producentes conspicias plurimos: cùm tamen iuxta Hierosolymam fructus non producant, licèt vnius tantum diei itinere ab inuicem distent. In causa esse putauerim vtriusque loci differentem situm. Hierosolyma enim in montibus altissimis posita, non adeò æstu flagrat. Hiericho contra in valle sita, montibus vndique circundata, ob solis reflexum immēsis caloribus obnoxia est: quibus cum Palmæ plurimùm gaudeant, maturitatem inde fructuum causari facilè quis viderit. Atque hinc etiam est quod fructus & segetes in valle Hierichuntinâ duabus ante hebdomadis quàm Hierosolymis maturescant. Sunt autem tria Palmarum genera, vnum humile: quod dactylos communes profert; quales nostræ quandoque vident regiones. Alterum productius, vt nostra Pyrus: quod dactylos flauescentes & rotundos gignit, optimi saporis, sed non ita durabiles, cùm facilè marcescant. Tertium genus in magnam proceritatem excrescit, oblongos & sapidos habens fructus: quales ad nostras partes non deferuntur. Illud verò omnibus commune est vt in tertio vel quarto anno fructificent, maximè depressiores. Tertiò ferè ab Hierichunte miliario visuntur Castra Galgalæ, & secundę circumcisionis mysterium, itemque duodecim lapides, ex Iordanis alueo illuc à duodecim viris, ex tribubus Israhel electis, translati. Inde Orientem versus ad ripam fluminis Iordanis itur. E Peregrinis nonnulli in eum religionis ergo descendunt, alij faciem tantum, manus, pedesque lauant, aliqui etiam lagunculas implent, & ad proprias sedes secum deferunt. Oratione pro more peractâ, recitatisque & Lectione Euangelicâ, & Orationibus consuetis, Occidentem versus, prius ad Meridiem aliquantulum declinando, duo quasi millia passuum proceditur; vbi Templum insigne ab Helenâ supra ripam fluminis quondam exstructum, quo loco Ioannes Christum baptizauit, vnà cum adiuncto Monasterio videre est. Vtrumque tamen dirutum & collapsum hodie, & à flumine remotum. Nam cùm mutato alueo flumen refluxerit, ac retrocesserit, à fluminis

Luca 19.
Matth. 20.
Luc. 10.
Iosue. 6.

fluminis ripa duobus circiter millibus passuum abesse cōperitur. Hinc ad Meridiem pergentibus vasta illa occurrit solitudo, exusta Solis ardoribus, Monachis quondam horridum præstans habitaculum; in quâ Diuus Hieronymus (vt ipsemet testatur) quadriennium peregit. Templum ibidem & Monasterium miræ magnitudinis, vtrumque ruinosum & collapsum, etiamnum ostenditur. Inde ad Meridiem se offert planities perampla, olim Vallis Illustris, ob sui fœcunditatem & amœnitatem sic dicta: in qua quondam extitere vrbes Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim, in sacris Literis celebres: quæ ob nefandum scelus, igne è cœlo & sulphure demissis, conflagratæ, exstinctæ, & subuersę in lacum euasere Asphaltitem, sic dictum à bitumine in eo emergente: qui limus quidam est nigri coloris, instar picis, odoris sulphurei. Ex imo autem fundo ebulliens aquis supernatat, ventoque agitatus concrescit, & ad littus adnatans copiosissimè ab Indigenis colligitur: dein menstruo mulieris atque vrinâ maceratus resoluitur, & ad corporum curationes ac nauium iuncturas obturandas plurimùm prodesse fertur. Lacus hic Mare salsum, ab aquarum salsedine, vel salinarum, à maximâ salis copiâ, & Mare solitudinis seu Deserti, ob proximum Arabiæ Desertum, nec non Mare mortuum appellatur, quod nullum gignat piscem, nullumque aliud producat animal viuum: quinimo si Iordanes illi influens, crescentibus aquis imbribus, pisces illuc detulerit, statim moriuntur; est enim pestilens & horribilis totus: aquæ crassæ, spissæ, sordidæ, & fœtidæ: quæ ter in die colorem mutare dicuntur, manè enim nigricantem, meridie Sole intenso ceruleum, ante Occasum Solis rubentem vel potiùs flauescentem colorem exhibent. Latitudo eius sex, longitudo centum millia passuum continet. Fertur quoque ob aquæ densitatem grauissima quæque in eum iniecta fluitare; neque facilè in profundum demergi quenquam, etiam si velit, posse. Quod ipsum etiam Imperatorem Vespasianum in vinctis natādi inscijs, quorum manus post terga reuinxerat, expertum esse scribit Iosephus: qui & eius longitudinem ad quinquaginta & octoginta stadia, latitudinem verò ad centum & quinquaginta adscendere narrat. Huius vtraque ripa ad iter medij diei adeò sterilis est, vt ne vllum quidem germē producat. In causa esse aiunt continuam Maris huius exhalationem sulphuream. Hinc montes etiam qui à dextris & sinistris adiacent, steriles omnino & aridi spectantur omnes. Nam quocunque vapor ille sulphureus è mari impellitur, ibi terræ nascentia, non secus quàm si pruinâ essent tacta, emoriuntur. Hinc quoque arbores illic spectes visu pulcherrimas, & poma viridantia producentes, adspectu ridentia & nitida, & quæ edendi generent spectantibus cupiditatem, sed intus fauillâ & cinere plena; quæ ipsa etiam, si carpas, fatiscunt, & in cinerem resoluuntur,

resoluuntur, & quasi adhuc arderent, fumum excitant. Mari mortuo à tergo relicto, ad Fontem Helisæi itur; cuius aquæ anteà amaræ, immisso sale à Propheta saluberrimæ & dulcissimæ effectæ sunt: vnde ille nomen accepit. Scaturit autem è pede montis Quarantenæ; estque aquis vberrimus, & limpidissimus. Iuxta hunc visuntur arbores prunorum instar, spinosæ tamen, in quibus flores nascuntur vulgò Rosæ Hierichuntinæ, quæ aquis impositæ, etiam aridæ & clausæ statim dehiscunt; mox exemptæ rursum coëunt. Inde ad montem Quarantenam siue Quadrantanā Christi ieiunio, contemplatione, oratione, tentatione, celebrem, & circumiacentibus excelsiorem, difficillimè adscenditur. In eius Orientali latere tria etiamnum supersunt sacella, ab Helenâ (vt volunt) exstructa, sed pænè diruta, Iuxta maius cisterna est, in quâ pluuiales aquæ colliguntur. Haud procul inde Antrum ingens & horridum visitur, quod Sepulchrum Anachoretarum pœnitentium olim fuisse nonnulli autumant: quod & innumera mortuorum cadauera etiamnum integra & illęsa facilè testantur. In vertice montis sacellum extat ruinosum, eo loci (vt ferunt) fabricatum ab Helenâ, in quem Diabolus assumpsit Christum, ostenditque ei (vt Scriptura loquitur) omnia regna mundi. His visis, ad Vrbem, eâdem quâ ventum est viâ, reuertuntur, conficiturque totum id iter trium dierum spatio. Ob nimium autem diei æstum plerumque noctu ad fluuium Iordanem descenditur; sequentem diem in reliquorum locorum lustrationibus insumunt: alterâ verò nocte Hierosolymam redeunt.

4. Reg. 2. Ioseph. 5. Bel. 2

Matth. 4. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 3.

CAPVT XVIII.

In Dominici Monumenti Basilicam secundo admissi, cum primate quodam Turcâ, plurimis cum comitantibus vrbis Hoggijs, & Santonis, seu Mahometanæ sectæ religiosis.

SEXTO Kal. Nouembris iussu *Chiecagia* Constantinopolitani valuæ rursum Delubri Sanctissimi Sepulchri Dominici apertæ fuere. Mos siquidem est Turcis post Templi Salomonis lustrationem etiam Golgothanum Templum & Dominicum Sepulchrum, non religionis ergo, sed rei nouitate ductis, inuisere. Nam cùm Christi Mortem negent, atque eum in cœlos assumptum viuum asserant, nec mori potuisse affirment, rident Christianos, & meras ineptias putant Passionis & Mortis eius ostendere monumenta, qui nunquam eorum opinione tale quid passus fuerit. Nos autem eam nacti occasionem, vnà cum Turcis denuò Templum intrauimus, hæsimusque ibi per sesqui horam, Orationibus interim, & sacrorum locorum visitationibus vacantes,

donec perlustratis à *Chiecagia* eiusque comitibus Christianorum Sacellis, & sacrarioribus vtriusque Templi locis, ac Minoritarum cubiculis, & receptaculis, exire denuò iuberemur. Præter magnam hominũ cateruam, quâ stipatus *Chiecagia* ad Templum venit, plurimi eum comitabantur Santoni & Hoggij (Sacerdotum hæc Mahometæorũ sunt nomina) quos in ipso Templi ingressu honoris causâ præcedere (licèt id præ modestiâ recusarent) *Chiecagia* ipse iussit. Etsi verò eorum aliqui essent penulati, vilibusque induti vestibus, nonnulli etiam nudis incederent pedibus, cęterisque cultioribus ob id inferiores viderentur, pari tamen honore prosequendos eos censuit, personæ nimirum & gradui honorem deferens, non vestibus. Sunt autem vt plurimùm haudquaquam fastuosi, etiamsi sint diuites, nec ignominiam ducunt sine ministris per vias ingredi: nihilominus tamen per vniuersas Mahometæorum ditiones in summâ apud omnes existimatione habẽtur, vel ideo quod cœlestia & diuina tractent, quodque se doctores & expositores Mahometææ Legis profiteantur. Hinc quoque aliqui eorum nomine *Alfacqui*, id est Sapientis, decorantur, atque à cæteris omnibus etiam magnatibus capitis tegmine seu tulipanto distinguuntur. Quinimo vt Christianorum Archiepiscopis Crux, sic illorum primarijs Vexillum sericum hastæ impositum, ac Dei nominis inscriptione literis Arabicis insignitum, à pedite præfertur. Vbi in publicum prodeunt, omnes fere prælongas gestant manu corollas, Christianorum corollis (quibus in Oratione Dominicâ & Salutatione Angelicâ reçitandis vtuntur) non absimiles; hoc solùm differentes, quod hæ sexaginta tres globulos, inter denos paulo maiori intercurrente, illę verò centum equales omnes contineant: quos submurmurando circumuoluunt, ad singulos dicentes *Istagfurlak*, quod nobis est Miserere & vel peto veniam.

CAPVT XIX.

Emaus castelli, Ramathæ Sophin, Machabæorum Modin, aliorumq; circumuicinorum locorum lustratio, & descriptio.

TERTIO Kal. Nouembris Sole nondum exorto, cunctis Monasterij religiosis comitantibus, vno laico ad Cœnobij custodiam relicto, Emaus profecturi pedites ad Iaffæ portam pergimus. Portâ autem Iaffæ nondum patefactâ per vicinam Dauidis vel Montis Sion Portam Vrbe egressi, clitellarios pro more conscendimus asinos: quibus iuxta Vrbis muros & Pisanorum castrum prosequentes iter, mox Iaffæ Portâ superatâ rectà ad Occasum per Montem Gihon perreximus. Vbi ad collem venimus ab Vrbe circiter quingentos passus dissitum, è quo Sanctæ

Sanctæ Vrbis prospectus ab Occasu primùm patet, viâ, quæ Iaffam ducit, ad læuam relictâ, dextrorsum fleximus, ac semitâ decliui difficili & petrosâ ad subiectam vallem descendimus. In eâ Lyphtam pagum Mauris habitatum à dextris reliquimus. Vallis est opaca, pulcherrima, & amœnissima, oliuetis abundans, culturque aptissima, fonte perenni aquæ optimæ & saluberrimæ nobilis. Paulò vlteriùs, occiduum versus Torrentem Dauidis pugnâ contra Goliath Philistæum celebrem, & in Vallem Terebinthi postea influentem, vado transijmus. Magna siquidem mensium aliquot siccitate torrentes vbique exaruerant. Hinc ad duo millia passuum locum accessimus Christi apparitione memorabilem, quo duobus discipulis, Lucæ & Cleophæ (vt alii qui volunt) Emaus euntibus se coniunxit, eosque ad Castellum vsque comitatus sacram Scripturam & Prophetas de sua Passione loquentes explanauit. Cuius rei vt memoria apud posteros esset, in sinistro iuxta viam cliuo Monasterium & Templum ab Helenâ exstructum est. Vtrumque tamẽ hodie dirutum & collapsum, nil præter ruinas reseruat. Hîc parumper pro more substitimus, Templum eminus salutauimus, orauimus, & post preces, & à Minoritis rei gestæ Euangelicam Lectionem, ad Meridiem fleximus; ac iuxta fontem aquis vberem, ad radicẽ montis pergentes, Lusam pagum in fastigio montis vicini positum, ad læuam reliquimus. Is vineis Oliuetisque vndique consitus, adeò situs pulchritudine & culturâ omniũ animos capiebat, vt eius adspectu satiari quisquam vix satis potuerit. Pulchriorem autem, vel cultiorem, elegantioremque me nusquam totâ Palæstinâ vidisse memini. Monte post terga relicto, occiduum versus perreximus. Paulò post alium mõtem seu cliuum arduum & adscensu difficilem adscendimus: in cuius summitate viculum obscurum & ignobilem, à Mauris habitatum pertransiuimus medium. Inde mille passus progressi Emaus Castellum, postea Nicopolim dictum, peruenimus. Id in edito situm colle, loco tamen plano, amœnissimo, & fertilissimo, insignis quondam Palestinæ Ciuitas fuit; quæ Bedâ teste, post expugnationem Iudeæ sub Marco Aurelio Antonino principe restaurata, cum statu mutauit & nomen: distatque ab vrbe Hierosolymâ septem millia passuum & quingentos. Quam amplum autem olim & frequens fuerit, ingentes ædificiorum ruinæ & rudera amplissima satis testantur. Hodie tamen desertum & habitatore vacuum, nihil præter ruinatum molem, & lapidum aceruũ ostentat. Accedentibus ab Ortu ad circumiacentes humiliores colles, fertilissimas quoque valliculas, & amplam latamque Iaffæ planitiem, atque ipsum Mare mediterraneum, lætum & pulcherrimum exhibet prospectum. Perpulchro olim ab Helenâ ornatum fuit Templo, eo (vt fertur) loco, quo Saluator noster in fractione panis à duobus Discipulis

Marc. 16. Luc. 24.

Hieron. in Epitaph. Paulæ

ſcipulis agnitus fuit, Epiſcopali ſede (Chriſtianis in Palæſtinâ rempublicam moderantibus) nobilitato: quod quidem ſub metropolitano Cæſarienſi diu floruit: nunc verò ruinis plenum maiori ex parte collapſum, ſpinis & vepribus obſitum, neglectum iacet, nihilque præter Chori partem perexiguam reliquam habet. Dum hîc ſubſiſtimus, precibuſque vacamus, Minoritæ concinuere ſequentia, additâ etiam Euangelicâ Lectione, rem hîc à Saluatore geſtam, enarrante:

Antiph. *Ieſus autem iunxit ſe Diſcipulis ſuis in viâ, & ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent: & increpauit eos dicens: O ſtulti & tardi corde ad credendum in his quæ locuti ſunt Prophetæ. Alleluia.*

Verſ. *Mane nobiſcum Domine. Alleluia.*

Reſp. *Quoniam adueſperaſcit. Alleluia.*

Oratio. *Paſtor bone, & infinitæ clementiæ Domine Ieſu Chriſte, qui die Sacratiſſimæ Reſurrectionis tuæ duobus Diſcipulis Emaus proficiſcentibus in peregrini transformatus effigiem apparuiſti; quibus de te loquentibus Prophetarum oracula interpretatus fuiſti, eiſq́; demum in fractione panis te manifeſtans eſſe, infidelitatis velamen ab eorum oculis abſtuliſti: nobis quæſumus famulis tuis veræ ſapientiæ intelligentiam tribuens, vitæ præſentis peregrinationem diſponas in viam ſalutis æternæ. Qui viuis, &c.*

Poſt preces laudeſque Deo Opt. Max. dictas, cùm in Cœnæ memoriam à Chriſto cum Diſcipulis hîc peractæ, cibum ſumere vel maximè in votis haberemus, explere tamen mentem non licuit: accurrẽtibus ſiquidem è vicino Mauris, panemque fermentatum (quem ſubodorati fuerant) poſcentibus, à refectione abſtinere oportuit. Et quanquam vix tantum nobis eſſet, quantum in viâ ad famem pellendam omnibus ſufficeret, vt tamen eos placaremus, panes aliquot inuiti diſtribuimus: quos illi, cum panem rarò comedant, tam auidè deuorabant, vt canes eos famelicos non homines eſſe credidiſſes. Neque his quidam illorum contenti, ad ſecundum ab oppido lapidẽ aſſiduis vociferationibus *Ekmek* (quod Turcico, non verò Mauro, aut Arabico idiomate panem ſignificat) clamantes nos inſequuti ſunt: donec rurſum aliquot panes ipſis impertiremur. A Maurorum clamoribus tandem liberati, reliquum continuauimus iter: mox ad pedem Montis
1. Reg. 25. ſubſtitimus, cui *Soba* nomen eſt, Ramatha Sophin, aut Ramathaim Sophim olim dictus, Samuelis prophetę patria, eiuſque tumulo celebris, atque ipſo meridie, æſtus, & reficiendorum corporum cauſâ in proximum Oliuetum declinauimus; vbi iuxta fontem Saulis, limpidiſſimas & frigidiſſimas emittentem aquas, è viuâ ſcaturientes rupe, ſub Olearum vmbrâ ſubſedimus, ac panè & aquâ paululum recreati, per horam vnam atque alteram quieuimus. Saulem nondum Regem, patris

tris asinos quærentem, hoc loco Samuëlem prophetam obuium habuisse, atque in Regem Israhel ab eo ibi vnctum fuisse multorum opinio est. In montis apice insigne Delubrum est, Samuelis Prophetæ Monumento clarum, magnâ tamen ex parte collapsum & in barbarorum hodie Messitam versum; cui cohærent humiles aliquot domunculæ, Maurorum habitacula. Cùm vero Prophetæ tumulum (cuius ossa in Thraciam translata scribit Hieronymus) atque oppidum ipsum inuisendi desiderio teneremur, Mucharum ad oppidi Santonem à Guardiano mitti curauimus, qui veniam peteret. Is re infectâ mox redit: recusasse Santonem refert, & illico abeundum nobis esse renunciat. Spè hac deiecti discedimus, ac cœptum prosequentes iter, ad Meridiẽ fleximus. Aliquanto deinde viæ permenso spatio, ad montẽ venimus Machabæorum Monumentis insignem, Modin veteribus dictum; in cuius cacumine quina offendimus vetusti operis Monumenta, è durissimo saxo, atque in quadratum insurgentia opus, certo spatio inter se diuisa. Indæ viâ modò decliui, modò accliui, difficiliq; ad locum quendam venimus ruderibus refertum, ab Vrbe distantem Hierosolymâ duo circiter millia passuum: vbi ex asinis descendentes, hortum penetrauimus Oleis & Ficubus consitum: in cuius ferè medio Antrum accessimus, eleganti porticu, frontispicioque ornatum, quod veterũ Hebræorum sepulchrum fuisse existimatur. Cereis accensis Specum ingressi, eum in tres diuisum Speluncas subterraneas, obscurissimas, atq; omni prorsus luce carentes, inuenimus. primam mediæ, mediam extremæ superpositam: quarum vnaquæque decem & octo cellulas, seu sepulchra continebat. Opus equidem mirandum, & maximæ impensæ, quam nisi summi Principes sustinere non potuerunt. Antro egressi, atque in viam reuersi, rectà ad Vrbem inter ædificiorum ruinas, & rudera peringentia perreximus; ac reliquo absoluto itinere, sub Solis occasum Vrbem per Portam Iaffæ ingressi, inde pedites ad Monasterium Minoritarum redijmus.

1 Reg. 9.

Epist. ad Vigilantium.

1 Mach. 2. 9. 13 16. Ioseph. 3. Ant. 11.


Pridie Kal. Nouembris duce Baptistâ Monasterij Interprete, Xenodochium Vrbis publicum, *Marath* à Mauris appellatum, iuxta Salomonis Templi Aream positum, accessimus. Ædificium id est amplissimum, Sultanæ cuiusdã vxoris Soleimanis Imperatoris Turcici sumptibus (vt fertur) exstructum, in varia diuisum cubicula; quę tamen penetrare Christianis non datur. Itaque ea solùm adiuimus, in quibus & cibi coquuntur, & in egenos quotidie distribuuntur. Caldaria hîc sunt ænea peringentia, ac stupendæ magnitudinis, suis accommodata furnis, in quibus partim hordeum, vel orizam ad cremorem coquunt, partim veruecinam carnem in frusta secatam elixant.

Hæc sunt quæ singulatim de præcipuis & insignioribus Hierosolymæ

rosolymæ Vrbis, eiusque suburbanis locis sacro aliquo mysterio notatis, alijsque nonnullis in circumvicinâ regione existentibus, memoratu digna nobis visa, vel aliorum relatu cognita, narranda breuiter duximus. Reliquum est vt de hodierno vrbis situ, conditione, facie, & regiminis formâ, quæ nobis innotuere, aliqua memoremus, vt inde quantum à veteri defecerit, faciliùs colligi possit.

CAPVT XX.

Vrbis Hierosolymæ breuis descriptio: & ab eâ discessus.



Portæ Vrbis Hierosolymæ loca sacratiora, & celebriora.

23 *Porta vallis seu Sancti Stephani*
22 *Porta aurea obturata.*
18 *Porta sterquilinij.*
11 *Porta Sion seu Dauidis.*
1 *Porta piscium seu Ioppensis.*
35 *Porta Damascena siue Effraim.*
2 *Castrum Pisanum.*
13 *Cœnaculum Domini & templũ. montis Sion*
4 *Templum Sepulchri Domini & rupis Golgothanæ.*
21 *Templum montis Moreah seu Salomonis, hodie Turcarũ Moschea.*
20 *Platea seu area inferior templi Salomonis.*
19 *Templum putationis B. M. Virginis.*
3 *Templũ S. Saluatoris & monasterium Minoritarum.*
26 *Prætorium Pilati.*
27 *Palatium Herodis.*

28 *Arcus*

28 *Arcus Ecce homo.*
29 *Templum spasmatis Virginis M.*
30 *Locus Simonis Cirenæi, nunc Balnea publica Turcarum.*
31 *Domus Epulonis.*
32 *Domus Pharisæi.*
33 *Domus Veronicæ.*
34 *Porta iudicialis.*
5 *Domus Zebædei.*
6 *Porta ferrea.*
7 *Domus D. Marci.*
8 *Domus D. Thomæ.*
9 *Templum D. Iacobi.*
10 *Domus Annæ Pontificis.*
12 *Domus Caiphæ Pontificis.*
25 *Piscina probatica.*
24 *Templum D. Annæ.*
36 *Bastarrum publicum Turcar.*
17 *Fōs Draconis seu B M. Virginis.*
16 *Natatorium Siloë.*
15 *Locus planctus Petri.*
14 *Locus vbi Iudæi conati sunt eripere Apostolis corpus B. Mariæ.*

HAEC, totius olim Orientis clarissima vrbs, Ciuitas Sancta ab antiquis, & Dei, itemque Magni Regis, passim in sacris Literis appellata, à barbaris etiam hodie eodem prope significatu *El Cods imbarih*, seu *Cudsimbarih* dicitur. Est autem in Iudeæ medio, loco cæteris eminentiori sita, & tanquam regia inter omnes accolas, ac velut caput in corpore eminet: riuis, tamen, syluis, ac pascuis penitus caret. Ob mirandam autem sui situs elegantiam, firmitatem, magnificentiam, cœli clementiam, solique fælicitatem, nec non rerum omnium vbertatem, Vrbs perfecti decoris, gaudium & exultatio vniuersę terræ à Prophetâ meritò appellatur; vetustate verò, ac famâ rerum gestarum, Regumque splendore, qui eam inhabitârunt, & in primis Christi hospitio, Miraculis, Passione, & Resurrectione omnium Orbis totius vrbiũ celeberrima euasit. Eam conditam ferunt anno à mundo creato 2033 à Melchisedech Rege, & sacerdote Altissimi, à quo & Salem nominata: postea verò à Iebusæis occupata, Iebus, & Iebusęum dicta est: quibus, postquam eam tenuissent annos octingentos & viginti quatuor, à Dauide eiectis, eius pomœria ab eodem aucta sunt: qui & Arcem addidit, eamque à suo nomine Ciuitatem Dauid appellauit. Atque inde in totius Iudææ metropolim, ac regni sedem euecta, nomen Hierusalem obtinuit. Quam postea Salomon, Dauidis in regno successor, Templo toto terrarum Orbe celeberrimo, Palatio item regio, alijsq; clarissimis ædificijs vel maximè illustrauit. Quam etiam alij post Salomonem reges validissimis Portis, Turribus, Muris, Fossis, alijsque splendidis & regijs operibus, & publicis ædificijs illustrârunt, atque ita munierunt, vt totius Orbis inter vrbes facilè principem locum obtineret. Hoc rerum fælici statu annis quadringentis & septuaginta septem floruit, habens circuitum quinquaginta stadiorum, fossâ in lapide excisâ, sexaginta pedum profunditate, latitudine verò ducentorum &

Iob. 13. 2. Mach.3. Matth.4.5.
Ioseph.3. Bel. 3.
Ierem. Thre. 2.
Gen. 14. Ioseph.7. Ant 3. & 7. Bel. 26.
3. Reg. 3. 5. 6. 7. 9. 10.
Strab. lib 16.

& quinquaginta circumdata. In eâ autem commorabantur hominum circiter centum & quinquaginta millia. Posita erat supra tres montes Moriah, Sion, & Acra, vallibus interiacentibus, & triplici muro diuisis, extremo tamen Vrbis muro firmissimo comprehensis. Regnante verò Sedechiâ, ob Regum & populi scelera, & abominandum idolorum cultum, à Nabuchodonosor Babyloniæ rege funditùs euersa, ac septuaginta annos deserta fuit; quam Neëmias denuo restaurauit, atque ambitu triginta stadiorum, Portis, Turribus, validoque Muro muniuit, Succedente verò tempore à Machabæis, Herode, alijsque Principibus viris, publicis, priuatisque ædificijs mirum in modum aucta, & exornata, pristino nitori restituta est. Atque ita annis 524 nominis claritate, ac rerum magnificentiâ, populique frequentiâ excelluit. Donec eam Titus Imperator, vti verus necis Christi vindex, anno post Christi Passionem quadragesimo secundo, muro triginta nouem stadiorum circumuallauit, & Iudæos ex omni tribu Paschatis festum ibi celebrantes, velut indagine conclusit; ac post aliquot mensium obsidionem, posteaquam intestinis cædibus, fame, peste, & gladio vndecies centena Iudæorum millia in eâ perijssent, totam funditùs diruit, & euertit; Hippico tantùm, Mariamne, & Phaselo turribus, ab Herode exstructis, Romanis militibus præsidio relictis. Post annos deinde sexaginta quinque, Iudæis rursum rebellantibus, Aelius Adrianus Imperator turres illas cum reliquo Vrbis muro penitus demolitus est, Vrbemque sale conspersit, ac nouam à suo nomine Aeliam appellatam, antiquæ Vrbis pomœrijs plurimùm contractis, quo loco nunc Vrbs visitur, condidit, mœnibusque cinxit. Cuius opere factum est, vt loca sancta id est Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, quondã extra Vrbem iacentia, nunc eiusdem Vrbis muris circumdentur. In Christianorum verò odium, vtque Christi Passionem, & Resurrectionem obliteraret, in loco Resurrectionis Iouis simulachrum; in Crucis rupe Veneris è marmore statuam; & in Monte Moriah (vbi olim Sanctum Sanctorum extiterat) sui nominis statuam erexit. Helena autem Constantini Magni mater, non passa diutiùs tam immane scelus, demolitis gentium idolis, atque idolorum delubris funditùs euersis, Vrbem nouo Salomonis Templo illustrauit, aliaque in Christi honorem Templa ædificauit: eosque locos omnes exstructis Basilicis excoluit; in quibus salutaria nobis mysteria Pietatis suę, Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis, atque Adscensionis sacramentis Dominus Redemptor impleuerat. Hæc antiquo postmodũ recepto nomine à Christianis habitata, & Patriarchali sede insignita, in Christiana religione annis quingentis floruit.

Ioseph. 6. Bel. 8.
2. Reg. 25.
Neem. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
1. Mach. 12. 13. 14.
Ioseph. 15. Ant. 10.
Ioseph. 7. Bel. 24. 25. 26.
Euseb. in Chrõ. & Hist. Eccles. lib. 4. c. 6.
Niceph. 3. Eccles. Hist. 24.
Volater. li. 11.
Hieron. in loc. Hebr. Act. Apost. lit. H.
Hieron. in Epist. ad Paulin.
Tyr. Hist.
Bel. sacr. lib. 14. c. 12.

Tum

Tum anno â Christo nato 636 à Saracenis adempta Christianis, quadringentis & sexaginta annis sub Mahometæorum iugo fuit. Dein à Christianis Duce Godefrido Bullionensi, anno à Partu Virginis 1099 summa vi ac fortitudine, multâ cum barbarorum cæde expugnata, & Christiano cultui restituta est, quam per eosdem octoginta octo annos retinuit, tandem ob maximas Christianorum Principum simultates & discordias, ijs per Salahadinum Ægypti Regem erepta, & Mahometæo rursum cultu polluta, denique anno Salutis 1517 à Selimo Turcarum Imperatore eius nominis secundo, post debellatos Mameluchos, occupata, atque à Soleimane filio, patris in Imperio successore, nouis mœnibus ornata, & cincta, in eam formam, quâ nunc visitur, redacta est. Hæc figura quadrata oblonga, tota montosa est: Montem quippe Moriah, Salomonis Templo, quod nunc extat, Turcis *Cubisahara* dicto, insignem, itemque Sion, Gihon, Acræ montium partem occupat. Inter quos quasi medius assurgit Caluariæ mons, seu rupes Golgothana, non multum ampla, nec eminens, altitudine mõti Testaceo, qui Romæ est, non absimilis, tot in eo collocatis ædificijs, vt superficiem intueri, vel cognoscere vix possis. Hic olim extra Vrbem infamis habitus, Christi Passione, eiusque sanguine pretiosissimo, vsque adeò nobilitatus, & sanctificatus est, vt nunc Vrbis ferè medium obtinens, Angelis pariter & hominibus venerabilis sit. Porrò tria milliaria aut circiter ambitu suo Vrbs ipsa complectitur: cui ab Ortu adiacent Oliuarum Mons, & Vallis Iosaphat; ab Austro mons Offensionis, & Vallis Gehennon; itemque pars Montis Sion; ab Occidente Montis Gihon pars, & Vallis seu Piscina Bersabeæ, quæ aliàs etiam Vallis Ennon appellatur; à Septentrione verò montis Acræ pars. Extendebatur autem antiquitùs longitudo Vrbis, quantum ex veterum scriptis colligere licet, ab Austro in Septentrionem, sacrum Montem Sion, maximamque Acræ Montis partem mœnibus comprehendẽs: Latitudo verò quicquid est intra Portam Iudicialem, ad Vallem vsq; Iosaphat, complectebatur. Hodie pomœrijs eius plurimùm contractis, longitudine in latitudinem versa, maior Sion & Acræ montium pars, totusque borealis angulus ad Portam vsque Ephraim olim sese extendens, mœnibus excluduntur. Gihon verò Montis pars, & Caluariæ, olim extra muros, nunc includuntur. Ita vt ab angulo occiduo iuxta Sancti Saluatoris Monasterium, seu à Iaffæ Portâ ad Gregis vsque Portam, Orientem spectantem longitudo Vrbis hodie protendatur: latitudo verò à Portâ Sterquilinij Meridiem respiciente, ad Damasci vsque Portam, Aquilonem versus terminetur, Vrbem à ternis lateribus valles cingunt, vt diximus, latæ, & profundæ, à Meridie scilicet, ab Ortu, & Occasu, à latere autem septentrionali, vsque ad mœnia

Tyr. Hist. sacr lib. 8. c. 5 18. 19. 20. 21. & lib. 9. c. 1. 2 9

Ioseph. 6. Bel. I.

Hieron. in loc. Hebr. Act Apost. lit. G.

patet aditus, non præceps, nec angustus, fossis tantùm non multum profundis, & aquâ vacuis interiacentibus. Portæ Vrbis sex hodie numerantur; nouæ omnes, Aureâ exceptâ, quæ vetustatem præ se fert: veterum, præter hanc, nulla vestigia. Valuę ferreis obductæ sunt laminis, ne flammis facilè obnoxiæ fiant, aut ab Arabibus incendantur: quod facilè alioquin fieret, cùm nulli pontes pensiles, aut fossæ aditum ad valuas impediant. Portarum aliquæ antiqua etiamnum obtinent nomina, quod eodem positæ sint loco, quo olim veteres: quas singulas velut ob oculos ordine collocare operæpretium duximus, vt situs inde Vrbis liquidiùs constare possit. Incipiemus autem ab angulo Vrbis Orientali, Septentrionem respiciente, atque ad Meridiem progrediendo, meridionale latus, dein Occidentale, postremo Septentrionale complectemur: vniuersamque Vrbem hoc modo circumibimus. Prima itaque Porta, olim Gregis, vel secundum alios Ephraim, & Vallis nominata, hodie à loco lapidationis Diui Stephani, qui proximus est, Sancti Stephani nomen obtinet, vtrimque Leonis simulachro rudi modo insculpto; quod quidem (cùm Mahometæorum Lege depictas aut sculptas habere hominum aut animalium imagines vetitum sit) multis admirationi causam tribuit. Quis auctor horum fuerit, nos latet. Putant aliqui, dum muri portæque Vrbis restaurarentur, Christianæ Legis apostatam Vrbi imperasse, eiusque permissu id factum: quod vix crediderim. Huic proxima est ab eodem orientali latere Aurea vulgò dicta, ad amplissimam Salomonis Templi Areã ingressum quondam præbens, nunc obstructa penitus. Eandem esse, quam ouans Christus intrauit, putant Minoritæ, cui opinioni non facilè adhæserim: nam cum Templum Salomonis à Romanis dirutum penitus, & solo æquatum esse constet, muris proximis, atque Portæ Aureæ (quæ fere medium obtinet) nequaquam pepercisse credendũ est: vel eo magis, quod muros omnes Vrbis dirutos esse scribat Iosephus; quodque totus ille muri tractus, Auream in medio continens, nullam antiquitatem referat, nec ex eiusmodi, adeoque magnis constet saxis, quemadmodum illa antiquissimi muri pars, supra quam noua mœnia structa sunt, quæ iuxta Portam Sterquilinij etiamnũ superest, ędificata cernitur; Eo verò positam loco quo vetusta fortassis extiterit, concedendum potiùs existimo, quàm inficias ierim. Hanc à Meridie sequitur tertia, Sterquilinij vulgò dicta, cæteris angustior, antiquum vsque in hodiernum diem nomen retinens, licet recens constructa. Huic proxima ab eodem hæret latere Dauidis Porta, aliàs Sion nuncupata; quod in montem Sion ducat: quæ & ipsa noua, & in ordine quarta est. Ab Occiduo latere vnica & quinta occurrit, cognomento Iaffæ, quæ & Piscium Porta, & Hebron dicitur, Castro Pisano-

rum

rum contigua. A Septentrione demum sexta & vltima sequitur, Nephtalim nomine, nunc Damasci Porta appellata. Omnes hæ portæ, & muri ciuitatis (Castro Pisano muris incluso, atque ea parte, quæ Oriẽtem respiciens Portam Auream continet, & Salomonis Templi Areã munit exceptis) iussu Soleimanis Turcarum Imperatoris instaurati sunt: constantque ex quadratis & dolatis lapidibus, turribus quadratæ formæ certis intervallis interpositis: quorum crassities, quantum visu percipere licuit, ad tres circiter pedes extenditur, nullo tamen vallo aut aggere muniti; quos interius Menianum in summitate ambit, per quod circumire Vrbem commodè possis, foraminibus passim certo ordine in ipso muro relictis, quo tutiùs commodiusque eiaculari bombardas, sagittasque in hostes emittere defensores queant. Cæterum locus in quo Ciuitas sita est, arduus totus & inaquosus, flumina vel riuos nullos habet: incolæ aquis tantum vtuntur pluuialibus: mensibus enim hybernis in cisternis (quas in Vrbe habent plurimas)imbres sibi solent colligere, & per totum annum ad vsus necessarios conseruare. Vrbis plateæ fere omnes angustæ, sordidæ, ruinisque passim impletæ: imò nonnullis in locis adeò immunditijs & lapidum aceruis exaggeratæ sunt, vt occurrentes Arcus transuersarios nisi ad vterum caput inclinaueris, transire vix possis. Ruinarum acerui, collapsæ domus, neglectæ etiam & vacuæ plurimæ, vbique ferè sese offerunt. Nulla palatia, ædésve magnificas, nil quod delectet, aut spectatorem detineat vsquam conspicias. Deformata, fœda, squalore obsita omnia. Infrequens itaque & quasi neglecta iacet miseranda Vrbs; olim licèt frequentissima, & opulentissima; vt verè hic locum habeat Dominica de desertione Vrbis prædictio. Quæ verò hodie integræ visuntur ædes, lapideæ quidem omnes, sed humiles pleræque, & vnius tantum contignationis sunt, pauimento subdiali tectæ: paucæ ad secundam contignationem adscendunt; paucissimæ ad tertiam. *Bazarra* (id est Fora) etsi satis magnifica, arcuato quippe opere, atque è quadrato lapide ęqua mensura conciso, multis in locis etiamnum integra sunt; vt plurimum tamen tabernæ vel ruinis deformes, & sordidę, vel neglectæ, & vacuæ spectantur. Rari enim hic sunt artifices, nulli fere mercatores, præter eos qui annonam, & pannos ex camelorum vel caprarum pilis contextos, telasque gossypinas vendunt. Incolæ plerique artem textoriam exercent, ac texendis pannis, telisque gossypinis operam nauant. Cæteræ artes vt plurimum silent. Inter priuatas publicasque ædes structuræ magnificentiâ eminent Herodis Palatium, Pilati Prętorium, Saniaccorum hodie domicilium, Xenodochium publicũ, & Diuitis epulonis (vt vocant) ædes. Omnium vero Meschitarum & Templorum præstantissimum est Salomonis, tum Præsentationis Ma-

riæ, vtrumque à Mahometæis possessum, & plumbeis laminis tectum. His non immeritò addi potest Sepulchri Dominici, seu Resurrectionis, & Golgothanæ rupis ad Christianos pertinens Basilica. Sunt præterea & alia Templa haudquaquam contemnenda, partim à Christianis, partim à Mahometæis, vel Mauris possessa; quorum pleraque suprà memorauimus. Incolæ Mauri ferè omnes, Christiani pauci, pauciores Hebræi, quàm quis credat; Turcæ verò paucissimi. Christiani montem Gihon, proximasque Monti Caluariæ ædes inhabitant. Hebræi partem Montis Sion incolunt: Turcæ, Maurique per vniuersam sparsi Vrbem. Hebræi vt plurimùm egeni, imò pauperrimi sunt, ditiorum alibi commorantium eleëmosynis viuere assueti. Viget namque apud illos opinio, suum quem exspectant Messiam, priusquam Hierosolymâ potituri sint, ignem ex improuiso è cœlo demissurum, & flammis vniuersam Vrbem consumpturum, mox imbre effuso eas exstincturum, vt ab immunditijs, & profanarum gentium, Christianorum nimirum, & Mahumetæorum (vt ipsi interpretantur) abominationibus, longâ habitatione commissis, Vrbs ipsa tot iam seculis prophanata, tota purgetur, & emundetur: eaque de causâ (vti accepimus adeò pauci, ijque egentissimi, & à cæteris mercede conducti, Vrbem tam horrendæ conflagrationi (vt putant) obnoxiam, incolunt. Præsunt Vrbi populoque tres supremi Magistratus, penes quos omnium & vita & mors consistit: primus Saniaccus appellatus, summum dignitatis apicem obtinet, præstatque cæteris auctoritate & gradu: nam præterquam quod in omnes Vrbis incolas, militesque imperium exerceat, etiam vniuersæ Hierosolymitanæ ditionis administrationem & curam habet. Dum nos Hierosolymis ageremus, Saniaccatus munere fungebatur Saniacci Gazeræ filius maior, sed cùm per ætatem magistratum obire non posset, per Vicarium (quem *Chiecagiam* vocant) patris intercedente auctoritate, rempublicam administrabat. Alter *Cadius* dictus (quod nobis Iudicem significat, Veneti Potestatem appellant) de causis litigantium cognoscit: estque in ciuilibus atque etiam criminalibus supremus Iudex. Hos sequitur *Subassius*, id est, Iustitiæ præfectus, qui nocte præest, in sontes inquirit, carceribus mancipat, Cadij sententias executioni mandat, & vltimum supplicium lictoris operâ de reis sumit. Hic à Saniacco constituitur, eiusque arbitrio suo munere fungitur. Hæc de Vrbis Hierosolymæ situ, conditione, & facie, eiusque incolis & magistratibus dicta sufficiant: ad institutum reuertamur.

Pridie Kal. Nouembris nunciatum nobis fuit *Chiecagiam* Constantinopolitanum post biduum Hierosolymâ discessurum, ac Damascum mox Alapiam suâ carauanâ profecturum: quam quidem occasionem

adi

ad Samariam in primis & Galilæam perlustrandam, itinerumque euitanda pericula, vel maximè oportunam rati, in eius comitatu proficisci decreuimus. Postpositâ igitur Montis Sinei, Ægyptique peregrinatione, id etiam dissuadentibus Minoritis, & in primis Reuerendo Guardiano, qui se quoque nobis itineris comitem cum suis futurum Alapiam vsque promiserat, de comparando commeatu, per solitudines necessario, conducendisque iumentis ad equitandum & sarcinas gerendas oportunis, præsertim verò de pacto cum Interprete, itinerisque duce aliquo ineundo egimus, sine quibus haudquaquam facile fuisset iter illud tutò conficere. His omnibus igitur diligentissimè curatis, impetrataque discedendi veniâ, ac perlustrandi Palæstinam facultate ab Vrbis Chiecagiâ, neque enim citra illam Vrbe excedere, vicinasque peragrare regiones vlli liberum est; necessarijs insuper in sarcinulas complicatis; cœnâ denique viaticâ in ipso Omnium Animarum festo vnâ cum Minoritis sumptâ, sequentem recessus nostri diem auidè exspectauimus.

IOANNES



IOANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARII HIEROSOLYMITANI ET SYRIACI

LIBER TERTIVS,

Syriacam profectionem Alapiam vſque elucidans.

CAPVT I.

Syriæ (quæ Italis Soria eſt) deſcriptio.



RDINEM ſeriemque itineris proſequuri, quo vniuerſam ferè Syriam peragrauimus, haud abſonum noſtro inſtituto putauimus, ſi totius Syriæ prouincias, quo lucidior eius itineris ratio ſit, breui veraque deſcriptione declaremus. Aduertat autem Lector non hîc totam illam à nobis deſcribendam eſſe Syriam, quæ Chaldæam Babylonem, Meſopotamiam; Aſſyriamque olim comprehendebat: quæ item ab Iſſico ſinu ad Euxinum vſque pelagus protenta, vtramque Armeniam, & Cappodociam, ſeu Leucoſyriam continebat: ſed quæ hodie apud Italos Græcoſque Soriæ nomen obtinet, & quam Strabo in quatuor prouincias Comagenam Cæleſyriam, Phœniciam, & Iudæam diuidit: nos verò in quinque regiones diſtinguemus.

Lib. 16.

Eſt igitur Syria Italis Suria vel Soria, Turcis Soriſtan, Hebræis olim Aram ſeu Aramæa ab Aram filio Sem appellata, Maioris Aſiæ regio, in vmbilico ferè Orbis conſtituta, quondam potentiſſima, populoſa, & opulentiſſima, ſacris profaniſque hiſtorijs celebratiſſima, atque (vt author eſt Plinius) terrarum maxima. Situm habet inter Euphratem amnẽ, Ciliciam, Arabiã, & Mare Mediterraneũ: cui ab ortu Euphrates adiacet, & Arabia deſerta, à Meridie Arabię Petreę iungitur, ab Occaſu

Gen. 10. Num. 23. Ioſeph. 1. Ant. 14. Plin. 5. Nat. Hiſt. 12.

Mare

Mare Magnum seu Mediterraneum attingit; quod & Syriacum pelagus ab eo nominatur; quâ parte à mari 350 millia passuum alluitur: à Septentrione Ciliciâ, & Amano monte, parteque Cappadociæ terminatur. Longitudo eius, vt Plinius refert, inter Ciliciam & Arabiã 470 millium passuum est, latitudo à Seleuciâ Pieriâ ad oppidum Zeugma in Euphrate 125 millium passuum. Regio omnis Vini, Olei, Frumenti, & cuiusuis generis frugum ferax est; Bombyce & Gossypio abundans, pascuis vberrima, Bobus, Capris, Pecudibus, Bubalis, & Camelis diues. Naturâ adeò pinguis, vt in plerisque locis nullâ culturâ Rosas, Rutam, Fœniculum, Saluiam, Glycyrrhizam, aliasque herbas odoriferas, nobilesque sponte producat. Porcos syluestres, Capreolos, Onagros, Ceruos, Damas, Lepores, Cuniculos, Perdices, Coturnices, Turtures alit innumeros. Fluuijs irrigua est, tutissimisque portubus decorata. Præ maximâ autem temperiæ cœli nec nimio ardore riget, nec maximo calore torretur. Montes ibi celebres Galaad, Carmelus, Thabor, Libanus, Casius, Amanus. Fluuij Euphrates, Iordanis, Oron, Singas, Eleutherus, Adonis. Vrbes Hierosolyma, Damascus, Antiocha, Laodicea, Alepum, Apamia, Emesa, Tripolis, Tyrus, Sidon, Berytus, vtraque Cæsarea, Ptolemais, Sichem, aliæque. In quinque hodie diuiditur prouincias, Palęstinam, Phœniciam, Syriam Damascenam, Cælesyriam, & Comagenam; de quibus singulatim pauca dicemus.

PALAESTINA ab Hebræorũ olim populo possessa, in sacris Literis Terra promissionis, & Terra Chanaan, seu Chananæa appellata, hodie Terra Sancta vulgò dicitur. Hæc à Deo Opt. Max: ad vsum Israheliticæ gentis electa, ditissima, fertilissima, frequentissima & celeberrima multis seculis extitit: nostrâ autem tempestate infrequẽs planè, deserta, & inculta vt plurimùm, nomine tãtùm claret. Ab Ortu Arabiâ Desertâ hodie *Beriarâ*, à Meridie Arabiâ Petræa nũc *Baraab & Bengancal* ab Occidẽte Mari Mediterraneo clauditur, à Septentrione Libano mõti, & Syriæ Damascenę iungitur. Eius longitudo, quæ ab Aquilone, à Ciuitate Dan, ad radices montis Libani sita, quæ & Cæsarea Philippi, & Paneas olim, hodie Velenas appellatur, initium sumit, & Meridiem versus ad vsque ciuitatem Bersabeam, hodie Giblin dictam, mõtesque Seir, & torrentem Besor, siue Desertum Magnum porrigitur, centum sexaginta conficit milliaria Italica, quorum tria vnius horæ iter constituunt. Latitudo verò, quæ ab Occidente, à Mari Magno vel Mediterraneo, in Orientem ad flumen vsque Iordanis plerumque sumitur, relictâ eâ parte, quæ trans flumen est, sexaginta tantùm milliaria complectitur: eâ verò comprehensâ ad vsque Montes Seir & Galaad, nonaginta millibus passuum constat. In duas diuiditur partes,

Gen. 10. Psal. 73. Ezech. 36.

Iordane

Iordane interlabente mediam: quæ cis flumen est, tres continet prouincias, Iudæam, Samariam, Galilæam; quæ trans flumen, plurimas: Traconitidem, Gaulonitidem, Bataneam, Gamaliticam, Galaaditem, Gergasenorum, & Gadarenorum regiones. Hanc sorte tribus Ruben, Gad, & dimidia Manassis acceperunt, illam reliquæ. Regio omnis etsi hodie inculta, & deserta pleraque, frugibus tamen multis in locis abundat. Ficubus duplicis generis communibus, & Ægyptijs, Pharaonis siue Cyprijs appellatis, Vuis, Oleis, Dactylis, Citrinis, Aurantijs, Punicis, Armeniacisque malis, Musis, Charnubis, Pistaceis, alijsque copiosa. Pyra nostratia, Poma, Cerasa, Nuces, similesque fructus nulli aut rari; Damasco tamen, vbi abundè proueniunt, subinde importantur. Melones, Pepones, Cucumeres, Anguriæ, Colocassiæ, ac Sacchari canneta ibi plurima. Rosas, Rutam, Fœniculum, Saluiam, aliasque herbas medicâ virtute nobiles sponte humus producit. Mannâ etiam ac Melle exuberat. Regionum quæ cis flumen sunt prima Iudæa est.

HÆC ab Oriente in Occidentem, à Mari Mortuo siue Asphaltite lacu, & Iordane flumine ad mare Mediterraneum vsque protenditur, à Septentrione verò in Meridiem à montibus Ephraim ad montes vsque Seir porrigitur. Quatuor olim complectebatur tribus, Iudam, Beniamin, Dan, & Simeon. Est autem situ tripartita, maritima, montana, & cliuosa ex parte & ex parte plana. Maritima à Gazâ hodie Gazera Ioppen vsque vergit: cliuosa planaque pars Ramæ & Lyddæ planitiem, ac tractum illum omnem qui ad Bersabeam in Meridiem se diffundit, comprehendit. Reliqua, Ierichuntinâ Valle exceptâ, montana tota; paucis, ijsque angustis interiacentibus valliculis. Metropolis ei Hierosolyma: plurimę prætereà olim vrbes episcopatu nobiles in eâ extitere, Iericho, Azotus, Iamnia, Ioppe, Lydda, Ascalon, Gaza, Bethleëm, Emaus, Hebron, Rama: quæ quidem omnes, vt & cæteræ non nominatæ, nunc vel in cinerem versæ, vel desertæ, vel vici ignobiles sunt, & obscuri penitus Gazerâ, Ascalone, & Ramâ exceptis: quæ etiamnum muris cinctæ supersunt. Gazera Arabiæ finitima, Saniaccatus hodie titulo insignis, & arce munita, olim Gaza fuit, Philistinorum metropolis: cuius portas Sampson mediâ nocte cum vectibus & ferâ asportauit in verticem montis respicientis Hebron, vbi & Templi Dagon (concussis columnis) ruinâ, ad tria hominum millia, & seipsum interfecit. Regio omnis sic satis fœcunda, deserta tamen, & inculta vt plurimùm: circa Hierosolymam pleraque petrosa & sterilis est, ac rupibus immensæ magnitudinis scatet. Ideoque vineis & oliuetis magis accommoda, olei, fructuum, ac vini præsertim ingentem copiam profert: frumenti non item.

Iud. 16.

Iosepho. 3. Ant. 3.

SAMARIA, quæ & Samaritis, & Samariensis regio, Iudęæ contermina,

mina, Phœniciæ & Galileæ iũgitur, Iudeâ à Meridie Phœniciâ ab Occidente, Galilæâ ab Aquilone adiacentibus, ab Ortu Iordanis allabitur. Olim à tribu Ephraim & dimidiâ Manassis possessa fuit, incipiens à vico Gineâ, atque in Acrabatenam desinens toparchiam. Est autem montosa vt plurimùm, natura nihil à Iudæâ discrepans, in colles vallesque distincta, arboribus plena, pomisque tam syluestribus, quam satiuis abundans, aquis prædulcibus optimisque irrigua, atque vberrimis pascuis diues: deserta tamen hodie plurimis in locis. Præter enim Cæsaream Palæstinam, & Sichem, episcopatu quondam claras, nullas hodie vrbes habet.

GALILAEA Samariæ finitima, vberrima, & pulcherrima Palæstinæ regio, in sacrâ scripturâ celebris, inter montem Libanum & Samariam sita, ab Occasu Phœniciam habet, ab Ortu Iordanem fluuium, & Traconitidem regionem, à Septentrione Libanum montem, à Meridie Samariam attingit, diuiditurque in superiorem & inferiorem. Hæc à montibus Gelboë, iuxta mare Tyberiadis seu Genezareth, ad vsque Bethsaida & Zephet vrbes, ac montem Zabulon protenditur, comprehendebatq; olim tribus Issachar & Zabulon. In eâ fuere olim clari nominis vrbes Nazareth, Naim, Salem, Bethulia, Tyberias, Cana Galilææ, Sephoris, Bethsaida, Bethsan, Iesraël, montesque Gelboë Hermon & Thabor. Ab hac prouinciâ Saluator noster nomen accepit quòd hîc conceptus & educatus sit, ac plurimùm habitauerit; primùm denique Euangelicæ prædicationis semen sparserit; Apostoli plerique ex hac prouinciâ oriundi, atque adeò Christiani omnes Galilæi quoq; olim appellati sunt. Illa verò & Galilæa gentium quandoque per contemptum vocata, à Zephet initium ducens, longitudine ad montem vsque Libani, fontesque Ior & Dan; latitudine, verò à Phœnicia ad ripam vsque Iordanis, & Aquas Meron extenditur; fuitque olim Aser, & Nephtalim tribuum sedes. Celebres in eâ olim vrbes fuere Emath, Cedes Nephtalim, Cæsarea Philippi, quæ & Paneas, Cephet, Capharnaum: è quibus nostro hoc seculo supersunt Paneas, & Cephet, cæteris vel exstinctis, vel in cinerem versis. Vtraq; regio situs amœnitate, ac fertilitate soli plurimùm præstat, fontibus & torrentibus irrigua, ferax Olei, Vini, & Frumenti, Samariâ & Iudæa nequaquàm inferior, imò feracior, amœniorque. Iudæâ tamen infrequentior. Quas quidem non sine animi dolore, dum eas peragraremus, desertas, derelictas & habitatore pænè vacuas offendimus.

Ioseph. 3. Bel 3. Ios. 13. Iudith. 1. 1. Mach. 5. Hieron. in loc. Hebr. lit. G. & in loc. Hebr. Act. Apostol. lit. G. Matth. 2. 3. 4. 9. 17. 20. Marc. 1. 6. Luc. 1. 2. 4. 8. 23. Ioan. 4. Act. 1. 2. Isai. 9.

PHOENICIA, siue Phœnice, & Phœnix à Phœnice rege Antenoris filio nomen sortita, in sacris profanisque literis celebris, pænè omnis maritima est: extenditurque in longitudinem ab Austro in Aquilonem, à Castro nempe Peregrinorum ad vsque Valaniam fluuium, seu

Plin. lib. 5. cap. 12. Gen. 14. 3 Esdr. 2. 2. Mach. 3. Act. 11.

Castrum Margad; ab Ortu partim Syriæ Damascenæ, partim Galilęæ iungitur; à Meridie Samariam habet; ab Occidente mari Mediterraneo clauditur. à Septentrione Syriæ cœles contigua, solo Valaniâ amne dirimitur. Tyro & Sidone opulentissimis quondam vrbibus, itemq; Accone, seu Ptolemaide, Tripoli, Beryte, Biblo, Botro, Antarado, maritimis omnibus, alijsque præclaris vrbibus & oppidis, hodie tamen vt plurimùm deuastatis & desertis, celebris fuit. Regio in fœcundissimos colles, vallesq; fertilissimas distincta, agrorum fertilitate nulli terrarum cedit; inculta tamen hodie pleraq; & deserta iacet. Mare vicinū ab eâ nomen habet, & Phœnicū, seu Phœniceum appellatur. Sunt qui Galilæā & Samariam Hieronymo teste, ad Phœniciam pertinere putent.

Syria damasci, seu Damascena, quæ & Libanicam cōtinet, cui & Palmirenam, & Syriam Sobal adiungimus, Phœniciam ab Occasu, Palæstinam à Meridie habet, ab Ortu Arabiæ desertæ, à Septentrione Cœlesyriæ iungitur, partim montosa & cliuosa, partim latâ planitie nobilis. In hac Damascus vrbs totius Syriæ regia visitur. Montana à Libani & Antilibani montium iugis occupatur. Regio omnis amœnissima, fœcundissima, pascuis vberrima & fluuijs irrigua est.

Coelesyria, siue Syriacœles, id est Caua vel Curua Syria, quæ & humilis, & inferior dicitur, cuius in sacra Scriptura & Iosepho frequens fit mentio, à Valaniâ flumine ad vsque Ciliciam porrigitur; ab Occidente Sinum Issicum habet, à Septentrione Ciliciam, ab Ortu Comagenam, à Meridie Syriam Damascenam contingit. In eâ Antiochia vrbs quondam potentissima, Antiochorum Syriæ regum sedes, ad ripam Orontis fluuij sita, Seleucia Pieriæ, hodie Soldino, Apamia, & Laodicea, nunc Liza, vel Licha, Seleucidis quondam vrbes, & propter concordiam (vt Strabo tradit) sorores dictæ, itemque Emesa, & Alexandreta, in extremo Issici sinus angulo ab Alexādro Magno condita, aliaq; spectantur oppida. Regio campestris, humilis, & concaua est: mōtibus altissimis quaqua verbum vallata, pascuis in primis abundans, soli vbertate, sitúsve pulchritudine, cæteris Syriæ prouincijs haudquaquam inferior.

8. Esdr. 2. 6. 7. 8. 1. Mach. 10. 2. Mach. 3. 4. 8. Ioseph. 11. Ant. 5 & 13. Ant. 19. & 85. Ant. 5.

Comagena, quæ & Euphratisia, eam Syriæ partem complectitur, quam Euphrates fluuius allabitur, estq; Mesopotamiæ contermina, à quâ solo Euphrate ab Ortu dirimitur, habetq; Syriam cœlem à Meridie, Montem Amanū à Septentrione & Occasu. In eâ olim Samosata Regia, hodie præter cætera oppida Alepum visitur, omniū nunc temporis Syriæ vrbiū potentissima, opulentissimaque, ac totius Orientis nobilissimū emporium. Est autem vt plurimùm regio montosa: frugibus tamen abundās, ac lętissimis pascuis vberrima. Hęc paucula de Syriæ prouincijs sūmatim dixisse sufficiat: modò institutū prosequamur.

CAPVT

CAPVT II.

Hierosolymis discessus. Mora in Bira pago: eius loci, ac Chani vicini, aliorumque Chanorum & Imarathorum Turcicorum descriptio.

TERTIO Nonarum Nouembris, Horarijs priùs apud Minoritas auditis precibus, quas Matutinas appellant, diuinoque pro felici faustoque itinere inuocato numine, horâ antelucanâ Monasterio egredimur, plurimis comitantibus Monasterij Fratribus; vbi ad Iaffæ Portam venimus, occlusam offendimus; largitione tamen à Ianitore facilè apertionem eius impetrauimus. Vrbe egressi & Minoritis, qui nos eò deduxerant, valedictis, Deo auspice institutum carpimus iter. Eramus autem vnà omnes numero quatuordecim, quinque Minoritæ, Peregrini quatuor, dux item & Interpres, ac Muchari tres. Minoritis hæc erant nomina *Fr. Euãgelista à Gabiano* Guardianus Hierosolymitanus, & *Fr. Nicolaus, Mediolanensis, vterque Fr. Franciscus Pedemontanus, Fr. Archangelus Brixiensis*, sacerdotes omnes, & *Fr. AEgidius Morlupus Thuscus*, laicus siue conuersus. Peregrinorũ nomina suprà recensuimus. Interpreti Bethleëmitæ nomen *Musa*, siue *Mousa*; Itineris duci, Ramæ oriundo, *Atlas*, siue *Attellas*; vterque Christianus, ac Græci ritus homines. Ex Mucharis duo Mauri, tertius Christianus erat. Relictâ itaque ad læuam viâ, quæ Iaffam ducit, iuxta Regum sepulchra *Hieron. in loc. Hebr. lit G.*
(quorum suprà meminimus) Septentrionem versus pergentes, inter
virentia prata gradum fecimus. Quintò ab Vrbe lapide ad dextram *Ios. 18. 21.*
reliquimus Gabee vel Gabaa vicum, olim Leuitarum vrbem, & Regis *1. Paral. 6.*
Saulis patriam, sedemque, vbi à Dauide posteà sepultus est; vnde & *4. Reg. 23.*
Gabaa Saulis nomen accepit. Hîc quondam Leuitæ vxor nimio con- *Iud. 19. 20. 21.*
cubitu à Gabaonitis (qui tribus erãt Beniamin) necata est: ea propter *2. Reg. 21.*
scelus vindicante populo, tota tribus Beniamin, sexcentis reliquis, interijt. Iuxta Gabaa contra viam publicam mons ostenditur, in quo septem filij Saul à Gabaonitis Dauidis Regis permissu crucifixi sunt. Inde ad septimum pergentes milliarium, nunc accliui, nunc decliui semitâ, in loco, cui nomen Bira, siue Elbir (quod nobis puteus seu Cisterna est) substitimus. Pagus est humili impositus colli, ignobilis planè, paucisq; constans Maurorum tuguriolis. Solum habet optimum, Ficubus, Oleis, ac Sesamo sic satis cultũ. Frequens & amplum fuisse oppidum, ingentes etiamnũ ruinæ facilè testantur. Ionathan Machabęum *1. Mach. 9.*
hîc habitasse, ac Macmas antiquitùs appellatũ aliqui volunt. Supremũ *1. Reg. 13. 14.*
collis verticẽ insigne Templũ occupat, D. Virgini Mariæ sacrũ, ex quadratis cõstructũ lapidibus; magnâ tamen hodie ex parte collapsũ, muris duntaxat & Chori parte perexiguâ reliquis, eo exstructũ (vt ferunt

 loco,

Luc. 2. loco, quo olim Deipara Virgo Vnigenitum suum quęrens Filium, annos natum duodecim non esse in comitatu agnouit: quocirca Hierosolymam reuersa cum sponso suo Iosepho, dum ipsum summâ diligentiâ quærit, tandem in Templo disputantem in medio Doctorum inuenit. Ad dextrum Templi internum latus, ruinis quasi sepultum, labrum visitur marmoreum, etiamnum integrum, quod baptisterij loco quondam fuisse, forma ipsa ad modum Crucis satis indicat. Hîc pro more à Peregrinis oratur, legiturque Euangelium à Fratribus Minoritis, rem ibidem gestam enarrans: quod & nos præstitimus.

In ipso collis initio, ad læuam viæ fons occurrit, optimis abundans aquis, iuxta quem piscinæ visuntur duæ peringentes, è quadratis fabricatæ lapidibus, quas aquarum pluuialium receptacula fuisse opinio est: temporis autem iniuriâ collapsæ, hodie neglectæ iacent, nulliusq; vsus sunt.

E regione fontis, Meridiem versus, ædificium amplissimum ac vastum, instar arcis seu oppidi, muris vndique cinctum conspicitur concamerato opere, pauimento tectum subdiali, latam & patentem in medio continens aream. Huiusmodi autem ædificia per vniuersam ferè Syriam, cæterasque Turcicæ ditionis regiones, cùm intra tum extra vrbes atque oppida, & in locis etiam desertis, & ab vrbibus quàm longissimè remotis, visuntur plurima. Mauri & Arabes Arabico vocabulo ea *Chan* vocant; Turcæ *Charauanserai*, hoc est ædificium destinatum Charauanis: nos Pandocheum, aut hospitium, seu diuersorium publicum rectè dixerimus. In eâ quippe, præsertim extra vrbes constituta, Charauanæ (quæ hominum agmina sunt nonnumquàm maxima) cum equis, mulis, asinis, & camelis sarcinarijs, ob itinerum pericula turmatim se coniungentium, diuertunt, noctuque conquiescunt. Perpetuæ siquidem Arabum grassationes, excursionesq; suspicionem pariunt; quæ frequentiam illis in locis viatorum congregat, vt imminens periculum auxilio mutuo declinetur. Quæ verò vrbium & oppidorum muris inclusa habentur, habitationis, officinæ, & stabuli loco aduenis sunt, instar Fundaci: sic enim Veneti diuersorium publicum Germanorum negotiatorum ad tempus Venetias se conferentium & commorantium vsui destinatum appellant. Hæc ad Bassas primatesque viros pleraque spectant, & priuati iuris sunt: qui concamerata eorum cubicula, & testudinei operis stabula, mercibus deponendis collocandisque iumentis accommoda, exteris mercatoribus locant, atque ingens inde lucrum quotannis consequuntur. Sunt autem multiformia, alia alijs ampliora & magnificentiora. Vetera aliquantò longiora, quàm lata, ad quadratam tamen formam accedentia: recentiora pleraque quadrangularia. Horum aliqua vnam, quædam

dam binas areas continent; quarum prior ad officinas circumquaque positas pertinet, & Bazarrum seu Forum, itemque Messitam in medio areæ constitutam, plumbeisque tectam laminis complectitur; altera fontem & stabula, ponendisque sarcinis, camelis, mulis, cæterisque iumentis collocandis seruit. Hanc plerumque porticus circuit, sub quâ murus est, superficie planâ, tres circiter pedes altus, ac latus quinque, nonnumquàm sex & ampliùs, lapidibus constratus; quæ aduenis (cùm interior ædificij pars multitudini quandoque Carauanorum non sufficiat) cubicula præstat, vbi & sarcinas deponunt, & cibos coquunt. Quod si vnicam contineat aream ędificium, ea vt plurimùm fontem, & Messitam adiunctam habet. Nonnulla tamen, pręsertim vetera, à Mameluchis exstructa, Messitis carent. Interior ædificij pars, in quâ homines pariter & iumenta pabulum sumunt, & conquiescunt simul ex fornicato constat operè, vel subdiali pauimento, vel plumbo tecta. Hæc aream ipsam ambit, & in quadratum insurgit opus: cuius extremis parietibus (qui fornicatum opus claudunt) murus adiunctus est ęquâ superficie, latitudinis pedum sex, nonnumquàm quinque, quandoque quatuor, prout ædificij ratio postulat. Hæc aduenis cubilia, hęc cœnacula sunt. Nonnullis ad eosdem parietes foci frequentes cum fumarijs sunt inædificati, ad rem culinariam expediendam accommodi. Hîc paries iumenta & homines seiungit; equi tamen ad muri pedem ita ligantur, vt capite ac totâ ceruice promineant, dominisque se calefacientibus aut cœnantibus adstent, velut ministri, panemque si porrigant, aut aliud quippiam de manibus eorum capiant. Cameli quoque sub ipso muro infixis terræ vacerris ferreis, fune distento coniunctis, seriatim capistro alligati pabulum sumunt, mites adeò & innocui, vt licèt muro insidentes ac humi iacentes homines rostro suo tangant, nullam tamen molestiam adferant, præter tetrum odorem. In eodem muro lectos sibi sternunt aduenæ: tapetem aliqui explicant, penulâ superiniectâ, nonnulli culcitram tenuem circumferunt, eaque pro lecto vtuntur; alij gausapinâ se tantum inuoluunt, quidam solo stragulo contenti obdormiunt. Turcis equestris sella ceruical præbet, cæteris vel bulga, vel sarcina, aut lapis aliquis. Nonnulla horum ædificiorum Maratha vel Imaretha à Turçis appellata, nobis Xenodochia, varijs cubiculis sunt distincta: ad quę cuiusuis religionis atque ordinis hominibus, non minus atque ipsis Mahometæis, liber patet accessus: siue enim Christianus quis sit, siue Iudęus, aut Idololatra, arcetur ab ijs nemo. Quinimò nec ipsi Bassæ & Sanıaci, primoresque cæteri indecorum putant cibum in his more mendicorum capere: vti id quidem in hoc itinere frequenti obseruatione didicimus. Mos siquidem ita fert Turcarum, vt singulis qui eo diuertunt,

tunt, modò petant, cibum præbeant, oryzam nempe coctam, vel decoctum ad cremorem hordeum, frumentúmve, aut fabam, cum carnis plerumque vecuecinæ frusto, & colipho vno atque altero, vel pane biscocto: nemini tamen inuito præbetur, sed sumit ex eo qui vult. Et quidem peregrinantibus his cibis gratis vesci licet per totum triduum: posteà mutandum hospitium. Reliqua verò diuersoria longè aliter se habent: non hîc putes cibos venundari, aut gratis dari, vel mensam instrui, lautis varijsque dapibus refertam, quibus dato pretio vesci liceat, vti in nostratibus solet hospitijs: si nihil attuleris, aut quo vescaris tibi præuideris ante, latrante stomacho ieiunus discedes: præter tectum enim, & nudam humum, nudosque parietes, atque aquam frigidam præstant nihil. Quæ singula, prout nobis in itinere occurrerunt, quibusque vsi sumus, suis locis describemus. Nouerit interim lector, vt plurimùm his ædificijs esse custodem, perfectúmve aliquem, præsertim recentioribus, qui portas noctu occludat & referet; qui & hordeum, paleamque tritam (carent enim auenâ Syri, nec fœni apud illos vsus est) viatoribus diuendat. Interdum etiam Genizari deni aut duodeni pręponi ijs solent, qui aduersus iniurias Arabum locum tueantur. Hæc de diuersorijs dicta sufficiant; nunc ad iter pergamus.

In diuersorium igitur, cuius suprà meminimus, duce Interprete nos quoque pro more diuertimus, itineris ducem Hierosolymam reuersum in horas exspectantes: qui vbi primâ postmeridianâ hora Hierosolymitano quodam comite ad nos redijsset, sumpto mox vnà nobiscum prandio de discessu egimus. Ille verò multa adduxit, quibus nobis ne eo die discederemus persuasit. Serum esse, nemorosam viam, latrocinijs infestam, periculis plenam, nec nisi adhibitis ducibus custodibusque patere, distare proximum Chan quindecim ad minus milliaria, nec posse ad illud, priusquam aduesperasceret, vllo modo peruenire, ideoque consultum videri sibi vt pernoctemus. Hæc eadem cùm Interpres, & Mauri, Muchariique confirmarent, obtemperauimus. Interim cùm verspertinum tempus instaret, quo omnium saluti meliùs consuleremus, quóve tutior foret diuersorij locus, senos è vicino pago conduximus Mauros, qui noctè proximâ excubias nobiscum agerent. Veriti siquidem latronum impressiones, qui eo in loco grassari sæpenumerò solent, haud tutum putauimus absque Maurorum præsidio instantem transigere noctem. Sub Solis Occasum in patulo consedimus, cœnamque humi sedentes sumpsimus, non quidem opiparam, aut copiosam, sed frugalem, & naturæ necessitati satisfacientem, contenti his quæ ex Hierosolymis attuleramus. Vix cœnâ peractâ adueniunt Mauri, atque ob noctis algorem, ex arbusculis aliquot aridis (quas collegerant) ignem sub fornice quodam horrido,

& ruderibus pæne oppleto exstruunt, assident suo more, vtque nos etiam assideamus, inuitant. Paremus, non tamen scamnis, aut cathedris, nostratium more, insidemus; sed vel humus ipsa, vel rudera, nobis sessibula sunt, vel vivo sedilia saxo. Post moram aliquam discedimus, noctemque totam vigiles traducimus: Non enim somnus oculis, non quies animo dabatur: sed pars in subdiali pauimento superiori obambulabat, pars in inferiori hærebat areâ, pars iuxta portam excubias agebat. Attamen fauentibus superis quieta nox, felicia omnia, aduersum contigit nihil. Hactenus Hierosolymis duris culcitris, sine linteis, soloq; tecti stragulo indormieramus, iniqua sanè cõditio, homini præsertim Batauo, mollibus stratis plumeisque lectis assueto. Sed leuiora hæc; maiora iam subeunda erant incommoda, relinquenda culcitra; humi cubandum, stratoq; nonnumquam gramineo, etiam sub dio, pluuioque cœlo: neque enim toto terrestri itinere Alepum vsque quisquam nostrûm culcitrâ vsus est; sed substratis humi clitellis, sarcinisq;, aut vestibus, inter Agasonum aulæa cubuimus omnes.

CAPVT III.

Discessus ex Macmas. Difficilis eo die profectio. Silo mons, Lebna, Campus Iacob, & in eo Puteus Samaritanæ, aliaq; notatu digna.

PRIDIE Nonarum Nouembris secundâ antelucanâ horâ, sarcinas â Mucharis colligi, & iumentis imponi, ac maturare abitionem dux iubet. Ij statim dicto audientes, equos asinosque onerant: quibus expeditis iter aggredimur nocte subobscurâ, stellis aliquantulum micantibus. Præcedebant Mauri itineris duces, arcubus, sagittisque instructi: sequebamur pedetentim & nos, arduâ sanè & præruptâ viâ. Illucescente iam die, ad dextram viæ Palmam monstrârunt comites, quam vulgò Delboræ Prophetissæ palmam vocant: sub quâ *Iud. 5.* crebrò eam sedisse, & iudicasse populum Israhel vulgò persuasum est. Inde Aquilonem versus continuantes iter, viâ accliui, decliuique, saxosâ prorsus & aspera, perque frondosas ac densas Cedrorũ & Ilicum syluas, horridos modò montes, saxeasque crepidines, ac rupes, modò valles vmbrosas, & opacas superantes, difficulter admodùm processimus. Occurrebant in viâ præter Cedros Piceas & Ilices, nunc Oleæ, Esculi, Areę, Lentisci & Cocci arbusculę, nunc Charnubi, Terebinthi, Andrachnæ, Alaternæ & Sycomori innumerę. Est autem Sycomorus, quæ & Ficus Cypria dicitur, eò quòd in Cypro abundet, Arabibus *Mumeis* dicta, arbor ingens, atque alta, folijs moro persimilis, nonnihil tamen rotundioribus, atque integris. Fructum fert similem

ficui

ficui domesticæ, sed paulò dulciorem, sine seminibus, palato quidem gratum, sed stomacho noxium: ea propter in pauperum plerumque cibum cedit. Andrachna syluestris arbor est, similis Vnedoni, folio minore, nunquam decidente. De Charnubis & Terebinthis suprà egimus. De Cedris suo loco dicemus. Herbæ prætereà nobiles, puta Tragoriganum, Zygis, Onitis, Maron, Libanotis, aliæque passim in viâ se offerebant.

Iud.18.20.21. *Ioseph.5. Ant.2.* *1.Reg.1.2.3.4.14.* *3.Reg 2.11.12.* Duodecimo à Macmas lapide, ad dextram viæ, montem prætervehimur, omnium qui in Iudæa extant altissimum, Silo antiquitùs nuncupatum; in summo cuius vertice olim ciuitas ædificata fuit eiusdem nominis; in quâ Israheliticus populus plurimos annos, ad Samuelis vsque tempora, sacrificia celebrauit, & conuentus habuit. Arca enim Dei cum Tabernaculo Fœderis multo tempore, vsque dum caperetur à Philistæis, in eo mansit. Templum ibidem à Christianis postmodum exstructum, collapsum hodie penitus & dirutum spectatur.

Iudeæ montibus asperis ac horridis superatis, ad ima cuiusdam vallis Samariæ prouinciæ horâ quasi meridianâ descendimus: mox ad diuersorium amplum, in ipso vallis initio ad radices montium positum, & ex parte ruinosum, diuertimus: Viæ namque longæ molestiâ fessis quiescere nonnihil, ac famem sitimque subleuare erat animus. Ex iumentis itaque iuxta fontem seu cisternam diuersorio proximâ descendimus, ac raptim & stantes cibum sumimus: cumque quatuor vix bucceas comedissemus, ingentem hominum cateruam per deuia montis ex improuiso ad nos properantem eminus conspicimus: equites esse omnes, pedites perpaucos animaduertimus. Terror illicò nos inuadit. Celerrimè itaque iumenta conscendimus, & fugam arripimus; sed frustrà: vix enim medio confecto milliario nos consequuntur. Subsistimus igitur, propiusque accedentes Turcas esse, & Subassij Neapolitani cohortem, insequentem Arabes latronesque, comperimus. Vbi coram astitere, qui simus, quóve tendamus interrogant, Dux noster itineris rationem patefacit; peregrinos nos esse, Christianos, Venetos, atque Hierosolymis Damascum; inde verò Alepum proficisci, respondet. Re intellectâ, verbisque ducis fide adhibitâ, dimittunt immunes. Solus Subassij coquus, cæteris insolentior & inhumanior, quamuis poscenti integros aliquot panes dedissemus; ijs tamen minimè contentus, vt erat vini auidus, vtriculum vino plenum (*Borachium* appellant Itali) muli clitellis alligatum, per vim vni nostrûm eripit, colapho etiam, cùm nonnihil reniteretur, addito. Id autem vbi Subassius resciuit, restitui nobis illicò, sed vacuum, satis humaniter iussit. Metu hoc liberati iter continuamus, vallemq; fertilissimam, oliuetis vndique refertam, amœnissimamque pertransimus mediam,

relicto

relicto ad læuam vico quodam exiguo in Occidentali eiusdem vallis latere, cui olim Lebna nomen fuisse ferunt.

Valle superatâ rursum alta petimus: inde ad tertium milliarum planitiem denuò, seu vallē amplam adspectu pulcherrimam, atque vberis soli ingredimur. Hanc Campum Iacob vulgò indigitant: estque ille campus (vt volunt) quem Iacobum Patriarchā Iosepho filio suo extra fratrū portionem dedisse sacræ testantur Literæ; dicente Iacob ad filium, *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Gen 48. Iof. 24. Vallis hæc longitudine quatuor, latitudine duo tantùm milliaria continet, extenditurq; à Meridie in Septentrionem, montibus, seu collibus fructiferis, cultuique aptissimis, nitidissimisque vndequaque cincta. In extremâ huius vallis aquilonari parte Samaritanæ Puteus seu Fons ostenditur, iuxta quem Saluator Dominus (vti sacra testatur Pagina) Samaritanam allocutus, potum Ioan. 4. ab eâ petijt. Is in orbem lapidibus substructus, marginibus solo eminentibus collapsis, & demolitis saxis, hodie obrutus, & ad summitatem vsque impletus, aquis omnino caret, desijtq; vllius esse vsus. Fano quandoque Christianorum operâ circumseptum fuisse, indicant ruinæ & reliquiæ amplissimæ. Est autem hîc puteus ad sinistrum Chori latus, iuxta Aram maximam.

E regione huius Templi Occidentem versus, angulus extat montis Garizim: in cuius vertice vetustum ædificium formâ sphæricâ spectatur, quod Iouis Delubrum fuisse aliqui existimant: alij tamen à Christianis ibidem exstructum ferunt. Hîc ille est mons, in quo Iosue altare Deo ædificauit, & Deuteronomium populo prælegit; in quo & benedicentes stabant, qui maledicentibus in monte Hebal aduerso stantibus respondebant; fuitque olim ab Israëlitis sacrificij & orationis causâ vel maximè frequentatus. Quod & Mulier Sichemitis innuisse Ioan. 4. videtur, dum à Christo ad colloquium admissa *Patres* (inquit) *nostri in hoc monte adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.*

Haud procul à Puteo, Aquilonem versus, duodecim Patriarcharū, seu filiorū Iacob sepulchra etiamnum extare, & ab accolis frequentari plurimi putant. Quæ dum nos deuotionis ergo pedites adire voluimus, à Mauris in proximo hærentibus impediti, gradum sistere compellimur. Voto itaque frustrati, ad nostri itineris Ducem celeri pede Gen. 33. reuertimur, conscensisq; iumentis Sichen versus procedimus. Sepul- Iud. 24. Act. 7. chrorum locum eum esse volunt agrum quem Iacob emit à filijs Hemor, patris Sichem, centum nouellis ouibus: in quo Deum fortissimū Israël inuocauit, & posteà Iosephi ossa condita sunt.

CAPVT IV.

In Sichem ingressus: ibidem mora; eiusdemq; oppidi situs, & descriptio.

RELICTIS ad dextram Patriarcharum Sepulchris, occiduum versus declinantes, vallem (in quâ Sichem est) ingredimur Hæc ab Oriente in Occidentem procurrit, longitudine tria circiter millia passuum, latitudine quingentos, & ad summum mille passus continens. Vrbs ipsa, quam multi non Sichem, sed Thebas (licèt falsò) olim fuisse putant, montibus vtrimque circumdata, distat à Puteo Samaritano mille fere passus. Soli fertilitate, amœnitate, situsque elegantiâ, ac fontium perpetuâ scaturigine nulli secunda. Suburbana prata aquis irrigua, oliuetis, vineis, viridarijsque exculta, cuiusvis generis arboribus, hortensibus, fructicibusque, præsertim Moris albis (quarum folia ad nutriendos Bombyces aptissima sunt) vel maximè abundant. Melones, Cucumeres, Cucurbitæ, Raphani, Tuberes, Lactucæ, Caules, Boragines in tantâ illîc copia, vt nusquam in totâ Syriâ vberior. Adiacent autem ab Austro & Aquilone duo montes altissimi, ab Australi itemq; aquilonari ventis vrbem vallemque defendentes. Hinc verò miram illîc vigere cœli temperiem; salubremque ideò, amœnam, fortunatamque effici regionem putauerim: ventos siquidem illos plurimùm satis plantisque officere, ac noxios flatus edere, omnibus notum est: contrà his exclusis, ridere prata, ac perpetuò vere autumnoq; gaudere accolas constat. Montem meridionale claudentem latus Bethel olim appellatum, in quo Ieroboam Regem Israël vitulum aureum collocasse legitur, ex aduerso verò Septentrioni oppositum, atque Aquilonari vrbis adiunctum lateri, Dan nuncupatum aliqui volunt: quorum opinioni non facilè adhæserim; sed illorum potiùs veriorem existimauerim, qui eos Garizim & Hebal iure optimo quondam appellatos putant. Nam si naturam & conditionem vtriusque montis spectes, nomina rebus congruere comperias: Ille enim (quem incolæ etiamnum Garizim vocitant) soli vtique fœcundissimi, oliuetis, vineis, viridarijsque vndique cultissimus, fontibusque irriguus, pulcherrimum eò accedētibus præbet adspectum, Benedictionis propterea Mons non immeritò dicendus. Alter verò mons, huic oppositus, Char Ebal dictus, sterilis contrà, horridus, desertus, incultus, petrosus totus, atque aridus, maledictionis nomen accommodè meretur. Nec me mouet D. Hieronymi opinio. Licèt enim vehementer errare Samaritanos scribat, qui iuxta Neapolim Garizim & Gebal montes ostendere volunt, cùm

3. Reg. 12.

Iud. 9. Deuter. 11.

In loc. Hebr. lit G.

cùm illos (vt ait) iuxta Galgalam esse sacra Scriptura testetur, quam quidem ad orientalem plagam antiquæ Hierichus cis Iordanem ponit, vbi Iesus secundò populum Israëliticum circumcidit, & Pascha celebrauit, quodque iuxta Hierichum duos esse montes vicinos, sibi oppositos, vnum Garizim, alterum Gebal appellatum, asserat: alibi tamen testatur iuxta Sichem ad fontem vbi Dominus Samaritanæ mulieri locutus est, Ecclesiam fabricatam esse ex latere montis Garizim. Idem quoque confirmat in Epitaphio Paulæ, vbi scribit Sichem (quæ nunc Neapolis appellatur) exstructam esse ex latere montis Garizim, circa puteum Iacob, super quo residens Dominus, & sitiens, atque esuriens, Samaritanæ fide satiatus est. Quibus equidem testimonijs Samaritanorum opinionem planè confirmat, nec sibi constare videtur. Neque enim videò, quomodo hæc sibi repugnantia conciliari vllo modo queant. Aut enim dicendum est, hunc aut illum librum non esse Hieronymi, aut in altero eorum hallucinatum esse; cùm vtique simul subsistere nequeant: vno siquidem concesso, alterum corruere necesse est. Nam si Garizim propè Galgalam (quæ à Iordane stadijs quinquaginta distat) iuxta primam Hieronymi opinionem ponas, falsum erit Ecclesiam fabricatam super fontem, ad quem Dominus Samaritanæ locutus est (qui Euangelij, atque etiam ipsius Hieronymi testimonio iuxta Sichem est) positam esse è latere montis Garizim: nisi duos dixeris fuisse montes Garizim, vnum iuxta Sichem, alterum iuxta Hierichum, quod nusquam sacra Scriptura indicat. Si verò huius fontis Ecclesiam (cuius etiamnum reliquiæ aliquæ supersunt, spectanturq; ad pedem montis australi lateri vrbis Sichem adiacentis) è latere montis Garizim iuxta Sichem ædificatam asseras, dici non potest iuxta Galgalam situm esse Garizim, nisi duas Galgalas, vnam iuxta Iordanem, alteram iuxta Sichem seu Bethel ponas: quod quidem Hieronymus innuit, cùm dicit iuxta Bethel aliam quosdam Galgalam suspicari. Vnde cùm Scriptura dicat montes Garizim & Hebal esse trans Iordanem, pone viam, quæ vergit ad Solis occubitum, in terrâ Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est iuxta vallem tendentem & intrantem procul; de Galgalâ potiùs eam loqui existimauerim, quæ iuxta Bethel seu Sichem est, quàm de eâ, quæ propè Iordanem esse nonnullis creditur. Quòd verò addit Hieronymus montes iuxta Sichem plurimùm inter se distare, nec posse inuicem benedicentium siue maledicentium inter se audire voces, hoc quidem ob loci distantiam facilè quis crediderit: vrbe namque interiacente mediâ, quasi mille passus disiunguntur. Parum tamen id mihi probare videtur, cùm clamantiũ voces inter concaua montium longiùs personent, quam quis credat: præsertim verò quod sacra Scri-

Deut 11.

In loc. Hebr. Act. Apost. lit. S. ad verb. Sichem. Epist. ad Eustoch. virg.

In loc. Hebr. lit. G. Deuter. 11.

ptura contrarium testetur, referatque Ioathan in vertice stetisse montis Garizim; eleuataque voce clamasse ad viros Sichem, stantes iuxta quercum in Sichem, longumque cum ijs miscuisse sermonem. Quo sanè testimonio planè conuincitur, & montem Garizim iuxta Sichem esse, non autem iuxta Hierichum, vel Iordanem amnem, & clamantis vocem ex vertice montis Garizim ab habitatoribus Sichem in imâ valle commorantibus commodè intelligi potuisse. Non enim censendũ est Ioathan frustrà clamasse ad Sichemitas, nisi iudicasset illos clamorẽ suum exauditturos. Quod si Sichemitæ in imâ valle cõstituti, vocem Ioathan ex summo montis cacumine perceperint, non mirũ si benedicentium, & maledicentium in vtroque monte voces ad populum in mediâ stantem valle peruenerint; maximè cum sacra Scriptura excelsa voce eos clamasse, & non in summis montium apicibus, sed in ipsis radicibus benedictiones & maledictiones promulgatas testetur.
Deuter. 27. Ios. 8. Cæterùm vt meam de hac D. Hieronymi opinione, & quid verè Hieronymus senserit, sententiam dicam, haudquaquam existimauerim virum tam insignem, & Hebraicarum literarum peritissimum, locorumque terræ promissionis exactissimũ indagatorẽ, in re adeò leui lapsum fuisse, ac sibi contraria scripsisse. Igitur veram eius opinionem eam esse iudicauerim, quæ in Epitaphio Paulæ ad Eustochium virginem, itemque in locis Actorum Apostolorum de situ montis Garizim continetur, non autem quam in Tractatu de Locis Hebraicis videre est, quæque priori opinioni planè aduersatur. Nam id opus non esse Hieronymi, sed Eusebij, atque à Hieronymo tantum translatum, ipsum procœmium satis indicat. Sed hæc obiter, nunc ad institutum reuertamur. Mons Gebal aut Hebal antris & speluncis plenus, quasi totus cauernosus est, ab eo præsertim latere, quo vrbem spectat, & maledicentes stetisse opinio est; vbi innumeros etiamnum specus subterraneos videas; quos Hebræorum antiquitùs sepulchra fuisse, multi putant. Neque id absonum putauerim: nam & hodie Mauris, Turcis, cæterisque vrbis incolis sepulturæ loco cedunt.


Iuxta vrbis muros, ab orientali latere Messita visitur, quadratę formæ ædificium, cui fons adiunctus est, aquas suas in subiectum labrum, seu quadrati operis tumbam ex Pario marmore candidissimo effundens. Hanc D. Ioannis Baptistæ quondam continuisse ossa, fama est; à Sebasti autem Samariæ regiâ è Templo ibidem etiamnum extante, ac D. Ioanni quondam sacro, à Saniacco Neapolitano aliâs asportatam, atque eo loci, quo nunc spectatur, ad Messitæ fontisque ornamentum translatam asserunt.

Haud procul inde extra vrbis mœnia, & altera cernitur Messita, iuxta quam sunt ædes satis amplæ, Seriphi siue Santoni cuiusdam habitaculum,

bitaculum, ad quas difficillimus Christianis patet aditus. Referunt indigenæ Sacellum seu cubiculum in ijs extare, arcâ lapideâ ornatum, depictâ in pariete arbore ramorum duodecim, quibus singulis additum est Arabico charactere nomen cuiusque filiorum Iacob; quorum ibi condita corpora idcirco multi putant: licèt alij propè Puteum Samaritanum eorum Sepulchra statuant: Hic vero Iosephi tantum ossa contineri asserant: quod & Hieronymus innuere videtur, & Beniaminus Iudæus in suo Itinerario testatur. *In loc. Hebr. Act. Apost. lit. S.*

SICHEM, quæ & Sichima, vel Sichimi, & Sichar in sacris appellatur Literis, Iosepho Mabortha, Plinio Mamortha, olim Abrahami & Iacobi Patriarcharũ sedes, à Simeone & Leui filijs Iacob, ob stuprum Dinæ sororis vastata, ac posteà sæpiùs rerum immutationem & excidium passa, hodie Neapolis, vel Naplos, seu Naplosa dicitur; Iustini Philosophi & martyris (vt Hieronymus meminit) patria. Estque totius Samariæ vrbs primaria, amœnitate, & delitijs (vt diximus) abundans, inter duos vtrimque posita montes, Garizim & Hebal, figuram referens quasi sphæricã, atque ambitu suo duo circiter millia passuum comprehendens. Aquis autem vel maximè abundat, fontibus vbique per plateas, viasque publicas passim scaturientibus. Insignior cæteris est qui iuxta vrbis Imarethum amplissimum spectatur, marmoreo ornamento decorus, Fons Iacob vulgò appellatus. Hic siue ob aquarum scaturientium vbertatem, siue quòd potu omnium opinione saluberrimus habeatur, præsterq; cæteris in vrbe fontibus, adeò apud omnes vrbis incolas exterosq; celebris euasit, vt nemo non ex eo aquas hauriat, præferatque cæteris fontium aquis. Cunctæ ferè vrbis domus humiles, atque vnius tantum contignationis sunt, paucissimæ ad secundam adscendunt: lapideæ tamen omnes, & subdiali pauimento tectæ; plurimæ verò ruinosæ, collapsæ, & desertæ, vrbi plurimùm gratiæ adimunt, ac fœdam visu multis in locis efficiunt. *Meßitas*, siue *Zumas* quatuor continet, satis amplas, turribus sphericæ formæ (quas *Maidinas* Mauri vocant) spectabiles. Multis in locis vijsque publicis variæ fractæ iacent columnæ marmoreæ. Præstant cæteris duæ miræ magnitudinis & marmoris qualitate eximiæ; quæ semifractæ, & neglectæ in Bazarro veteri, haud procul ab vrbis Imaretho spectantur, suntque Porphyretico lapidi non absimiles, tam crassæ ambæ, vt vix bini homines brachijs connexis eas complectantur: argumentum meâ opinione haud obscurũ, quòd opulenta olim, & sumptuosis, magnificisq; ædificijs ornata fuerit hæc vrbs. In Bazarro nouo, quod ad occidentalem vrbis plagam est, à sinistro seu meridionali viæ latere, vetustæ turris muro viam spectanti infixa hæret basis marmorea, hac inscripitone Græcâ.

Gen. 12. 33. 34. Ios. 13. Ioan. 4. Ioseph. 5. Bel. 4. Plin. lib. 5. cap. 13. Hieron. in Epitaph. Paulæ. In tract. de Vir. illustr.



Reliqua iniuriâ temporis corroſa, & vetuſtate obliterata legi nequaquam dantur. Præter Imarethum, de quo ſuprà meminimus, ampliſsimum quoque in vrbis fere medio viſitur *Chan*, ſeu publicum diuerſorium, quadratæ formæ opus, duplici ornatum porticu, vnâ alteri impoſitâ, ſpatioſam in medio continens aream; cuius vmbilicum fons & Meſſita occupat. Ædificium fornice conſtat duplici; eſtque duarum contignationum: cuius pars inferior animalium ſtabulis deſtinata: ſuperior in quadraginta cubicula ad hominum vſus diuiſa eſt; vnoquoque latere denas cellulas cum ſuis fumarijs continente. Ab anteriori ædificij parte (qua ingreſſus ad Aream interiorem patet) ampla atque excelſa ſpectatur Porticus; cuius vtrumque latus rerum venalium officinas plurimas comprehendit, & indigenis loco Bazarri ſeu Fori publici ſeruit. Eſt autem totum lapideum, & plumbeis laminis tectum: additque vrbi magnum ornamentum. Incolæ Mauri plerique, partim quoque Iacobiticæ ſectæ Chriſtiani, partim Turcæ, & Iudæi ſunt: quibus in iure dicundo hodie præſunt tres ſupremi magiſtratus, Saniaccus, Cadius, Subaſſius: de quorum munere alibi egimus. Iudæi Samaritani ſunt omnes, Cuthei etiam dicti, nec non Aharonitæ,

haronitæ, quod originem ab Aharone ſe ducere affirment; ideoque cum cæteris Iudæis extra familiam ſuã matrimonia nulla ineant: nam genus illorum alijs immiſceri piaculum eſſe putant.

Vrbem ingreſſi, ad proximum diuertimus Charauanſeraium, ſeu diuerſorium publicum, iuxta vrbis muros, loco accliui, & in ipſo pede montis Garizim poſitum, ruinoſum maiori ex parte, & caſui proximum. Horridam dixiſſes ſpeluncam, imò potiùs latronum receptaculum, non diuerſorium Parietes fumo obfuſcati, atri Vulcani officinam referebant. Pauimentum non lapide ſtratum, ſed puluere & ſtercore tectum, haram porcorum oſtentabat. Oſtium, aut feneſtræ, quæ noctu occluderentur nullæ. Denique præter horrorem & tetrum odorem nihil erat quod conſpiceres, olfaceréſve. O bellum diuerſorium, cui nihil minùs quàm nomen diuerſorij conuenit, quãtùm differs à noſtratibus? In his omnia nitent, omnia ſplendent, varia hic ſupellex, vinaque varia, menſa inſtructiſſima, lecti molliſſimi: in illo contrà horum omnium ne vmbrà quidem: vt verè hic dixerim Syriam nobis patrias delicias planè ex animo deleuiſſe, memoriamque earum obliterauiſſe: ſed hoc ſaltem nobis pacto profuiſſe, quod ad reliqua ferenda poſtmodum idonei facti fuerimus. Sarcinis igitur ſub dio relictis, Agaſonum ſeu Mucherorum operâ pauimentum ſarmentorum faſciculo verri, & in angulum diuerſorij ſordium pulueriſque cumulum projici curauimus: mox ſarcinis intro portari iuſſis, loco patulo conſedimus, & humi ſedentes cœnam ſumpſimus. Licèt autem horrorem omnibus incuteret, eâ tamen ratione gratum nobis hoſpitium fuit, quòd non ſolum tectum, ſed & lætum proſpectum præberet: nam ex editiori eo loco magnâ cum voluptate totam ferè vrbem luſtrare dabatur. Hæſimus ibi toto biduo, Chiecagiæ Conſtantinopolitani exſpectantes aduentum, cum quo Damaſcum proficiſci propoſueramus. Is ſiquidem pridie ante noſtrum ex Hieróſolymis diſceſſum Lyddam profectus, Diui Georgij Fanum voti cauſâ inuiſurus, inde Neapolim ſiue Sichem venire decreuerat. Eſt autem Georgij delubrum Mahometæis vel maximè venerabile, votiſque percelebre, ob martyris ibi conditum corpus: quem ſuæ ſectæ militem fuiſſe autumant, ac *Deſeleth tozatel* id eſt candidi equi militem vocant, ideoque in ſummo honore habent. Vbi verò renunciatum eſſet concilium mutaſſe Chiecagiam, & à Lydda digreſſum, recto itinere Galilæam verſus pergere, nec acceſſurum Sichem, periculum in morâ rati, parare abitum, ac cœptum proſequi iter ſtatuimus, vt eò citius in eius eſſe comitatu liceret, fieretque nobis eodem duce ſecurius iter. Quàm ocyſſimè igitur diſcedendi veniam per Interpretẽ ab vrbis Præfecto impetrari curamus: non enim niſi cum veniâ, pretio

tio priùs emptâ, ab vrbe discedere, quod Frangios nos esse subodoratus erat, licuit. Sunt siquidem Turcici magistratus plerique pecuniæ auidissimi, quibus nisi cum munere adsis, surdæ sunt aures: nec quicquam concedendum putant, nisi donis muneribusque prius placati. Fungebatur tum Saniaccatus munere, qui præcipuus est vrbis magistratus, Saniacci Gazeræ filius minor, Hierosolymitani Saniacci frater: propter ætatem tamen, per Chiecagiam, cognomento Misemis, patris sui mancipium, & abiectæ conditionis hominem, rempublicam administrabat. Præter titulum autem nudumque nomen vterque filius habebat nihil; summâ rerum penes patrem manente; cui omnis Palæstina obtemperare cogebatur. Is siquidem peculiosus maximè, ac rerum copiâ diuitijsque affluens, summæ apud suos auctoritatis erat, adeoque se omnibus Palæstinæ indigenis formidabilem reddiderat, vt nemo esset qui eius imperium recusaret.

CAPVT V.

Ex Sichem discessus. Sebastes vrbis situs, & conditio: Maurorum ibidem cum nostris Mucharis Litigium, & discrimen nostrum maximum. Ad oppidum Gilin seu Chilin appulsus, eiusq; descriptio.

SEPTIMO Id. Nouembris, sub auroram, à Sichem discedimus, continuâ concomitante nos pluuiâ: atque ita pergentes, cùm tempus & præsens occasio diuturnam moram non permitteret, nec subsistere, aut sub tectum nos recipere daretur, circa tertiam diei horam, post colles vallesque plurimas, incultas plerasque & desertas, viâ modo accliui, modo decliui superatas, Sebasten venimus, Samariæ quondam regiam, duodecimo à Sichem positam lapide.

3. Reg. 16. 15. Ant. 9. & 1. Bel. 6. Vrbs hæc Hebraicè Samrah vel Somer ab Amri rege Israhel condita Iosepho Samaritis, Ectenias, & Marion est postea in honorem Cęsaris Augusti ab Herode Antipatri filio Σεβάστη, hoc est Augusta, appellari cœpit. Fuitque olim Regũ Israhel sedes & regia: quibus exstinctis, Herodes Galileæ & Samariæ tetrachæ in eâ sedem posuere. Est autem sita in vertice montis amœnissimi, cui Semeron antiquitùs nomen fuit, ex quo longissimus quaqua versum patet prospectus: *2. Paral. 13 3. Reg. 16.* quem Amri Rex Israhel duobus talentis argenti à Semero eius domino emit, vrbemque in eo condidit. Olim quidem superbissimorum ædificiorum structurâ clara fuit: eam tamen cùm Hircanus Iudæorũ summus Pontifex fossâ, duplicique muro circumdedisset, cinctamque per octoginta stadia per filios Antigonum & Aristobulum tandẽ *Ioseph. 13. Ant. 17.* expugnasset, solo adæquauit. Quam rursus Herodes Antipatri filius à funda-

à fundamentis instaurauit, firmissimisque portis, ac muro validissimo per viginti stadia muniuit. Templum etiam maximum, sesqui stadij magnitudine, modis omnibus ornatissimum, Augusto Cæsari dicauit.

Hodie adeò deuastata est tota ciuitas, vt præter lapidum aceruum & ruinarum molem, ac nudam humum, conspicias nihil. Neque enim ex tot veterum monumentis & regijs ædificijs quicquam superest, quam tres ingentium columnarum è marmore ordines, quæ in supercilio montis etiamnum stantes supereminent; quas platearum sustinuisse testudines plurimi putant; alij tamen regij Palatij, ac deambulatoriorum monumenta esse dicunt. Diuus Ioannes Baptista, Herodis iussu, suadente Herodiade Philippi fratris sui vxore, quam *Marc. 6.* inuito fratre sibi pellicem adiunxerat, gladio cęsus, hîc palmam martyrij accepit, & à discipulis sepultus est. Locum Christiani postmodum rerum in Syriâ potientes insigni Ecclesiâ illustrârunt: cuius vtrimque parietes etiamnum integri extant; cætera collapsa omnia. Torquebat omnium nostrûm animos, cùm hîc hæreremus, cupido inuisendi Sanctissimi Præcursoris Domini Sepulchrum, sed ruinarum mole obstructis portis, nullus dabatur aditus: tandem ductore Interprete per foramen in imâ parietis parte excisum, quod Maurus quidam ostenderat, proni adrepentes ad interiora Templi penetrauimus, locosque tumulo quondam Ioannis Baptistę, nec non Helisæi & Abdiæ prophetarum monumentis celebres inuisimus. Dum verò precibus intenti laudes hymnosque in Ioannis prophetarumque memoriam pro more concinimus, Mauri (qui sordida quædam tuguriola, seu antra potiùs, in decliuitate montis, iuxta Ioannis Baptistæ *Hieron. in Epitaph. Paulæ* Templum, ex congestis lapidibus sine calce aut limo, rudi modo coaceruata, inhabitant) superiorem Templi partem occupant, stomachantur in nos, derident, conuicijs, probrisque lacessunt, lapides in nos dejiciunt, atque exire Templo compellũt quâ venimus viâ, haud sine molestiâ, maiori tamen terrore quàm damno. Vbi verò ad altiora euasimus, Mauros & Mucharos nostros inter se rixantes inuenimus; quorum iurgium vsque adeò creuit, vt à verbis & contumelijs ad pugnas & verbera veniretur. Clamoribus interim in cœlum vsque omnia implentibus Mauris; accurrunt propterea & reliqui eius loci incolæ, atrocia minantur, & in Mucharos nostros irruunt. Vix à sanguine & cæde abstentum: & nî Interpres, sedatis Maurorum animis, pacem inter vtrosque composuisset, fortassis omnes in præsens discrimen incidissemus. Periculum itaque in morâ rati, barbariemque & insultus Maurorum veriti, statim inde auolamus; nec ob tam festinatum abitum cætera antiquissimæ ac Regiæ vrbis loca, & rudera ingen-

tia, montiſque ſupremum verticem, & in primis ſeriem illam columnarum, vti vel maximè optabamus, cominus accedere & perluſtrare licuit.

Relictâ igitur à læuâ Samariâ, ſiue Sebaſte vrbe, in vallem propinquam deſcendimus, vbi ſub ficu viæ proximâ ducem noſtrum (qui in itinere cum Turcis ſibi obuijs ſubſtiterat) exſpectantes, atque æſtũ fugientes, nonnihil quieuimus. Mox vbi aduenisſet, cœptum carpſimus iter, colles vbique amœnos, & fœcundos, vberrimis & lætisſimus interiacentibus vallibus, ſuperantes; in quibus etſi nulla ferè cultura exerceatur (vacua ſiquidem eſt habitatoribus regio) ſui tamen ſitus amœnitate adſpicientium oculos mirum in modum perſtringũt, oblectantque. Spectantur etenim hîc circumcirca Olearum & Lentiſcorum ſyluæ, perpetuis frondibus vireſcentes, amœnisſimæ quoque oræ Myrtis refertæ pasſim in itinere occurrunt. Vliginoſa adhæc atque vberrima paſcua, multa herbarum ac florum varietate ridentia, plurimis in locis conſpiciuntur.

Sole ad Occaſum vergente, Gianin, ſiue Ginum, vel (vt alij volũt) Gilin, ſeu Chilin, vltimum Samariæ prouinciæ oppidum, ac terminum peruenimus. Id ad radicem montis Ephraim poſitum, diſtat à Samariâ vrbe duodecim millia pasſuum, habitatore ſic ſatis frequens. Incolæ plerique Mauri, Chriſtiani pauci, Turcæ paucisſimi, Nullis autem cùm ſit cinctum muris, vicum potiùs refert, quàm oppidum. Fertili gaudet ſolo, ſitumque habet pulcherrimum: nam valli latisſimæ imminet, lætisſimumque inde in circumvicina loca monteſque Gelboë (qui è regione ſunt) proſpectum præbet. Hîc Chriſtum decem mundaſſe leproſos ferunt; quorum vnum poſt mundationem
Luc. 17. reuerſum, Saluatori gratias egiſſe ſacra Scriptura teſtatur. Pernoctauimus hoc loco in diuerſorio publico amplisſimo, & pinnatis cincto muris, inſtar oppidi, duas areas amplisſimas, ędeſque plurimas continente. Arearum altera inſigni Mesſitâ teſtudinei operis, ac plumbeis laminis tectâ, itemque Cadij ædibus latisſimè patentibus, altera fonte & fornicibus amplisſimis Carauanorum vſui deſtinatis conſpicua eſt. Præter Cadium nullus hîc magiſtratus. Is in oppidanos iuris dicundi facultatem habet.

CAPVT VI.

Salem, Naimq́ oppida. Montes Gelboë, & Hermon. Nazareth oppidum, eiuſq́ ſitus & conditio. Variæ ibidem toleratæ à Mauris ducibuſq́ itineris contumeliæ, iniuriæ, exactiones.

POSTRIDIE, qui ſextus Id. Nouembris erat, ſecundâ antelucanâ horâ excitamur omnes à Mucharis noſtris, equitandum nobis eſſe

esse incondito clamore obstrepitantibus, Vnde dulci rupto somno, statim spissis nos credimus vmbris, atque oppido Chilin discedimus. Ad quartum inde milliarium vetusti cuiusdam delubri rudera & ruinas peringentes prætergressi sumus. Id autem eo loci à Christianis, quondam exstructum ferunt, quo Apostolos suos spicas in die Sabbathi colligentes Christus defenderit.

Inde ad octauum milliarium, Aquilonem versus, oppidum Salem Melchisedech Regis panis & vini oblatione, ac sede, atque Abrahæ ab eo datâ benedictione (vt vulgò persuasum est, celebre, ad dextrâ reliquimus. Id nunc solo tenus dirutum, exiguum atque ignobilem refert viculum. *Gen. 14.*

Hinc ad pedem montis Gelboë continuantes iter, vallem mox Iesrahel, crebris olim famosisque conflictibus Gedeonis, Saulis, Achab, & Tartarorum contrà Saracenos illustrem, prętervehimur. Mox monte Hermon à dextris relicto, in eius aquilonari latere Naim oppidum eminus conspeximus.

Montes Gelboë & Hermon ab Occidente in Orientem ad Iordanem vsque amnem pertingunt; quos intersecat vallis Iesrahel, monte Gelboë ad Austrum, Hermon ad Aquilonem valli adiacentibus, sex circiter milliaria (quod spatium vallis latitudo continet) disiunctis. Sunt autem quibusdam in locis aridi, petrosi, & steriles, quibusdam lætissimis pascuis vberes. Ob cædem verò Saulis & filiorum eius in sacris Literis percelebres. Hîc namque cùm contra Philistęos exercitum duceret, castrametatus, & ab hoste fusus Rex Saul, proprio gladio cecidit, vnaque Ionathan cum duobus fratribus interemptus est: quibus idcirco pluuiæ ac roris defectum Dauid imprecatus est. Atque hinc plurimi sterilitatem horum montium imprecationi Dauidis attribuunt; cùm tamen & alios eiusdem conditionis montes ibidem videre sit. *Iud. 6.7. 1. Reg. 31. 3. Reg. 10. 1. Reg. 31. 2. Reg. 1. 21. 1. Paral. 10.*

Naim seu Nain oppidum, filij vnici viduæ resuscitatione in sacris Literis notum; hodie perexiguum & obscurum refert pagum, paucis habitatum Mauris, situm (vt diximus) in latere septentrionali Montis Hermon minoris, in secundo milliario Montis Thabor, haud procul ab Endor, quem præterfluit Torrens Cison. *Luc. 7. Hieron. in Epitaph. Paulæ.*

Naim à dextris relicto, ad Occidentem fleximus, ac Torrentem Cison, vallemque Esdrelon mediam transeuntes, ad montana Nazareth iter direximus. Tantus autem hic erat æstus, vt terra scissuris confracta viscera panderet, hiaretque calore: nos quoque Sole medio flagrante cœlo, vehementissimo torrebamur ardore. Valle superatâ, in humili quodam vico, cui Buria nomen, ad montium Nazareth radices posito; ex iumentis descendimus, reliquum itineris

Nazareth vſque ad adſcenſum montis difficilem & arduum, ac præruptas præcipiteſque ſemitas pedibus facturi. Sarcinis itaque depoſitis, ac ſub ducis noſtri cuſtodiâ relictis, iter aggredimur. Erant itineris comites Interpres, ac duo Muchari, duo item Mauri, eius loci incolæ, arcubus iaculiſque inſtructi, ab itineris noſtri duce conducti; vt nobis contra latronum infeſtationes (quæ frequentes ibi accidere ſolent) Maurorumque inſultus præſidio eſſent, reducerentque ſaluos vnde eduxerant. Vix dum autem ad iactum ſagittæ progreſſi eramus, cùm ecce alij quatuor ſubſequuntur nos Mauri, qui gradum ſiſtere cogunt, ac velle ſe comitari nos obſtrepitant: ſibi enim vti veris Caffararijs, huiuſmodi emolumenta deberi, non illis, cum quibus dux noſter pepigerat, aiunt: Hi contrà audacter id negant, legitimos ſe eſſe duces, & caffararios, pepigiſſe nobiſcum, ac ſtandum pacto, illos verò, quòd ſerò venerint, ſibi imputare: neque enim ſe iure ſuo ceſſuros vnquam reſpondent. Dum ad hunc modum inter ſe diu rixantur Mauri, atque mutuis ſeſe conuicijs laceſſunt, nec cedere alteri alteris volunt, Mucharorum alter, noſtri itineris comes, maximum nobis imminere periculum ratus, ſi iter proſequamur, reuertendum eſſe ſtatuit. Hortatur itaque & admonet, ne progrediamur cum barbaris: quod ſi in propoſito perſiſtamus, ſeſe ſolum ad ducem rediturum ait. Nos aſtum hominis veriti, ac ne ſtudio id faciat, vt itineris incommoda effugeret, arbitrati, ipſius parere monitis, ac ſequi conſilium recuſamus, præ nimio enim deſiderio inuiſendæ vrbis Nazareth, quæcunque accidere poſſint pericula, obfirmato animo pati decreueramus. Diſcedit itaque ille, nobis renitentibus, reditque ad herum ſuum. Remanent nobiſcum Interpres, atque alter Mucharus, Chriſtianus vterque. Priuſquàm verò progrederemur vlteriùs, Maurorum componi litem curamus; atque animũ vtriſque noſtrum per Interpretem exponimus; nihil nos curare qui ex illis nos comitentur, non eſſe noſtrum inquirere ad quos huiuſmodi emolumenta ſpectent: viderint ipſi quibus debeantur: Interim id ſciant præter promiſſam mercedem nihil nos ſoluturos: Rogare itaque inter ſe conueniant. Quod ſi non faciant, iam iam reuerſuros ad ducem noſtrum. Illi vbi id nobis animo fixum ſedere, ac reditum parare animaduertunt, vt erant ingenio vafro, & ad fallendum maximè apto, pacem compoſitam ſimulant, promiſſâ mercede ſe contentos fore reſpondent, & licèt omnes nos comitentur, animi cauſâ id facere, atque è re noſtrâ futurum ſi maior adſit comitatus: proinde procedamus alacriter, nec dubitemus quippiam, ex voto ſucceſſura omnia. Credimus barbarorum perfidiæ, vaniſque promiſſis, ſed magno noſtro malo: quos enim nobis ſubſidio futuros ſperabamus, hos

hos nobis damno & nocumento maximo fuisse re ipsâ posteà cognouimus. Continuamus itaque iter, atque arduà quadam viâ, & præcipiti semitâ, altum petimus. Vbi ad montis verticem venimus, planitiem amœnam & herbidam offendimus: quâ superatâ, paulò post vrbem Nazareth læti eminus conspicimus. Inde viâ decliui ad imam vallem descendimus: eaque ponè relictâ, collem rursum (cui vrbs ipsa insidet) adscendimus. Hæc pulchra quondam & florens Galilææ ciuitas, Christi in primis conceptione, educatione, eiusque matris Mariæ habitatione clarissima, omni hodie ornatu & cultu destituta, ac suis pænè ruinis sepulta, vix humilem & abiectum refert pagum. Præter collapsas enim domos, arcus, murosque vetustos, ac viles aliquot domunculas, Maurorum habitacula, nihil est quod cernas. Hæ in foueis exstructæ, intùs & foris lapidibus sine calce aut argillâ temerè sepiuntur, vt extra vix domus appareant: adeò, vt si quis locorum imperitus ad oppidum venerit, naturalem arbitraturus sit lapidum esse congeriem, non hominum habitaculum, in domuum medio domos quæsiturus. Situm tamen habet pulcherrimum, & amœnissimum, soloque gaudet vberi: posita siquidem in costâ montis cultissimi, & nitidissimi, Meridiem respiciente, amœnis vndique & fœcundis collibus septa, valli imminet, vberrimus pascuis, fructiferisque campis opimæ. Incolæ Mauri omnes, atque omnium pessimi, quos toto itinere experti sumus: Duo tantum hic è plurimis superstites Christiani: reliqui vel morbo exstincti, vel (vt intelleximus) ab iniquâ illâ generatione trucidati. In vertice montis oppido proximi, Meridiem versus, Templum cernitur semidirutum, à Christianis exstructum, iuxta locum qui Saltus Domini appellatur, quo Iudæis Christum Saluatorem præcipitem dare volentibus, ipse transiens (vt sacræ referunt Literæ) per medium illorum ibat. Ad radicem eiusdem montis, iuxta Maurorum tuguriola, in ipso oppidi ingressu, vbi Deipara Virgo ab Angelo salutata fuit, inclytum religione Templum extitit, Annuntiationi Virginis sacrum, Archiepiscopali olim sede præcellens, ex quadrato constructum saxo, columnis marmoreis, porphyreticisque sublime, & peramplum, sumptu atque magnificentiâ insigne: vti ex ingentibus columnis, partim cõfractis, partim ruinis sepultis, cæterisque Templi reliquijs, altissimisque parietibus, etiamnum extantibus colligitur. Ad iactum lapidis, Septentrionem versus, ruinæ conspiciuntur arcuati operis, orientalium Christianorum quondam Delubri, Gabriëli Archangelo (vt ferunt) dicati, & super fundamenta domus Iosephi, nutritoris Domini exstructi. Iuxta hunc locum fons est optimas emittens aquas, quẽ Mariæ Fontem vulgò indigitant, quòd ex eo Maria Virgo aquam hausisse,

Math. 2. 4. 13. Luc. 1. 2. 4. Ioan. 1. 1. 2.

Luc. 4. Hieron. in Loc. Heb. Act. Apost. lit. N.

Hieron. in Loc. Heb. Act. Apost. lit. N.

hausisse, eamque bibisse, & linteola filij sui ad eundem fontem lauisse asseratur.

Dum oppido pedites appropinquamus, in ipso adscensus initio peringens Maurorum cuneus fit nobis obuius. Inclamitant barbari, rabida in nos maledicta conjiciunt; verbisque ignominiosis prosequuntur, detestantes & fidem nostram, & genus. Progredimur nihilominus, & salutamus pro more gentis comiter omnes, capite inclinato, manibusque ad pectus compositis, qui Turcis Maurisque salutandi mos est. Interim præcurrunt aliqui, vt ostium Sacelli Annuntiationis Virginis (quod sub maiori Ecclesiâ est) occupent, atque ingressum prohibeant. Nos per Interpretem aditum petimus, munusculum ab exteris dari solitum pollicentes. Illi Cechinum à singulis expetunt. Nos nimium illos petere: sufficere Sultanium seu Cechinum pro omnibus: pauperes nos esse de industriâ subjicimus. Profiteri autem se egenos, imò paupertimos, ijs in partibus, Occidentalibus vel maximè necessum est. Id enim nisi quis faxit, vel vanijs Turcicis, vel manifesto vitæ periculo se reddet obnoxium. Post multa, in duos Cechinos cum barbaris paciscimur: ijsque ante ingressum numeratis, præeuntibus illis introducimur. Descendentibus singuli singulis in fidei nostræ despectum impingunt colaphos, addunt verbera, & canes, porcos, bestias, atque infideles appellant: nobis interim hæc omnia vt externis æquanimiter & tolerantibus & dissimulantibus; cùm & tēpus & locus id maximè postularent. Nam si ægrè quid feras à barbaris, ferendum tamen; aut si reclames, resistásve, in peius ne incidas, verendum est. Descenditur autem per gradus lapideos duodecim ad locum subterraneum, rupi incisum, vbi Virgo Maria ab Angelo salutata dicitur. Is sub ipso Choro superioris Ecclesiæ (vt diximus) in tres diuiditur cellulas, subterraneas sibi cohærentes, quarum prima longitudine pedes decem continet, latitudine sex; estque Altari decorata lapideo, sicut & media; sed sex tantum per quadrum habet pedes, vt postrema quatuor: In mediâ, ab occidentali latere duas ingentes videre est columnas marmoreas, fusci coloris, candidis interuenientibus maculis, distantes inter se pedes circiter quatuor: quarum vna Meridiem respiciens eo fertur posita loco, quo Angelus Beatissimam salutauit Virginem, opposita illi vbi precibus intenta sedebat, dum ab Angelo salutaretur. Precibus solitis hîc à Minoritis peractis, & rei gestæ historiâ Euangelicâ recitata, abitum paramus: cumq; iam scalæ essemus proximi, accurrunt Mauri, atq; exitum negant. Nos rei nouitate attoniti & perculsi, causam per Interpretem quærimus: nec enim quicquam debere putabamus nos ampliùs, cùm anteà ipsis ex voto satisfecissemus. Illi cortesiā se velle (ita gratuitum appellant donum, huma-

humanitatis causâ dari solitum) respondent: nos, si exitum permittant, præstituros promittimus. Renuunt immanes barbari, atque omnis rationes expertes: addunt etiam minas nisi obsequamur illicò. Interim Maurus quidam ostio proximus, securim manu tenens, primũ prodeunti se conscissurum caput inclamitat. Reuocamus gradum itaque, & precamur vt quam velint cortesiam, exponant; obtemperaturos nos, quoad poterimus. Negant iterum, adduntque minas denuò ad maiorem metum. Nos rursus obnixè Interpreti saltem exitum concedant, vt de pretio cum illis agat, rogamus. Vix id tandem annuunt. Interprete egresso pueri, feminæ, alijque clamores tollunt, per Sacelli fenestras lapides & maledicta in nos ingerunt. Vix occultandi locus: & nisi in angulo extremi Sacelli nos abdidissemus, lapidibus obruti fuissemus. Post longam moram, redit Interpres, & Mauris pretio sedatis, exeundi veniam obtinuisse renuntiat. Læti igitur, etsi læsi, & lapidibus contusi, antro egredimur. Dumque altum petimus, circumstant Mauri, atque ostio proximi, rursum colaphos incutiunt, cedunt, maledicunt, execrantur. Antro seu carcere verùs hoc modo egressi, etsi reliqua mysterijs notata loca adeundi summa nobis cupido esset, minis tamen Maurorum exterriti, ac veriti nouas insidias, illicò abiuimus; eminus ea conspicari contenti, cùm cominus accedere non liceret. Mediâ ferè superatâ valle, Mucharum nostrum abesse comperimus; quem dùm opperimur, accurrit ocyus Christianus quidã Nazareus, vrceolum aquæ ex fonte Mariæ (cuius suprà meminimus) afferẽs: gratissimum sanè donum. Bibimus ex eo omnes. Mox hominem donatum, gratijsque actis, dimisimus. Cùm autẽ diutiùs Mucharus morã traheret, ne rursum barbari nos insequerentur, cunctantiùs progredimur: binis tantũ comitantibus nos Mauris, & Interprete. Vallem trangressi, proximũ adscẽdimus montem: in cuius summitate rursum subsistimus; donec tandem Mucharum cum cæteris Mauris celeri aduentantẽ gradu conspicimus. Vbi accessere, barbaros in causâ fuisse, quod morã traxerint, referũt; eos quippe equis nostris ephippia detraxisse, nec voluisse nisi ære redẽpta restituere. Hæc cùm narrarẽt, efferendũ esse malum respõdemus, vtque iter continuẽt, rogamus. Prçcedũt igitur, sequimur & nos: verũ vix viginti progressos passus, gradũ sistere cõpellũt Mauri, primi itineris duces, promissam sibi expetẽtes mercedẽ. Nos nullã nobis superesse pecuniã, nec posse illorũ votis satisfacere; deducant nos ad proximũ pagum, ibi ducem nostrũ ipsis soluturiũ respondemus. Illi cõtrà priùs quàm eo discedamus loco, sibi satisfieri velle, & nisi pareamus, statim verberibus nos oneraturos minãtur. Nec mora fustes arripiunt, retrorsum nos abigunt; ac quosdam progredi volentes fuste grauiter mulctant. Coacti igitur quod petierant soluimus. Quibus cùm

canina

canina ora, manuſque ferales argento obſtruxiſſemus, ſatisfactum iam omnibus eſſe arbitrati, progredimur. Aſt non multò poſt referre pedem vrgent & reliqui quatuor; vtque ipſis tantundem demus, imperant. Obtemperandum protinus, niſi rurſum fuſtes experiri, ac vapulare malimus, inclamitant. Quid multa? nullus neque excuſationi, nec rationi locus. Cædunt iterum fuſtibus nonnullos, in fugam vertunt omnes, ac Nazareth verſus abigunt. Mox reuocant, ac nî pareamus ſe ſagittis nos eſſe transfixuros minantur. Fracti animo, ac metu & minis exterriti, inuiti barbaris obſequimur. Quid enim inermes contra armatos? Quid contra paratos imparati? Quid linguæ & locorum ignari, in barbarico ſolo conſtituti, atque hoſtibus vndique ſepti, pauci cõtra multos egiſſemus? Sanè nihil reſtabat aliud quam vt forti animo aduerſa hæc ferentes, & tempori ſeruientes & loco, ipſi ſpe meliorum nos conſolaremur, cùm præter obſequium & patientiam nullum nobis ſupereſſet remedium. Solutione hac ſe cõtentos ſimulant, pergunt iter: ſubſequimur & nos. Superato autem montis faſtigio, vbi ad locum quendam præruptum & præcipitem venimus, tertiò viam intercludunt, ac gradum figere impellunt, & corteſiam (vt ipſorum verbo vtar) ſe velle exponunt. Demulcere verbis barbaros, excuſare denuò, ac deprecari obnitimur: ſolutionẽ ſaltem vt differant, dum ad proximum pagum ventum ſit. Nil tamen valuere preces, promiſſioneſque: nullæ denique admiſſæ excuſationes, fruſtra tentata omnia: obtemperandum clamitant, & niſi ſponte pareamus, vim illaturos. Nec mora: fuſtibus rurſus in nos ſæuiunt. Vapulamus innoxij, nemo tutus, vna omnibus conditio, ſenio nequaquam parcitur, nec ſtemmati. Neque his contenti immanes barbari, ictus ictibus accumulant. Interpretem namque ac Mucharum, vt magis, ac ſuo pro arbitrio graſſari in nos, ac ſæuire poſſent, abigere conantur. Reſiſtunt illi pro viribus, ac verbera licèt excipiant, ictuſque plurimos, non tamen diſcedunt. Nonnulli præcipites ſe nos daturos minantur, in terram protrudunt aliquos, adduntque verbera. Quibus cùm vnus reſtitiſſet, ac pugnum vni illorum intuliſſet: ille irâ concitus, ac frendens, pugione (quam Cugnaram vocant) hominem inuadit; ac nî Interpres ictum fruſtraſſet, confodiſſet, aut vt minimùm grauiter læſiſſet. Dum hæc in nos moliuntur truces Mauri, feræ feroces, non homines, inexſpectatò, ac velut è cœlo demiſſus ſuperuenit Chriſtianus ille Nazareus, qui paulò ante aquam nobis è Fonte Virginis propinauerat: oportunum ſanè nobis ſubſidium, ac ſalus. Is enim, re intellectâ, truculentos barbaros placat, timorem ſoluit, atque efficit vt ſceleratorum manus euadamus: ſedatiſque eorum animis, quantum corteſiæ ſoluendum illis ſit, indicat. Cui obtemperan-

temperantes, ac gratias agentes, quod indicasset, soluere Interpretem iubemus; Christianum verò vt nobiscum maneat, atque ad proximum comitetur pagum, obsecramus. Hoc periculo ac metu liberati, Deo Opt. Max. quòd periclitantibus suppetias tulisset, atque Angelum misisset, qui nos è latronum manibus liberaret, gratijs actis, pagum versus pergimus, decliui ac præruptâ viâ. Vbi in imam vallem venimus, quartò iam aggrediuntur nos Mauri: rursumque pecuniam exposcũt, terrentque minis: interueniente tamẽ Christiano illo Nazaræo, feritatem deponunt, & à vi abstinent. Interim illorum primarius, sed ætate minimus, adspectu truculentus & sæuus, ferocior atque inhumanior cæteris, plenus irâ, contumelijs Christianum afficit, conuitijs proscindit, fidem improperat, ac ter quatervé fustem lateri eius impingit, in hæc fere prorumpens verba: Perfide & infidelis, causa es quòd maiorem summam ab istis Frangijs (sic enim vniuersi Occidentis populos appellant) non obtinuerimus: à te stetit, quo minus voti compotes facti sumus. Quid tibi rei cum exteris, quos nec noueris, nec videris vnquam. Nostram potiùs fouere debueras causam, quàm alienigenarum. Id quia non feceris, dignas aliquando perfidiâ tuâ lues pœnas, nec vindictæ suo tempore deerit occasio. Ille verò misericordiâ se motũ, ac nostri misertũ, nil præter pietatem exercuisse se, atque id fecisse quod sibi fieri voluerit; iustam causam exegisse vt miseris aduenis auxiliaretur, neque pœnam vllam ob id, sed præmium potiùs mereri, maximè, quod pace inter vtrosque conciliatâ, nobis persuaserit vt sibi suisque præter mercedem etiam munus daretur. His igitur, alijsque blandis verbis vix barbarum tandem placauit. Postquam verò ad pagum, vbi sarcinas reliqueramus, peruenimus, ducem nostrum non minori affectum damno & molestiâ comperimus; cibum namque ipsi omnem per vim Mauri eripuerant: largitione ad hæc res nostras bis térve à barbaris redemerat. Velis itaque equisque (vt aiunt) abitum parantes, Christiano in primis Nazaræo pro fideli suo patrocinio maidinos aliquot dono datis, & Interpreti ac Mucharo Christianis, qui nos defenderant, & verbera nostrâ causâ pertulerant, satisfactis, sarcinas raptim collectas iumentis imponi curamus, & ex pago illo infausto, execrando, nec nominando quidem, atque ab istis non tam hominibus quàm brutis discedimus. Quanquã verò omnes famelici essemus, & maximè sitiremus; cùm à secundâ antelucanâ horâ ad vsque secundam postmeridianam nihil præter verbera & iniurias gustassemus, ac pedites multum viæ confecissemus (distat siquidem Nazareth à pago illo duo millia passuum, & ampliùs) de cibo tamen sumendo nullus nostrum erat qui cogitaret. Adeò siquidem omnium animos angor, & discedendi sollicitudo inuaserat, occupa-

cupaueratque, vt nihil magis nobis in votis esset, quàm inde auolare, satis esse putantibus gentem effugisse nefandam. Neque his omnibus immanissimæ bestiæ satiatæ, etiam abeuntes longissimè insequuntur, ac lapides in nos emittunt: quibus & nos oppressissent, nisi velocissimo cursu, & diuinâ in primis ope illorum sceleratas manus effugissemus.

CAPVT VII.

Ad montem Thabor profectio: difficillimus eius adscensus, situs, & conditio; quæq; ex vertice eius à nobis collustrata sint.

A PAGO illo infando Septentrionem versus rectà ad montem Thabor processimus; Vbi ad radicem venimus, cum Caffarariorum principe casu nobis obuio, de Thabor monte inuisendo egimus, pacto inito, vt tribus numeratis toleris, duos è suis concederet itineris duces, qui nos ad verticem montis deducerent, à prædonibus defenderent, reducerentque incolumes ad proximum Chan. Conditione acceptâ, Mauros nobis permittit, & securitatem promittit. Iumentis itaq; sarcinisque ducis nostri curæ iterũ commissis, datoq; illi negotio, vt aduentum nostrum in proximo exspectaret Chano, iter arripimus, ac pedites omnes anteeuntibus Mauris, nostro Interprete, atq; altero ex Mucharis comitibus, lẽto gradu montẽ Thabor adscẽdimus Ne verò à proximi pagi (in costâ montis Thabor Meridiem spectãte siti) habitatoribus Mauris conspiceremur, & noua pericula ac barbarorum molestias experiremur, ab occidentali montis latere gradum fecimus, Inclinante iam die, ad summum fere montis iugum, summo quidem cum labore & tædio peruenimus Vrgebat omnes fames & sitis, toto corpore manabat sudor, rigebant præ nimiâ defatigatione membra, adeoq; lassi & fracti eramus viribus, vt vix vel respirare, vel loco se mouere cuiquam daretur: quinimò velut semimortui humi prostrati, spiritum iam emissuri videbamur. Posteaquam aliquantulum quieuissemus, spiritu reuocato, ac resumptis viribus, labori nos iterum accingimus, atque anhelantes, intercluso pænè spiritu, partim scandentes, partim reptantes per pendulas petras, scopulosque acutissimos, nunc baculis, nunc manibus nos vicissim erigentes, attrahentes, promouentes, in summum montis verticem euasimus; sed quantâ cum difficultate, obstantibus vbique vepribus, dumetis, & saxis ingentibus, non facilè dixerim. Est enim adscẽsus montis à medio vsque ad summum adeò difficilis, lubricus, præruptus, salebrosus, atque arduus, vt difficillorem nec viderim, nec conscenderim vnquã; vel eò magis, quod circumcirca ad

montis

montis fastigium prægrandes ruderum & dirutorum ædificiorum dispersæ iaceant ruinæ, Templorum nempe & Monasteriorum (quæ ibidem sexdecim maxima fuisse fama est) reliquiæ; quæ viã vndiq; impediunt, & adscensum difficiliorem reddunt. In summo montis supercilio viginti stadia patet planities, quam Iosephus Galilææ, præfectus quadraginta diebus se muro scribit circumdedisse. Hæc maiori parte ruinis hodie obsita, tota squalida iacet. Inter has trium insignium sacrarum ædium semidirutarum perampla visuntur vestigia. Præstant amplitudine & operis magnificentiâ, quę in mediâ planitie sitę, adiunctas sibi amplissimi Monasterij, ducentorum quandoque Monachorum sedem, ruinas habent: quas ab Helenâ in honorem Apostolorum Petri, Ioannis, & Iacobi exstructas, & à Pannoniæ regibus postmodum auctas ferunt. Basilica maxima Episcopali sede quondam nobilis, antistiti suo à monte Thabor Episcopi nomen ac titulum dedit. Inter has Ecclesiæ ruinas collapsa Porticus spectatur, cui ostium ab Oriente est, quod ad locum Triũ Tabernaculorũ aditũ prębet; in quo Saluator Christus clarissimâ luce circumfusus, aliaq; formâ indutus, cum Moyse & Heliâ colloquutus est. Hic in tria diuisus sacella contigua, medium Saluatori, quod à dextris est Moysi, tertium Eliæ attribuitur: quæ quidem ob ingentem ruinarum molem difficilemque accessum cominus inuisere atque accedere non licuit. Eminus itaque salutare locum cõtenti, Christo glorioso debitas preces persoluimus. Iuxta hæc rudera ampla & profunda est cisterna, in ipsâ rupe excisa, aquis abundans: ex qua post preces, hydriâ æneâ (quam Minorita conuersus oportunè secum attulerat) appenso fune aquam hausimus, & cùm toto illo die nec cibum nec potum sumere licuisset, frustulo panis biscocti, & aquâ frigidâ nonnihil languida membra refecimus.

4. Bel. 4.

Niceph. 8. Hist. Eccles. 30.

Tyr. 2. Bel. sacr. 13.

Matth. 17. Marc. 9. Luc 9. 2. Petr. 1.

Mons Thabor Iosepho Itabiriũ, Polybio Mastoim, quatuor circiter milliaria altitudine continet; Iosephus in triginta stadia consurgere dicit. In medio Galilææ planitie situs, à radice paulatim attollitur, à medio ad summum vsque verticem maximè præceps, præruptus, adscensu est difficilis, & à Septẽtrione inaccessus: miræ alioquin pulchritudinis, amœnus, amplus, atque rotundus, à circumiacentibus (quibus sublimior est) seiunctus: varijs arbustis, arboribusq; vndique consitus, densisque syluis perpetuò virentibus refertus, & omnigenorum florum odore fragrantissimus, cœlique temperie fælicissimus. In eo videre est Ilices altissimas, Arbutos, Lentiscos, Charnubos, Oleas, aliasq; varij generis arbores. Omitto plantas medicâ virtute nobiles quamplurimas, quas passim tellus hîc producit. Ex montis summo iugo magna cum lustrantium voluptate atque admiratione latè vndiq: prospectus patet. Ab Ortu siquidem & Austro Mare Mortuum, Arabiam Deser-

4. Bel. Iud. 4. Polyb. lib. 5.

 tam,

tam, Montes Seir, Galaad, & Hermon, Iordanem amnem, Mare Genezareth, ac multos prætereà colles, vallesque fertilissimas conspicias: ab occasu montem Carmelum, vrbesq; Zephet, & Nephtalim, hodie Suzim, ac Mare ipsum Mediterraneum; ab Aquilone montem Libanum spectes. Cęterum planities Galilææ, quæ montem circuit, cui &
Iudith. 1.4.7 *2.Paral.* 35. Eggedon, & Esdrelō vallis, & campus Maggedo olim nomen fuit, hodie Campus Saba, à pago quodam vicino appellata, latissimè patentes habet campos, longitudine decem millia passuū continens, latitudine ad mare Galilææ & Iordanem vsque sese extendens. Olim glebâ optimâ, fertilitate, & rerum omnium copiâ, frumento, vino oleo, nulli terrarum cessit; agris hodie incultis & desertis. Ob Sisaræ autem necem,
Iud. 4. deleto eius exercitu iuxta torrentem Cison, & Iosiæ regis interitum
4.Reg. 23. celebris. Lustrationibus in monte peractis, Precibus ac Laudibus Deo
2.Paral. 35. Opt. Max dictis, atque Euangelicâ lectione rem gestam enarrante recitatâ, refocillatisque demum corporibus, cùm longiùs illîc aduenru noctis demorari non daretur, sub Solis occasum ab orientali montis latere, viâ maximè præcipite, ac plus minus mediâ horâ interdum supini cadentes, quod in descensu facile contingit, ad ima montis descendimus, Inde rectâ ad diuersorium proximum *Ain el tuchiar* nomine tertio à Monte situm lapide properantes, post secundam tādem noctis horam, nullo prorsus accepto incommodo, peruenimus. Ibi paulò ante Chiecagiam Constantinopolitanum, itemq; Mechanum Cadium cum suis Carauanis aduentasse summo cum gaudio comperimus. Tum verò à nobis omnis fugit timor, & trepidatio, videntibus tanto nos hominum stipatos exercitu, vel eò magis, quod Hierosolymitani cuiusdam nobilis operâ (qui & ipse eodem in comitatu erat) Carauanæ duces nos nostrasq; res omnes in suam tutelam & fidem recepisse, & tutò nobis in eorum comitatu licere esse, intelligeremus. Quare priorum omnium molestiarum obliti; curam omnem deposuimus, in portu nos post id tempus nauigaturos sperantes. In diuersoriū denique, & sub tectum admissi, locus nobis satis quidem iniquus, pro multitudinis tamen, loci, & temporis ratione non spernendus, vbi pernoctaremus, assignatus est. Erat autem plenus sordibus, & ruderibus oppletus; adeoque angustus, vt vix iumentorum onera nostrasque sarcinas caperet. Inter has dormiendum erat. Itaque partim sedentes, partim suspensi, & cubito sarcinis innixi, sopori nos dedimus: & licèt incommodè quiesceremus, benè tamen nobiscum agi putauimus, quòd sub tecto esse liceret, cùm multi è Turcis sub dio dormire cogerentur.

CA-

CAPVT VIII.

Turcarum Carauana; Horum proficiscendi mos; itemq; orandi: Ad Mare Tyberiadis descensus: eiusq; ac locorum circumiacentium descriptio.

POSTRIDIE, quinto nimirum Id. Nouembris, nocte nondum elapsâ in Turcarum comitatu viam ingredimur, facibus accensis præeuntibus. Mos siquidem ita fert Turcarum, vt, cùm noctu plerumque ijs in partibus, æstate maximè iter agant, Solis æstum vt effugiant, faces ardētes Carauanis suis præferri à seruis camelis insidentibus summoperè curent; eâ ratione, vt sint viarum indices, ne si qui tardiùs incedant, obscurâ nocte à ceteris separentur, neve à rectâ viâ declinent. Cùm iam lucesceret, Cadius & Chiecagia Carauanā subsistere iubent; Precibusq; vt vacent omnes, imperant. Ex equis itaque iumentisque descendunt, ac Preces, facie ad Meridiem versâ, stantes, solitis ceremonijs (de quibus alibi dicemus) fundunt. Quibus peractis iter prosequimur. Est autem Turcarum moribus receptum, vt ante Solis ortum, dum iter agunt, diuinum priùs placare precibus numen satagent, quàm iter prosequantur. Tam accuratè verò Preces hasce in omni fere actione obseruant, vt nec diuini nec humani quicquam auspicentur, quin Deum suo more sint cōprecati: Meliores hac in re censendi ipsis Christianis: quorum pleriq;, dū iter agunt, in re diuinâ negligentissimi sunt. Ea quoque Turcis conditio est, vt itinerantes à summo manè ad serum vsque vesperum iter continuent; nec vsquam subsistant, semel tantùm singulis diebus cibum sumere contenti.

Superatâ circa Meridiem latissimâ Galilææ planitie, viâ leniter decliui, ad Mare Genezareth, seu Tyberiadis descendimus. Inde iuxta littus maris prosequentes iter, ad læuam reliquimus Bethuliam oppidum, Iudith viduæ patriam, eminenti situm in monte, ruinis deforme, & desertum penitus. *Iudith. 6. 7. 15.*

Paulò post montem præteriuimus in sacris Literis celebrē, quem quidam Christi & Apostolorum Mensam appellant, ob multa nimirum millia hominum ibi à Christo Saluatore septem tantùm panibus, paucisq; pisciculis saturata. Hic excelsus valdè, atq; ob virentem herbam, floresq;, quibus abundat, amœnissimus est: quem & frequentatum à Domino, eiusq; Apostolis legimus. Hîc enim sæpissimè orationi vacauit, Apostolos instituit sermonem de Octo Beatitudinibus, deq; cæteris Euangelicis Perfectionibus habuit. Ad pedē eius montis loco cāpestri, idem Saluator noster dæmoniacos plurimos, languentesq; curauit, & multitudinem præceptis salutaribus instruxit. Parbo vlteriùs *Math. 15. Marc. 8. Luc. 6. Marc. 3. Math. 5. 6. 7. 10.*

progreſſi, iuxta ipſum littus vallem tranſijmus pulcherrimam & vberem, etſi hodie incultam, diuerſi tamen generis arboribus opacam. Hîc enim Ficus, Oleas, Muſas, Palmas, Poma, nuceſque cernas. Quibus viſis, certè Naturæ vim vel maximè admirati ſumus, quod deficiente culturâ & hominum induſtriâ, tam varias arbores inter ſe maximè repugnantes ſponte humum proferre conſpiceremus. Hanc vallem mediam interfluit riuulus, qui à fonte viuo, ex monto vicino (quem Menſam Chriſti appellari paulò antè diximus) ſcaturiente, originem trahit, ac tribus riuulis in Mare Galileæ labitur, ſuaſque in illud exonerat aquas. Horum alter Bethſaidam præterfluit, tertius inter Bethſaidam & Carpharnaum marinis ſeſe ingerit aquis.

Ioſep.3. Bel. Iud.8.

Inde Aquilonem verſus procedētes, à Meridie Bethſaidam venimus, Petri, Andreæ, & Philippi Apoſtolorũ patriam, & in ſacris Literis celebrē: ibidemq; iuxta littus in virēti prato per horas aliquot, ob ſacram lauationē à Turcis in Mari Genezareth fieri ſolitam; cum Turcarum Carauanâ ſubſedimus. Variæ in itinere occurrerũt plantæ ſingulares; Colocaſſia, Braſſica ſylueſtris. Radix Rhodia, aliæque: Arbores item Muſæ, & Napecæ plurimæ. Eſt autē Napeca antiquitùs œnoplia dicta, arbor ſpinoſa, fructus habens dulces, & ſaporis optimi, formâ ſylueſtribus pomis non abſimiles, ſed intus nucē continentes, inſtar oliuæ: cuius folia perpetuò vireſcunt. De Muſâ eiuſque fructibus ſuprà egimus.

Ioan 1 12.

BETHSAIDA nobilis quondam Galileæ vrbs, in ipſo littore Maris Galilææ condita, vna è Decapoleos regionis vrbibus, hodie exiguus & ignobilis pagus, pauciſſimis conſtans tuguriolis, Maurorum habitaculis, aquilonarem maris angulum occupat: iuxta quem fluit riuulus, limpidis optimiſque aquis ſcatens, quæ in vicinum Mare Tiberiadis influunt. Helenam hîc ſuprà fundamenta domus Petri Eccleſiam erexiſſe author eſt Nicephorus: eius tamen nulla hodiè extant veſtigia. Hîc Chriſtus Petri ſocrum febricitantem ſolo tactu ſanauit, cæco viſum reſtituit, multoſque ante ædes Petri varijs afflictos morbis, dæmoniacoſque curauit.

Hiero. in loc. Hebr. lit. B. Luc.9. Ioan.1.12. Libr.8. Hiſt. Eccleſ. c. 30. Matth.8. Marc.1.8. Luc.4.

MARE GALILAEAE, quod & Tiberiadis Zenereth, & Stagnũ Genezareth in ſacris appellatur Literis, Ioſepho Lacus Genezar, hodie Tabariæ dicitur, aquas habet dulces, ſalubres, & fōtanis ac fluuialibus aquis (vt volunt) & leuiores, & meliores: eſtque collibus amœniſſimis fructiferiſque vndique cinctum: longitudine (vt Plinius vult) ſexdecim, latitudine ſex tantum continens milliaria, & vt Ioſephus, & Egeſippus cenſent, longitudine centum & quadraginta ſtadia, latitudine quadraginta. Iordanis fluuius medium perfluit; & in lacum poſteà Aſphaltitem labitur. Oppidis quondam egregijs & celeberrimis cicumſeptum, hodie vel in cinerem verſis, vel ruinis deformibus, & horridis

Num.34. Deut 3. Ioſ.11.12.13. 19. Iſai.9. Ioan.6.21. Luc.5. Plin.5. nat. Hiſt.15. Ioſeph. 5. Ant.1. Egeſip. lib.7. c.28.

horridis: viles nunc tantùm & humiles aliquot in littore viculos habet. Christi autem miraculis clarum, in sacris Literis vel maximè celebratur. Nam in littore inter Capharnaum & Bethsaidam iter faciens Petrum & Andræam, ac Zebedæi filios in Apostolos eligere dignatus est; siccis pedibus suprà eius vndas ambulauit, vento & fluctibus imperauit: ortam tempestatem sedauit, & ventos compescuit, soloque verbo cunctis stupentibus mare tranquillum reddidit. Petrum hîc pænè submersum è fluctibus liberauit. Discipulis (quos post Resurrectionem suam frustrà piscatos esse nouerat) stans in littore ad dextram nauigij, vt rete mitterent, iussit: quo facto, præ nimiâ copiâ piscium scisso reti, agnouerunt Dominum, & Deum confessi sunt. Varij autem generis optimos & prægrandes in maximâ copiâ producit pisces hic lacus; Troctas, Lupos, Squalos, Cyprinos, aliosque, sapore tamen & specie (vt Iosephus vult) ab alterius loci piscibus discretos: cuius quidem rei experimentum (vt posteà dicemus) facere non licuit.

Ioan. 6. 21. Matth. 13. 8. 14. Luc. 5. 8. Marc. 4.

Quarto à Bethsaidâ lapide, contra Boream, eminenti in monte plurimæ visuntur ruinæ; quæ antiquę vrbis Cedes Nephthalim reliquiæ putãtur. Octauo quoq; à Bethsaida milliario, in ipso maris littore, Meridiem versus, Tiberias, olim Zenereth, totius quondam Galileæ caput, ab Herode tetrarchâ in Tiberij Cæsaris honorem ædificata, eminus conspicitur. Hæc Decapoleos terminus, & Galilæorum maxima, magnificis exornata ædificiis, magnisq; dotata immunitatibus, balneis quoque & aquis salubribus calidisq; ex humo ipsâ scaturientibus (quas Tiberię thermas olim appellârũt) nobilis, frequentissima priscis temporibus extitit. Postea, Christianis rerum in Palestinâ Dominis, Episcopi, & Principis Galileæ sedes fuit: nunc verò diruta, ruinis horrida, habitatore vacua, serpentum est habitaculum. Hîc ab Helenâ sanctâ Duodecim Thronorum Templum magnifici operis exstructum olim ferunt: quod solo æquatum, nullum penitus vestigium reliquit.

Iof. 11. Num. 34. 3. Reg. 15. Ioseph. 18. Ant. 4. & 3. Bel. 16. Tyr. 14. Bel. sacr. 12. & 18. Bel. 6. Niceph. Hist. Eccles. lib. 8. c. 30.

E regione Bethsaidæ, Orientem versus secundo vix milliario, viculus cernitur in littore, Taboga nomine, Palmis consitus, vix sex aut octo Maurorum tuguriolis excultus, Hunc Magdalum nonnulli existimant, Mariæ Magdalenæ castellum, à quo & nomen sumpsisse putatur, purpuræ tinctura quondam celebre.

Haud procul inde, iuxta ipsum littus, supra ripã occidẽtalẽ Iordanis, Capharnaũ spectatur, præclarum olim ac nobile Galileæ emporium, Christi habitatione, ac miraculis celeberrimũ. Hîc enim paralyticũ sanauit, cæcis visũ reddidit, dęmoniacũ mutũ sanũ fecit, à Centurionis seruo paralysim depulit, mulierẽ à sanguinis profluuio liberauit, filiam etiã Principis Synagogæ iã mortuã ad vitã reduxit. Licèt autẽ opulentia

Matth. 4. 8. Luc. 4. 5. 7. 8. Marc. 2. 5.

tiâ, frequentiâ, & ædificiorum ſplendore maximè olim fuerit, hodie tamen in cinerem omnino verſum, ac ſepultum ſabulo, quatuor tantùm aut quinque Maurorum tuguriola in littore reliqua habet. E cuius regione eſt Chorozain ciuitas, inter Decapoleos vrbes quondam inclyta, in orientali Iordanis ripâ, ac in ipſo maris littore ſita, ruinis omnino deformis, & deſerta hodie, nil præter nudam humum ac rudera oſtendens.

Hieron. loc. Hebr. lit. C.

Montem quoque vltra mare ex vico Bethſaidâ conſpicias licet, in quem Chriſtus cum Diſcipulis à prædicatione feſſus ſeceſſit, ac cùm ab Apoſtolis, vt multitudinem ſequentem abire ſineret, moneretur, quo ſibi quiſque commodiùs, imminente iam veſpere, in vicinis villis de cibo proſpiceret, miſericordiâ motus, vt maieſtatis ſuæ gloriam vniuerſo populo manifeſtam faceret, cateruatim in gramine accumbere eam iuſſit, & quinque panibus ac duobus piſcibus, Benedictione Diuinâ multiplicatis, ſaturauit.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 11. Ioan. 6.

Ex eodem quoque vico Geraſenorum mons ad orientale pariter maris littus ſpectatur, in quo olim Geraſa ciuitas munitiſſima fuit: quę nunc ſolo diruta, & in planitiem verſa eſt. Hîc Chriſtus dæmoniacos illos ſæuiſſimos, qui nullis cathenis aut compedibus conſtringi poterant, ex altero dęmonum legione eiectâ, liberauit. Huic proxima olim fuit Gadera ciuitas, in mõte pariter poſita, nũc ſolo tenus diruta, balneis quondam nobilis: cuius aquæ (Gadarenæ olim dictæ) ad radicem montis erumpentes, tanti apud veteres habitæ fuere, vt ſecundas poſt Baianas retinuerint, & plurimus ad eas fuerit populorum concurſus. Meminere harum Plinius & Hieronymus. Hæſimus Bethſaidæ in quartam poſtmeridianam horam. Cadius interim & Chiecagia fixis in ipſo littore tentoriis, ſacræ Lotioni ſuo more ſe preparârunt: eam namque quotquot è Mechâ eò veniunt, corporibus adhibere ſunt ſoliti, atque ad ablutionem peccatorum plurimum facere exiſtimant. Ne verò nudi à nobis conſpicerentur, extentis cortinis proſpectum in mare per aliquot paſſus prohibebant. Nos interim piſces guſtare cupidi, interpretem ducemque noſtrum ad piſcatores Mauros coëmendorum piſciũ à cauſa mandamus: qui cùm nullos captos eſſe retuliſſent, remittimus, & vt piſcatum eant petimus; promittentes duplum ſoluturos. Annuunt primò, ſed mox abnuunt. Veriti enim, ne ſi quos caperent, Turcæ eos nullo dato pretio vi auferrent, piſcari non auſi fuere. Itaque Turcarum ob pręſentiam ab eſu piſcium Maris Galilæi nobis omnino abſtinendum fuit. Æſtu tandem aliquantulum remiſſo, Turcis proficiſcentibus, cætero cum comitatu ſubſequimur, viâ accliui, ac petroſa nimis & aſperâ, ad ſerum vſque veſperum. Sole ad occaſum vergente, ad diuerſorium publicum peruenimus, quarto

Luc. 8.

Plin. lib. 5. c. 18.

Hieron. in loci Hebr. littera G.

à Bethſai


SYRIAE PARS
DESERTUM ARABIAE
AROER REGIO
Adrach
Baal Hermon
AMANA MONS
HERMON VEL SANIR
REGIO EDOM
Syraia Soba
Cedar
SYRIA DAMASCI
ARABIÆ DESERTÆ PARS
Taber nac. Cedar
SEPVL. IOB.
THEMAN
BASAN
MASCI DAMASCUS.
TERRA HVS.
SVETA
Corozain
Quercus Basan
TRACONITIS
Parphar
Argob
Abana fl.
Vadum Iacob
Capharnaum
TVRRIS LIBANI
GENESAR ETH
Seleucia
Aquæ Meron
TERRA HVS
OLIM IOBI ET AMICORVM ILLIVS, POSTEA DIMIDIÆ TRIBVI MANASSE TRANS IORDANEM ATTRIBVTA
Bethsaida
IOR
Dan
Cæsarea Philip.
Leucae ex. 3. milliar. italicis
Guilielm. hanius
fecit 16



à Bethſaidâ lapide, in valle ſitum Dothaim, iuxta ciſternam Ioſeph; in quam vt ſacræ narrant Literæ à fratribus demiſſus, & extractus poſtea, Iſmahelitis mercatoribus venditus fuit. Ciſterna hæc marmoreo capitello etiamnum ornata, terniſque ſuſtentata columellis, quartâ comminutâ, vel ablata, aquam continet optimam, & frigidiſſimam. Ex eâ hydriam impleuimus, bibimuſque omnes.

Iuxta hanc duæ hærent Turcarum Meſſitæ, vtraque ſphærica: maiori plumbo tectæ ędes cohęrent ſatis amplæ, à Santono quodam Mahometæo habitatæ. Ad Læuam occiduum verſus in humili colle dirutarum ædium maximæ conſpiciuntur ruinæ, quas à filijs Iacob, cùm armenta ibi paſcerent, exſtructas, vulgò perſuaſum eſt.

CAPVT IX.

Iordanis amnis: eius fons ſeu ortus, itemq; occubitus. Pons Iacob illi impoſitus. Aquæ Maron; & Traconitidis regio.

QVARTO Id. Nouembris, tertiâ antelucanâ horâ à Chano vallis Dothaim nocte ſubobſcura, facibus pro more præeuntibus, diſcedimus: ac viâ leniter decliui pergentes, orto Sole ad Pontem Iacob Iordani fluuio impoſitum deuenimus. Is totus lapideus, tribus innititur arcubus, ſpondis vtrimque munitus, longitudine ſexaginta paſſus, latitudine pedes circiter ſexdecim continens. Poſitus eſt autem hic Pons inter Mare Tiberiadis & Lacum Samachenitem; hoc vix mille, illo octies mille paſſus ab eo diſtante. Lacus hic Aquæ Meron, vel Merom in ſacris Literis, hodie autem Aquæ Maron nuncupatur; eſtque abundantibus aquis triginta ſtadia nonnunquam latus, & ſexaginta longus: quem Iordanis amnis perfluit medium. Dum nos iſtac tranſiremus, rotundam referebat formam, atque aquis ſuis vix quingentos in circuitu paſſus continebat: cumque ab Interprete quæreremus cur adeò immunitæ eſſent aquæ, reſpondit, id quotannis ferè eo maximè tempore euenire: nam ex reſolutione niuium à Libano Monte defluentium, ſub finem hiemis, aut in ipſo veris initio valdè excreſcerere: æſtate verò & autumno deficere, & nonnunquam areſcere, & exſiccari. Quod facilè crediderim: cùm enim niues liquefiunt, neceſſe eſt ſtagnari arua, atque obrüi, niſi quis ingruentem fluxum & aquarum vim per foſſas & canales diuertat. Propter humoris autem exuberantiam arbuſta illic multa, calamique, ac ſpineta ſurgunt. Ad has aquas (vt habetur Ioſue 11.) conuenerat Iabin Rex Aſor, cum multis regibus auxiliaribus: ſuper quos irruit Ioſue, & tradente eos Deo, pleroſque ex ijs aut occidit, aut fugauit. *Ioſ. 11.*

 Locum,

Gen. 32. Locum, quo Pons extat, Vadum Iacob vulgò nominant, quòd Iacob Patriarcha à facie fratris sui Esau in Mesopotamiam profugus, & inde reuersus cum duabus turmis in baculo Iordanem hîc transijsse putetur: nos equidem cùm illac transiremus, amnem vadosum comperimus. In cliuo Ponti proximo iuxta occiduam ripam plurimæ visuntur ruinæ, quæ vetustæ arcis, ibidem, à Balduino quarto Hierosolymorum Rege contra infidelium è Syriâ excursiones deprædationesque exstructæ, reliquiæ putantur.

Priusquam pontem pedibus transiremus, relictis sub ducis & Mucherorum custodiâ iumentis, ad fluuium Iordanis pro more descendimus, faciẽ & manus religionis ergo loturi, atque ex eo bibituri. Rapidissimum hoc loco cursum habet, alueo non multùm profundo, lato tamen circiter passus viginti; nigri coloris producente lapillos, eosque durissimos. Vtraque ripa Salice, Tamarisco, & Agnocasto, alijsque, ac præsertim cannis prægrandibus, è quibus Arabum plerique lanceas conficiunt, referta est.

Ios. 3. 4. Reg. 2. 5. Math. 3. Luca 4. Marc. 1. Ioan. 3. Egesip. lib. 3. c. 26. Ioseph. 15. Ant. 10. Iordanem fluuium in sacris Literis celeberrimum, & Christi baptismo nobilitatum, à fonte Phialâ in Traconitide regione ortum ducere multi putant; alij tamen à fontibus Ior & Dan, ad radicem Libani scaturientibus, originem trahere volunt. Vt vt sit, nomen saltem ab his accepisse certum est. Hi enim supra Samaconitem paludem iuxta Cæsarçam Philippi, siue Paneadem, quæ hodie Mauris Velénas est, confluentes, vno facto alueo, Iordani nomen indunt. Hinc mox Traconitidem ab Itureâ, & Galilæâ superiori separans, in vallem quandam, cuius medium Aquę Meron occupant, influit, stagnumque intersecat; Inde Orientem versus flectens, sub ponte fluit Iacob; mox iuxta Capharnaum & Corozaim Mari Galileæ miscetur; idque medium permeans, atque in Austrum cursum dirigens, iuxta pedẽ montis Hermon minoris, fluuij formam recipit: inde Cison torrentis ab Occasu, & Iaboc fluuij ab Ortu fluentium auctus aquis, Iordanis maior appellatur, diuidensq; Peream â Samariâ, & Moabitidem à Iudæâ, longissimo tractu ac ducentorum triginta stadiorum longitudine, per vastam solitudinem in Mare Mortuum delabitur; cui commixtus, & nomen amittit, & saluberrimas limpidissimasq; suas perdit aquas.

Lotione peractâ, Ponteque pedibus transito, rursum iumenta conscendimus, iterq; prosequimur, viâ quidem leniter accliui, sed petrosâ & difficili nimis. Regio omnis trans Iordanem Traconitidis nomen habet, extendíturq; à Meridie in Septẽtrionẽ, à Mari nempe Genezareth ad radices vsq; Libani, complectiturq; terrram illã omnem, quæ orientalem Iordanis ripã & montes Seir & Hermon interiacet. Solũ habet plerumq; saxosum, & asperum, multisq; subterraneis meatibus

&

& cauernis cõcauũ, vnde & nomẽ sũpsisse creditur: Τραχὼν enim Græcis locũ saxosum significat, & Trachones etiã dicũtur occulti sub terrâ meatus, ac specus. Fõtibus & riuis penitus caret; ideoq; pluuiales aquas incolæ per trachones in lacunis tam naturalibus quam artificiosè factis diligenter colligũt. Pascuis alioquin multis in l[illegible]cis lætissima, & nemoribus opaca, Esculo in primis, & Ilice ac Cocc[illegible] arboribus copiosa est.

Hermon mons, qui hac in regione ob summam altitudinem longè lateq; se conspiciendum præbet, vltimus ad Orientem Terræ promissionis est terminus: eamq; à Syriâ Damascenâ, & Arabiâ Deserta diuidens, à Septentrione Libano monti se copulat; atque inde in Orientem sese extendens, totam Traconitidem circuit, iungiturq; tandem post longum tractum, Meridiem versus, Seir, deinde Galaad montibus. Licèt autem pro cacuminum ratione diuersa sortiatur nomina, vnicam tamen & perpetuam seriem montium constituit, atque vniuersæ Palæstinæ ab orientali atque etiam à meridionali latere pro muro est.

Primo à ponte milliario, in edito quodam colle pagum eminus monstrarunt comites, vulgò Lemie dictum, locum vulgi opinione asserentes esse illum, quo Iacob reuertenti è Mesopotamiâ occurrit Esau frater, & se mutuo amplexati sunt. Veteribus Socoth fuit; sic dictus à tentorijs, quæ Iacob hîc defixerat. *Gen. 33.*

Inde per densissimas Ilicum & Esculorum syluas, perq; loca saxosa & aspera, difficillimaq; profecti sumus. Circa Meridiẽ Ortum versus ex alto colle amplam latamq; planitiem eminus conspeximus (Tabernacula Cedar olim nuncupata, de quibus in Canticis & Psalmis fit mentio) vberrimam, amœnissimam, & prospectibus liberam, pascẽdisque gregibus aptissimam. Hîc, vt olim, sic etiamnum statis annis temporibus celeberrimæ aguntur Nundinæ, conuenientibus ex omni fere circumvicinâ regione negotiatoribus: qui cùm tentorijs vtantur versicoloribus, pulchrum admodùm adspectum præbent, & Ciuitatis amplissimæ, seu Castrorum faciem repræsentare dicuntur. *Cant. 1.* *Psal. 44.*

Sole ad Occasum vergente, post longam difficilemque viam, Conetrim venimus, vbi & pernoctauimus. Diuersorium id est, seu Imarethũ Turcicum amplissimum, instar Oppidi, muris vndiq; cinctum, portis, turribusque munitum, mille & ampliùs passus ambitu suo continens. Messitam egregij operis, amplam, & plumbeis laminis tectam, Bazarrum item, & Balneas magnificas, Areasq; plurimas, ac Stabula ingentia suis muris comprehendens. Mustapham Bassam authorem operis ferunt. In eo alienigenæ, cuiusvis religionis, toto biduo, modò id expetant, victum gratis habent; qui tamen vt nobis impartiretur haud quaquam postulauimus; licèt Turcæ omnes eodem vsi fuerint.

Tertiò Id. Nouẽbris secundâ ante Solis exortũ horâ, itineri nos rursũ

 accin-

accingimus,per loca vmbrosa & syluis opaca pergentes. Longum denique emensi iter, latissimam ingredimur planitiem,vastum mare nobis quodammodo apparentem, scopulosam,horridam, aridam, squalidamq;,in quâ neque domicilium vllum, nec arborem, nec virentem vllamherbã, non spinas,non vepres,non arbusta,vel minuta quidẽ,sed nudam tantummodo humum,acuminatis vndiq; refertã lapidibus,offendimus. Fuit itaq; eo die præ nimiâ scabricie iter difficillimũ, & periculosissimum.Nam etiã equi sine sessoribus, quòd gressus firmare ob lapidum scabriciem nequirent,frequenter cespitabant,&in terrã corruebant,quantumuis tardissimè progrederẽtur. Longo hoc & difficili peracto itinere,ad Chan quoddã Zaza,inclinante iam die appulimus.

Ædificium id est amplum & magnificum,ære Sinan Bassæ(vt ferũt) recens exstructum,fontibus,balneis, & Messitâ insignibus instructum, viridario quoque eleganti, arboribus & hortensibus plantis exculto, exornatum, vnicam tantũ Aream in medio continens. Sitũ habet ad pedem mitis & amœni cliui,iuxta dulcis aquę riuulũ,cui horrida illa & petrosa planities à Meridie & Ortu adiacet, ab Aquilone verò & Occasu herbidis lætisque pascuis longè lateque patentibus cingitur.

Substitere hîc Turcarum Carauanæ per horam vnam atque alterã, vires vt cibo reficerent, & iumenta pabulum sumerent. Nos quoque eam nacti occasionem,fessi & esurientes afflicta membra potu ciboq; nonnihil refocillauimus. Primâ noctis horâ discedendum inclamitãt, abitumque parant. præeuntibus Turcis, subsequimur & nos, ac totâ eâ nocte sideribus illustri, & plenâ lucente lunâ, Damascum versus pergimus, viâ quidem planâ & facili, sed sine omni quiete & somno.

Secundo à Damasco lapide, ad læuam ostẽsæ nobis fuere diruti cuiusdam Fani ruinæ, eodem(vti ferunt) exstructi loco, vbi Paulus insequens Christi fideles, luce è celo circumfulgente,ex equo prostratus, & cæcitate percussus, audiuit vocem cœlitùs dicentem *Saule, Saule, quid me persequeris?* Qui cùm interrogaret quid facere deberet, Damascum ire ad Ananiam, vt sanaretur, iussus est.

Act.7.9.22.

CAPVT X.

Ingressus in Damascum: ibidem mora, & varij casus.

PRIMA antelucanâ horâ sequentis diei, qui pridie Id Nouembris erat, Damascum peruenimus. Intromissis Turcis, nos quoque Ianitori dono dato ingressum impetrauimus. In vrbem recepti, sed quo diuertendum esset incerti, ducis suasu ad Maronitam quendam iuxta Australem commorantem Portã secessimus; Vbi in humili domũcula stabulo

ſtabulo potiùs aſſimilandâ quàm domui, (nihil enim præter nudam humum nudoſque parietes continebat) deponi ſarcinas curauimus. Mox ſomno oppreſſi, ac longo itinere languentes, humi per horam vnam atque alteram optatò quieuimus. Sed ob nimiam loci incommoditatem, ac pulueris & ſordium copiam, ſumpto prandio inde diſceſſimus, & cubiculum apud Hebræum quendam Italicum callentem idioma conduximus.

Subſiſtentibus autem Damaſci Turcarum Carauanis, & Cairenſis Baſſæ aduentum (qui cum ingenti comitatu iam breui affuturus dicebatur) exſpectantibus, vt contra Arabũ vim & excurſiones tutiores eſſent, & nos abitum diſtulimus. Non enim niſi maximis Carauanis propter latrocinantes in regione illâ vndiq; Arabes, terreſtre illud iter patet, ac tutum eſt. Quæ verò interea nobis acciderint, quæque in vrbe ac ſuburbanis locis perluſtrauerimus, paucis enarranda duximus.

Decimo ſeptimo Kal. Decembris, ad ædes ducimur Ananiæ diſcipuli Domini, & Pauli Magiſtri. Hæ iuxta auſtralem portam ſitæ, locum referunt ſubterraneum, quindenis gradibus deſcenſum præbentem, in duas diuiſum cellulas concameratas, contiguas, imaginibus depictas: quarum cellularum altera (quæ intrantibus ad dextram eſt) altare habet lapideum, Chriſtianorum hodie Iacobitarũ Oratorium, vbi ſacra myſteria celebrant. Precibus eo loco dictis, vrbe egredimur, & ſecus vrbis muros ducimur, vbi aliquo viæ emenſo ſpatio, à circumducentibus oſtenſa nobis fuit Porta quædam vrbis hodie muro obſtructa, quam Diui Pauli nominant incolæ Iuxta hanc feneſtra in ipſo muro conſpici datur, per quam Paulum Apoſtolum ſportâ demiſſum Damaſcenorum euaſiſſe manus ferũt, quod & ſacræ teſtantur Literæ

Act. 9.

Poſt triduum, relicto Hebræi hoſpitio, ad Chriſtianum Maronitam Guardiani adhortatione ſeceſſimus. Is enim Chriſtianis Orientalibus nos offendiculo futuros ratus, ſi diutiùs apud Chriſtianæ fidei hoſtes nulla vrgente neceſſitate hæreremus, aliò commigrandum, ne quem offenderemus, cenſuit. Ea propter, opera cuiuſdam ſacerdotis Maronitæ, apud textorem quendam prope Ananiæ ædes duo cubicula in ſuperiori ædium parte ſatis commoda, nulla tamen ſupellectili, nec ſcamnis, nec ciſtis, nec lectis inſtructa, conduximus, ibique donec diſcederemus, manſimus. Dum verò ob mutatum hoſpitium optimè nobis proſpectum exiſtimamus: ecce (vt eſt rerum humanarum conditio inſtabilis, & euentus varius) amari quippiam iterum proſperis noſtris miſceri voluit Deus. Decimo tertio namque Kal. Decembris Lictorum Præfectus magno comitatu noſtrum accedit hoſpitium, ac quatuor è noſtris, cùm reliqui exijſſent, ædibus extrudit. Id vbi hoſpitæ noſtræ innotuit, excurrit & ipſa, & exitium nobis imminere rata, crinem

Act. 9. 2. Corint. 11.

ta crinem discerpit, pectus tundit, & magno vlulatu nos subsequitur; sed reuocare gradum iussa domum illachrymans redit. Vbi vero à populo conspecti sumus, inconditis clamoribus & sibilis maximè pueri nos excipiunt, vndecunque ad nos concursus fit; hi execrationibus nos lacessunt, illi lapidibus, alij immunditijs nos impetunt, plurimisque iniurijs onerant. Quos tandem lictorum pręfectus compescuit, & ab iniurijs vt abstinerēt, admonuit: atq; ita demum illusos, conspurcatos, ac trepidos, post superatos aliquot viculos, nos secum ad Subassij ædes abducit, & in carcerem detrudit, mox reliquos domū reuersos abripit, & ad primos in carcerem trahit. Nos rei nouitate, etsi nullius mali conscij, obstupescimus. Turcicas quidem esse fraudulentias, vt pecuniam extorqueant, suspicamur. Verùm quid ei rei prætexant, quid nobis objicere, quámve in nos conferre culpam velint, ignoramus.

Tandem post morā aliquam iudicio sistimur. Subassius namq; Diuanum (id nobis concilium est) conuocari iusserat. Conuenerant autem septuaginta circiter Turcæ, Genizari omnes, & primores vrbis, quos scamnis parietibus admotis per gyrum insidētes inuenimus. In medio cōstituimur. Vbi coram adstamus, Subassius rugosa frōte, toruisq; oculis nos intuens, qui simus, vnde veniamus, quò ve tendamus ab interprete nostro quęrit. Is omnium nomine Venetos nos esse, ac religionis ergo Hierosolymorū vrbem, & Christi incunabula visitasse: nunc verò Alepum versus pergere: atque inde primâ nauium ex vicino Alexandretæ portu occasione Venetias transfretaturos respondet. Ille verò mendacij & falsitatis Interpretem arguens, longè aliter se rem habere compertū sibi esse; Vngaros nos, atq; emissarios, Osmannici denique Imperij hostes esse, subjicit; Stomachantur & reliqui in hominem, immerentem licèt & innoxium furere, fremere, & maximè terribilia ei minari incipiunt; temerarium & perfidum vocant, pœnas idcirco suæ temeritatis luiturū, quòd pessimos homines, atque Osmannicæ quietis perturbatores perditiones Turcicas circūducere ausus sit; & vt ipsi maiorem metum incuterent, mortem etiam, nisi nostrā conditionem aperiat, minantur: quod si Vngaros nos fateatur, prout iam satis id sibi constare asserebant, pœnâ omni liberandum, atq; hanc solā superesse spē, qua saluus euadat, aiunt. Is contrà se verè & ingenuè locutū, ignorare prorsus nostrā conditionem, cùm alienigenæ simus, illud sibi cōstare, Venetos nos esse appellatos vbiq;, Venetorum audiuisse nomen, aliorum nequaquam: nullam pręterea nostri habere notitiā: esse nobis Hierosolymorū Chieccagiæ commeatū, in eo nostrę conditionis testimonium reddi, & discedendi ab vrbe, totamq; Palęstinam peragrandi veniā concedi: inspiciant ac legāt, id si fecerint, verum ipse an falsum dixerat

dixerit,constiturum. Annuunt tandem barbari:ostendi literas iubent. Porrigimus:legunt, releguntque sæpiùs. Vbi verò eorum votis haudquaquam respondere, sed testari nos Venetos esse, & voti causâ iter illud suscepisse,animaduertunt;mox literas (sumptâ occasione, quod incuriâ ducis nostri sigillo Saniacci carerent) suspectas,inualidas,nullaq; fide dignas esse inclamitant. Schedulã abjiciunt:ac protinus projici in terram Interpretẽ,calceis exui,ac vapulare iubent. Ille pœnam deprecari, ac innocentiæ suæ testem Deum inuocare:sed frustra: nil enim valuere preces,nil excusationes. Calceis exuitur,verberatur miser & innocẽs,nobis adstantibus,maiorem vt conciperemus metum. Mos autem est Turcis cùm flagris aliquem cædendum censent, pedum plantas fuste percutere, non virgis nates aut dorsa cædere. Interim dum plagas excipit miser, miserandoque clamore pœnam deprecatur, suggerunt illi lictores, & Turcæ, inculcantque crebrò, Vngaros nos esse vt prædicet. Ille constanter id negare, Venetos nos esse asserere, non Vngaros, non speculatores, neque Imperij Osmannici hostes. Post multa tandem verbera(quæ quidem pro iudicis arbitrio multiplicantur) conspicati quòd neque minis neque verberibus consentaneas sibi responsiones aliquas extorquere possent, noua tentant ac moliuntur. Viciniæ nostræ Præpositum, necnon hospitij dominum accersiri iubent; eosque mox à lictoribus adductos iudicio sistunt. Acriter vtrumque obiurgant, conuicijs proscindunt, & contumeliis onerant, hunc quidem, quòd inconsulto magistratu alienigenas,hostesque Imperij excepisset, ædiumque suarum cubicula nobis locasset; illum verò quòd nostrum aduentum Subassio non indicasset: tum etiam vt in posterum cautiores, atque aliis exemplo sint, pœnis afficiendos censent, ac fuste plecti imperant. Nec mora, obtemperatum illicò à lictoribus: Calceis exuuntur, vapulant & ipsi, immerentes licèt, & innoxij, dumque verbere sub duro tristes eorum fatigantur pedes, in cœlum clamores tollunt, ac pœnam deprecantur. Vbi verò iam satis pro iudicum arbitrio vapulassent, dimittuntur. Neque his contenti truces barbari, rursum nos minis aggrediuntur. Quo verò magis terrefaciant, seniorem è nostris pari plecti pœnâ iubent. Arripiunt hominem lictores, & in terram prosternunt:reclamantibus tamen nonnullis Ianizerorum, ab incepto abstinuere. Interea dum sententiæ inter ipsos variant(hi namque pœnã de nobis statim sumendam; illi contrà experiundum priùs, anne sponte nos Vngaros fateamur,censebant) addunt ex ipsis aliqui animum,admouent, hortanturq; liberè conditionem nostram vt aperiamus: minorẽ namq;, aut nullam de nobis sumpturos se pœnã, id si faciamus: sin peruicaces nos exhibeamus, ac obstinato animo in proposito perseueremus.

seueremus, in crucem nos acturos minantur. Nos minis nequaquam perterriti, infracto animo Venetæ Reipublicæ nos esse subditos, non Vngaros, non emissitios, non proditores, sed innocuos, sed Peregrinos, ac voti reos religionis ergò iter hoc instituisse: nullum denique in Osmannicum Imperium nos fraudem, damnum, vel detrimentum moliri. Adesse insuper in publico Diuano viros quibus optimè noti simus, quique ante annum vnum atque alterum Hierosolymis nos & viderint, & familiariter nobis vsi sint, obtestari nos illorum fidem, vt nostræ innocentię testimonium pręstent, respondemus. Aderat quippe inter alios Genizarus quidã Hierosolymis Bolucbassij, id est, centurionis anno præterito functus munere, ac Guardiano nostro optimè notus, quem vel eò magis nobis patrocinaturum sperabamus, quod crebrò Minoritarum accedere Monasterium, atque illorum vti mensâ, ac cibis vesci solitus esset: ideoque Monasteriò vel maxime obstrictus, specimen aliquod gratitudinis iure optimo Monachis edere teneretur. Verùm vt sunt Barbarorum ingenia ad ingratitudinem pleraque prona, Genizarus ille, acceptorum beneficiorum immemor, aut dissimulator, & ingratus prorsus, ne verbum quidem ad relata respondit; adeoque non agnoscere se quempiam è nostris simulauit. Tandem vbi intrepidos, constantes, minimeq; consternatos nos animaduertunt, nec quicquam nos velle confiteri pro votis suis cognoscunt, consilium mutans, exire nos moxque redire imperant. Vbi denuo coram adstamus: Etsi, inquiunt, satis sibi constet de nostrâ omnium conditione, mitiùs tamen nobiscum velle agere, quam mereamur: pœnam idcirco, quâ afficiendi eramus, in mulctam centum Cechinorum mutasse, atque hanc absque morâ soluendam esse. Interpres pauperes nos esse, atque infimæ sortis homines: quibus iam omni pecuniâ exhaustis vix tantum suppetat, quod alimentis necessarijs in itinere coëmendis Alepum vsque sufficiat: propterea lytrum nec posse nos soluere, nec spem esse vt soluamus, respondet. Illi contrà Frangios vt plurimùm pecuniosos esse, & prædiuites, eos præsertim qui longinqua adeant loca; non enim illa confici absque multo ære posse subjiciunt. Vtcunque tamen se res habeat, necessum fore, modum vt ineamus, quo sententiæ satisfiat, si salutem, si liberationem exspectamus, non defuturam pecuniæ acquirendæ occasionem; adesse enim Christianos, & Hebræos, qui spe lucri mutuam dent: denique absque integrâ impositæ mulctæ solutione minimè nos è vinculis liberandos. Quid multa? necessitati parere oportuit. Cechinos quadraginta per interpretem offerimus. Illi oblatos recusant: integrum lytrum soluendum inclamitant; adduntq; minas, nisi pareamus illicò. Interim ex Ianizaris vnus, Cypro oriundus, Soleimanes nomine, vir vtique humanus, & quod

&, quod in apoſtata mireris, nobis propitius, ac fautor, operam ſuam interponit, ac tandem in quinquaginta Cechinos mulctam reducit; eoſque ſtatim noſtro nomine Subaſſio ſe ſoluturum promittit. His itaque atque altero Cechino Lictorum Præfecto numeratis, è vinculis liberati, læti hoſpitium repetimus. Circa veſperum inuiſum nos venit Genizarus, redemptionis noſtræ poſt Deum præcipuus auctor; cui nihil lucri expetenti, quantum pro nobis expoſuerat, reſtituimus; deǵque tantâ erga nos humanitate gratijs habitis, liberaliter excepimus, ac vino nonnihil exhilarauimus.

Vndecimo Kalend. Decembris, vicinæ noſtræ Præfectus, pluribus comitatus Chriſtianis, nos adit, de plagis ſibi illatis queritur, ac ſatisfieri ſibi pro verberibus noſtrâ cauſâ acceptis poſtulat: cui etſi minimè obligaremur, ſuaſore tamen Genizaro duos dedimus Cechinos. Capizilariorum quoque ſeu Ianitorum Profecto quinque poſcenti Cechinos, Genizaro deprecatore vnico ſatisfecimus. Interpreti adhæc & hoſpitij patrono quatuor ſoluere neceſſum fuit.

Genizarus hic quamdiu Damaſci hæreremus, crebrò inuiſum nos venit; prandium etiam multoties nobiſcum ſumpſit; vtque maiorem in nos teſtaretur adfectum & fidem, ad cœnam ſecum vt veniremus, ſuaſque inuiſeremus ædes, additis etiam precibus inuitauit. Cui id non ſemel recuſauimus, quòd ob recentes carceres, Turcarumque vehementes ſuſpiciones minimè tutum fore iudicaremus. Licèt autem iam ſæpe humaniſſimum eum experti eſſemus, ſuſpectam tamen habebant quidam è noſtris hominis fidem, quod Græcus eſſet, & apoſtata, Venetici prouerbij memores. *Chi ſi fida in Grego, Non hà il ceruel intrego.* homini idcirco ignoto, barbaro, & infideli non eſſe credendum putabãt; veriti ne inſidias nobis ſtrueret. Victi tamen multis precibus venturos nos tandem proximo die ad cœnam promiſinus: maximè cùm aliqui noſtrûm diffidentiam eam (vt pote in hoſtium poteſtate planè conſtitutis neutiquam nobis profuturam) meritò damnaſſent, vt præpoſteram.

Decimo itaque Kal. Decembris, circa ſecundam poſtmeridianam horam ad nos redit Genizarus, promiſſiſq; ſtandum admonet. Imus cũ illo, inuiti licèt, & vt ita dicam, cõtra ſtomachum. Ducit nos haud procul à Diui Pauli portâ, ad ædes quaſdam muris vrbis continguas, latâ areâ hortoq; ornatas. Eas ſe animi relaxandi cauſâ cũ commilitonbus ſæpenumerò adire: præter has tamen & alias ſibi eſſe, quibus familiam aleret, habitaretq; cum vxoribus, ait. In cubiculo autem eminenti, atq; à reliquo ædificio ſemoto, ſupraque vrbis muros exſtructo, ex quo in vniuerſam ferè vrbem proſpiciebatur, cœnã præpari à ſuis (Chriſtiani hi erant omnes) curauerat. Solũ tegumento ſtratũ erat ſerico: è parie-

tibus varia armorum pendebant genera; Lectuli ornatus sericus non inuenustus In medio cubiculi mensam rotundā instructam inuenimus (Tabaccam Mauri vocant) altam à solo semipedem, corio coopertam rubro, sine mappâ & mantilibus. Discumbimus solo vnà omnes, poplitibus complicatis more Turcarum. Dapidibus lautissimis more gētis nos reficit, hilariter excipit, vinum quoque Sardanaticum optimū, album & rubeum fūdit, propinatq; . Indulgemus genio in serum vsque vesperum. Cœnâ peractâ, ac gratijs habitis, discedendi veniā petimus. Concedit: comitemq; se nobis exhibet: extra vrbem ducit, & sacra se nobis ostensurū loca promittit. Vbi è regione portæ Diui Pauli ventū fuit, in latam quandam aream, sepe vndiq; cinctam introducit; in cuius medio capitellum ligneum, arâ ornatum lapideâ, de quo pendebat lychnus ardens, offendimus. Diui Georgij ædes hoc loco quondam extitisse, atque hinc Berytum abijsse, Oriētalium Christicolarum opinio est. Iuxta capitellum antrum erat, in quo Paulum Apostolum rabiem Damascenorum fugientem aliquamdiu latuisse Orientales memorāt: posteà verò Martyrū Sepulchrum effectum, in summo semper honore in hunc vsque diem à Christianis habitum asserunt. Locus is Christianorum ibi commorantium cultu crebrâ conuentione & Precibus frequētatur, ardēti lychno illustratur assiduò, ac sacrosanctus habetur. Huc quoq; Genizarum illum cum cæteris Christianis precatum Christiano ritu quotidie venire solitum accepimus: quod etiā tum comprobauit. Nam adorantibus nobis Saluatorem omnium Deum flexis genibus, ipse quoque orationi vacare nostro ritu non erubuit: quinimo vt rem Christianam valdè sibi cordi esset declararet, capitellum id proprio ære à fundamentis se velle restaurare, atque ex ligneo lapideum efficere, areamque latissimam (quæ sepe cingebatur) lateritio muro munire, ac tutam reddere testabatur. Inde ad vrbem regressi, primarias eius ædes accessimus, non tamen intrauimus, sed in ipso atrij limine substitimus: nam ingredi Turcarum penetralia, maximè vbi feminæ adsunt, Christianis non licet. Socerum verò prouectæ ætatis virum euocatum vt conueniamus, atque salutemus, petit: prodeunti salutem Turcico more manibus capiti nonnihil inflexo impositis impertimur, summam humanitatem & beneuolentiam generi sui per Interpretem prædicamus, æternùm nos ei obstrictos fore, palam confitemur. Ille probare se eius factum, Subueniendum aduenis, opemq; præstandam in necessitate constitutis: id enim Deo gratissimum esse ait: se quoque Frangijs (sic enim omnes Occidentales indigitant) fauere, ac fausta precari, adeoq; se suaque omnia nobis offerre. Nos rursum generum suum satis beneuolentiæ nobis præstitisse, nec esse quod desideremus amplius: pro isto tamen in nos animo gratias agere,

eique

eique optata nos à Deo precari, reſpondemus. Poſt hęc veniâ ab vtroque impetratâ, diſcedimus, & hoſpitium repetimus.

NONO Kalend. Decembris ad Fontem Diui Pauli vulgò appellatum ducimur, in quo ab Ananiâ eum baptizatum ferunt. Is nunc Act. 9.
publicæ plateæ eſt expoſitus, atque aquis abundat. Haud procul inde in ædibus Santoni cuiuſdam Turcici oſtenſa nobis fuit Meſſita paruula, cui Gemma nomen eſt, ſepulchrum continens marmoreum, coopertum panno cimatili, Arabicâ inſcriptione inſculptum; quod Ananiæ eſſe autumant. In vico adhæc iuxta auſtralem portam vetuſtiſſimũ nobis oſtendêre duces Templum, Syrorum hodie vſui dicatum: quo olim Iudæ Apoſtoli ædes extitiſſe volunt: in quibus Paulus hoſpitio exceptus viſum recepit, & Spiritu ſancto repletus eſt.

Aduenerat Damaſcum VIII. Kalend. Decembris maximo comitatu Ægyptij regni Baſſa, Conſtantinopolin ad cauſam coram Imperatore dicendam profecturus. Hũc ſiquidem quod Genizarorum ſtipẽdia interuertiſſet, querelis eâ de re ad Portã Oſmannicam delatis, Maſul (id eſt omnibus honoribus exutum) Imperator declarauerat, alioque in eius locum ſuffecto, ac die dicto, quo ſub pœnâ capitis præſto eſſet, per Chiauſium mutum ad ſe euocauerat. Caſtra hîc iuxta vrbis mœnia in prato latiſſimo ad ripam Abanæ fluminis locârat. Id vbi nobis innotuit, auidi ſpectandi res exteras, eò nos ſeptimo Kalend. Decembris contulimus. Diſpoſita hîc illîc eleganti ordine caſtrenſia tẽtoria, mirificam ſanè præbebant ſpeciem, varietateq; ſuâ morabãtur omnium animos, & oculos. In medio Baſſæ tentoria fixa erant, quæ à cæteris formâ & amplitudine diſtincta, & in varia diuiſa cubicula, caſtri formam referebant, cortinis viridis rubrique coloris veluti muris vndique cingentibus. Erat eius comitatus ampliſſimus, adeoque illuſtris, vt cum regio faſtu & ſplendore certare potuiſſet. Aderant quippe duo circiter millia hominum, cameli plus minus ſexcenti, equi quingenti, centum & viginti muli, auro & argento (vt ferebatur) onuſti, dromedes plurimi, equi item regij nobiliſſimi quaſi centum, quos mancipia toto itinere manuducebant: omitto iumenta cætera, ac peditum ingentem copiam. Quis verò hæc in homine priuato, & peculatus reo non miretur? quis ſummam hanc & penè incredibilem barbarorum magnificentiam & faſtum non obſtupeſcat? Sanè ſi magnorum Principum, atque etiam Regum Chriſtianorum ſpectes conſidereſque comitatum, nihil ad hunc eſſe fatearis neceſſe eſt.

QVINTO Kal. Decembris dux noſter Baſſam proximâ luce cum Mechano Cadio & Chiecagiâ Cõſtantinopolitano diſceſſurũ nũciat: cũ his itaq; iter capeſsẽdũ nobis eſſe, & neceſſaria coëmẽda monet. Re auditâ obtẽperamus, ac ſtatim annonã omnem, cęteraſq; res in itinere

nobis vsui futuras per Interpretẽ comparari curamus; habitũ quoque Turcicũ, Zonas itẽ, & capitis velaturas, vt hoc prætextu liberiorẽ vbiq; accessũ & recessũ haberemus, cõsilio ducis nostri emimus Priusquã tamẽ ad hoc iter progrediamur, quæ de vrbe hac celeberrimâ cognouimus, quæq; obseruatu digna putauimus breuibus duximus subiũgẽda.

CAPVT XI.

Damasci vrbis, eiusq; suburbanorum descriptio.

EST DAMASCVS Hebraicè Damseck, Schiã Turcis, Maurisq: appellata, totius Syriæ regia, vrbs vetustissima, ampla, ac potens, publicis ædificijs nitida, mercaturâ, & negotiantium inquilinorum frequentiâ copiosissima, tota per circuitum muro fossáq; duplici, muro nempe & antemurali, ac robustissimis portis laminis ferreis obductis & iustæ altitudinis turribus æquâ proportione distantibus, cincta, ac munita: sex millia passuum suo ambitu comprehendens: sita in planitie latissimâ, ad radices montis Libani, ibi Hermonij dicti, à quo non amplius duo millia passuum abest. Ab Hus filio Aram (vt author est Iosephus) condita, & Aram antiquitùs dicta: â Damasco demum filio Eliezer, Abrahami procuratoris filio, qui eam postea instaurauit, Damasci, vt aliqui volunt) nomen obtinuit. Benignitate autem soli, ac rerum omnium copiâ, hominumq; frequẽtiâ, amœnitate, clementiâ cœli, situ, pulchritudine, ac omni delitiarum genere nulli Orientis vrbi cedit. Aquis in primis abundat, ac fontibus irrigua est; Percurrunt siquidem vrbem plurimi riuuli, qui toti vrbi ferè vicatim fontes subministrant: adeò vt non solùm per Chana, Messitasque omnes, ac magnatum ædes, sed etiam per singulas fere domos, ædesque priuatorum diuisæ in plurimos digitos aut fibras fonticulorum venæ distribuantur; quas vbique locorum in atrijs & cœnaculis videre est. Fluuium quidem nauigabilẽ nullum habet, sed duos riuos, ex Hermonio monte delabentes rapidos & valde piscosos Abanam, seu Amanam, vel Amnam, & Farfar, vel Pharpharam appellatos sacris in Literis in primis celebres, aquas limpidissimas, optimas, atque saluberrimas producentes: quæ intus forisque vrbem beant, Amna vrbem influens, Pharphara præterfluens, & hortos ac viridaria omnia irrigans, imò & circumuicinũ omnem agrum ex propinquo deductis aquarum meatibus, irriguum omninò & vliginosum reddens. Hinc ager eius quamuis soli naturâ sterilis, & aridus sit; frumenti, viniq́ue generosissimi ferax, atque etiam pecoribus pascendis aptissimus est. Addunt vrbi non minimam venustatem, pulchritudinem commoditatemque, innumera ferè pomaria, horti, viridaria, vineæque, quæ vndique vrbem ambiunt,

1. Ant. 14. Hieron in Genes. 10. 15

4. Reg. 5.

biunt, atque instar densorum nemorum ad tria & ampliùs per circuitum milliaria sese extendunt: quæque populus alba & nigra, & salix procera vndique sepiunt, cuiúsvis generis arboribus, fructicibus, rosis, floribusque adoriferis, mirè fragrantibus referta. Hîc namque Pyra, Poma, Prunaque diuersi generis suauissima, optimaque, Persica, Punica mala, Chrisomele, Amygdala, Musæ, Ficus omnium laudatissimæ mira vbertate proueniunt. Hîc vuarum recentium tanta copia, adeoque ætatem ferentium, vt toto ferè anno passim per vrbem venales extent. Hîc flores, colores, odores, delectabiles. Hîc denique tanta amœnitas, ac variorum fructuum vbertas, vt non immeritò Paradisus terrestris à multis appelletur: ideoque quod de Alcinoi hortis vatum princeps cecinit, Damasco adscripserim libens

Hic nemora in cœlum latè crescentia surgunt,
Puniceì pomum grani malumq́; pyrúmque,
Et dulces ficus, & magnæ Palladis arbos.
Non illis borealis hiems, non officit æstas
Torrida, sed placidas Zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat fœtura per annum,
Et pomo insenuere recentia poma priori;
Et noua iam miti superaduenit vua racemo.

Hinc verò caput Syriæ, Ciuitas laudabilis, vrbs lætitiæ, & Domus voluptatis in sacris Literis meruit appellari. Haud iniuriâ: quicquid enim amœnum, quicquid suaue optari potest, licet hîc conspici, habere, frui. Quam benignum autem cœlum sit, ex eo argui satis potest, quòd nonnunquam noctu sub dio dormire coacti, nullam vnquam grauedinem capitis quisquam nostrûm senserit. Hæc tamen rerum omnium abundantia, ac mira vbertas, quæ luxus factusque, ac scelerum & vitiorum sepenumerò existit ministra; luxuriant enim (vt ille ait) animi rebus plerumque secundis; effecit, vt toties Damascus diuinam iustitiam vindictamque senserit, ac iuxta Prophetarum vaticinia excidium, deuastationem, euersionem, atque incolarum interitum, depopulationemque perpessa fuerit, adeoque non solùm Ciuitatis Regiæ formam amiserit, sed nec oppidi faciem retinuerit: quinimo lapidum potiùs aceruum, seu ruinarum molem quandoque representauerit. Hinc toties etiam rerum immutationem experta, externis regibus seruiuit. A Dauide siquidem regni limites proferente expugnata, multo tempore Hebræorum iugum sensit: Donec tandem vltimis Salomonis temporibus seruitutis excusso iugo propriũ rursum regem

(Marginal notes: Isai. 7. / 2. Reg 8. / 1. Paral. 18. / Ierem 49. / Amos. 1. / Amos 1. 3. / Isai. 8. 10. 17. / Ierem. 49. / Zach. 9. / 2. Reg. 8. / 1. Paral. 18. / 3. Reg 11.)

4. Reg. 16. elegerit. Verùm non multò post Achab regis auxilijs ab Armeniorum rege Teglatphalasar occupata, ac penitus exusta est. Viribus deinde nonnihil reparatis, rursum à Babyloniorum rege adeò deuastata est, vt dudum ciuitatis faciem perdiderit: donec tandem à Ptolomæis iterum instaurata, pristino decori restitueretur. Posteà sub Pompeio Magno à Marcello subacta, in Romanorum potestatem deuenit. Dein Romani Imperij labentibus rebus, à Saracenis 636. occupata, rursum à Tartarorum rege Haalos anno supra millesimum ducentesimo sexagesimo secundo expugnata: postmodum anno 1400. à Tamerlane Parthorum rege funditùs diruta, & solo æquata est. Denique in Sultani Cairensis ius cessit: qui eam in pristinum statum restituit, præsidioque Mameluchorum firmauit: cuius Imperio multis temporibus paruit. Tandem Selymus Turcarum Imperator eius nominis secundus, anno à nato Christo 1517. deuictis Mameluchis, ac Sultanico exstincto Imperio, Ægypto omni atque vniuersâ Syriâ subactis, eam Osmannidarum Imperio subiecit, cui etiamnum paret, ac durum seruitutis iugum sustinet. Cæterùm Christianâ in Syriâ florescente fide Archiepiscopatus titulo vrbs ipsa claruit: fuereque ei subiecti vndecim Episcopatus, qui hodie ad vnum omnes exstincti iacent. Græcorum tamen Patriarcha, titulo Antiochenus, ob solo æquatam maiori ex parte Antiochiam, hîc Græco populo præest, & sedem habet.

Hier. in Isai. 17. Ios. 4. Ant. 14. Herold. 4. Contin. Bel. Sacr. 14. & 6 Contin. 4. 10. Onuph. in Chron. Eccles. Tyr. 14. Bel. Sacr. 12.

Suburbia hîc species elegantia & ampla, variorum ædificiorum & hortorum culturâ, nec templis quidem Turcicis deficientibus, amœnissima, nonnullis verò in locis non eadem domorum frequentia, quæ in vrbe est, sed interiectis nonnullis areis separantur: structurâ alioquin ab vrbis ædificijs parum differunt.

Bazarra, foro nundinisque destinata, in vrbe visuntur amplissima, latissimaque, magnifico atque arcuato opere constructa, multò nobiliora, atque ampliora quàm quæ totâ Syriâ viderim. Hæc officinis vtrimque pulcherrimis (in quibus cuiusuis generis merces venales reperias, artesque mechanicas exercentium copiam cernas) ornata sunt; ad eum modum distincta, vt vnaquæque ars, & quoduis pænè mercium genus peculiarem habeat locum. Ex his plurima ferreâ cathenâ transuersâ in ipso aditu præcluduntur, ne interdiu equis iumentisque cæteris pateat transitus: noctu verò obserantur ostijs, ne vlli hominum animaliúmve in ea detur aditus. Horum officinæ tamen haudquaquam totis diebus patent, sed constitutis tantùm horis aperiuntur: quibus mercatores eò conuenire, suaque expedire negotia solent. Matutino namque tempore ab horâ diei tertiâ meridiem vsque; postmeri-

meridiano verò ab horâ vesperarum, ad Solis vsque occasum patefiunt: cæteris occlusæ remanent, & negotiationes omnes silent. Mechanicarum tamen artium opificibus omnibus horis suas artes exercere liberum est: eoque iure fruuntur & annonæ venditores: integris enim diebus in obsopolij Bazarro tabernę patent Videre ibi est maximam ex ære portam, quam à Tartaris Hierosolymis illuc aduectam ante annos 350. ferunt incolæ.

Plurimæ per vrbem extant amplæ ædes, Chanseis Mauris dictę, Textrinę hæ sunt publicæ; in quibus sericarij textores, & polymitarij, Mauri plerique, summâ industriâ artem textoriam exercent. Sunt quippe Damasceni in texendis byssinis, & sericis, vndulatisque omnifarijs diuersi generis floribus versicoloribus elegantissimo artificio intertextis, ac tapetis, itemque ex Xyli seu gossypij fruticis lanugine candidissimis tenuissimisque conficiendis telis peritissimi, ac inter omnes Syriæ indigenas celeberrimi. Hinc serica illa lineaq; vulgò Damascena appellata, ob operis elegantiam, & excellentiam, vti pulcherrima, rarissima, & præstantistissima per vniuersum ferè Orbem venum à mercatoribus exportantur. Arcus prætere a, cultelli, enses, acinacesque vndulati in maxima hic conficiuntur copia, Damasceni & ipsi vbique terrarum nuncupati, atq; ob incomparabilem & rarissimam chalybis temperaturam, summo apud omnes in pretio habiti: ita vt verutum ipsum, seu lamina alicuius ensis aut acinacis centum aliquando & amplius constet aureis. Eius quippe ferri seu chabybis ea vis est, vt vno ictu, nihil retusâ eius acie, etiam militum galeæ discindantur. Varij item generis vtensilia ænea, emblemate vermiculato ex argento vel auro in tessellas aptato mirâ arte hic affabrè fiunt. Omitto cætera ad mechanicas artes spectantia; longum enim foret singula ordine recensere, quæ hic venustè sanè & expeditè Damasceni componunt. Qua in re maiorum suorum sequuntur vestigia: qui idcirco ab Ezechiele plurimùm laudantur in multitudine operum suorum, in multitudine diuersarum opum, in lanis coloris optimi, & vino pingui, vel potiùs D. Hieronymo interprete pinguissimo; nam maximè nutrit, & saporis optimi stomacho palatoque gratissimum est. Vt autem Damascenus populus industriâ, operibus, atque opibus cæteros Syrię incolas longè antecellit, sic etiam quicquid Damascena terra producit, optimum, atque apud omnes in pretio est, pręstatque cęteris alibi natis. Hinc etiam vuarum acini, Mauris Zibib vel zibeben dicti, itemque Pruna passa, seu siccata, nostris longè maiora, & à Plinio laudata, hic pręstantissima sunt: quæ idcirco sub Damasceno nomine tanquam

Cap. 27.

Lib. 13. c. 5. & li. 15. c. 13

tanquam nobiliora cæteris, vbiuis locorum venum à mercatoribus diſtrahuntur.

Varia præterea in vrbe videre eſt publica ædificia, ſumptuoſa, ampla, atque magnifica, Chana, Imaretha, Meſſitas, ac Balnea ſuperbiſſima: quibus pulcherrimi additi ſunt fontes, ad hominum iumentorumque quotidianos vſus accommodi. Præſtat cæteris cùm ſtructuræ magnificentiâ, tùm operis elegantiâ, atque amplitudine, vetuſtiſſima & auguſtiſſima Chriſtianorum quondam Baſilica, nunc in Meſſitam verſa, ab Heraclio Imperatore (vt volunt) Divo Ioanni Baptiſtæ, vel (vt alij putant) Diuo Zachariæ eius patri dicata. Plumbeis namque laminis tecta, pinnaculo deaurato in tecto medio aſſurgente, vel maximè coruſcat, varióque marmore & inſigni celaturâ decorata, operis ſui magnitudine, varietate, atque altitudine ſe maximè ſpectabilem exhibet. Eius aquilonari lateri ſpatioſa adhæret Area, marmore conſtrata, & nobiliſſimâ circumdata porticu, columnis è porphyrite lapide ornata; in cuius ferè medio octo viſuntur columnæ marmoreæ, in orbem diſtinctæ: abacus ſeu armarium his ſuperpoſitum, in quo ſacra Eccleſiæ volumina ab eo tempore quo vltimò capta à Mahumetanis vrbs fuit, recondita putantur. Ab occidentali latere in ipſo Eccleſiæ frontiſpicio (quod totum marmoreum eſt, operiſque elegantiſſimi) peringentes ſpectantur valuæ æneæ trigeminæ: quæ inter cætera vetuſtatis inſignia principem locum tenent. Harum mediæ cæteris maiores, eleganti celatæ manu, Græcam inſcriptionem continent: quam tamen eminus (nam propiùs accedere Chriſtianis non licet) legere non potuimus. Viginti quinque gradibus marmoreis frontiſpicium longitudine æquantibus, ab eâ parte ad templum adſcenditur. Hos iuxta fons viſitur patenti Eurîpo, copioſas, perenneſq; effundens aquas, cryſtalli inſtar limpidas. Ab auſtrali verò latere tres alias eiuſdem ferè magnitudinis valuas ex ære geminas inſigni formâ conſpicuas videre eſt: ad quarum medias, per porticum ſatis amplam longitudinis paſſuum circiter quinquaginta, columnis marmoreis vtrimque ornatam, patet aditus, deſcenditurque ad templum ab eâ parte decem circiter gradibus. Ab vtroque verò graduum latere duæ ingentes, & mirandæ magnitudinis viſuntur columnæ, ex ophite lapide, Græca pariter inſcriptione celatæ: quæ tamen literis magnâ ex parte corroſis, & temporis iniuriâ & vetuſtate exeſis, difficillimè, nec niſi à propiùs accedente legitur. Referunt Græci ritus Chriſtiani hanc inſcriptionem vrbis excidium atque expugnationem Iuſtiniani temporibus factam continere. Ex eo autem loco interiora templi introſpicere prætereuntes commodè queunt. Nos cùm eò tranſiremus quadruplici columnarum ſe-


rie

rie suffultum, & exornatum, lychnisq; pensilibus plurimis decoratum, ac marmore stratum animaduertimus Affirmant Mauri duas in templo asseruari arcas marmoreas, etiamnum integras, & illæsas, viridi panno coopertas; quarum vnam Zachariæ Sepulchrum ferunt, alteram, cuiusnam ossa contineat, ignorant: vtramque tamen in veneratione habent. Ad Templi Chorum procedentibus, locus se offert marmoreis columnis circumdatus; in cuius medio monumentum item è marmore visitur, Sancti cuiusdam ossa continens, Mahometæi locum hunc, itemque Chorum ingredi religioni habent, aditumque omnibus prohibent. Ne verò quis temerè aut imprudenter ingressum tentet, vtrumque seris & repagulis perpetuò obdunt, & occludunt. In ipso ferè vrbis vmbilico Arx est altissima iuxtà ac munitissima, è candido marmore, quam Florentinum quendam ædificasse fama est: cuius rei vel maximè fidem faciunt insignia Florentinæ vrbis Lilio designata, in ipso muro insculpta. Est autem quadratæ formę opus, muris, turribusque lapideis altissimis, fossisque profundissimis cincta, præsidiario milite ex Genizarorum ordine munita. Fossæ diuersi generis arboribus, præsertim verò Moris albis, Vitibus insuper, atque oleribus consitæ, viridaria, hortosque summâ cum spectantium voluptate repræsentant: quæ licèt aquâ careant, facillimè tamen, si occasio postulet, per deductos arte ex propinquis riuulis Euripos, in eas breuissimo tempore deducitur: neque desunt interim canaliculæ, per quas aqua, quatenus culturæ sufficiat, iugiter defluit, quâ & horti quotidie irrigantur, & humectantu abundè. Vnicam tantùm Arx habet portam, quæ ab ortu per sublicium pontem præbet accessum: cui vtrimque è muris dependent cathenæ lapideæ, mirâ arte fabricatæ, quatuordecim prægrandibus annulis oblongis, adeoque crassis, ac tantæ magnitudinis, vt stuporem intuentibus injiciant, vel eò magis, quod non arte coniunctas, sed ex vno eodemque lapide mirandâ industriâ perpolitè excisas narrent incolæ. Murus ambit Arcem (vt nobis Genizarus retulit) crassitudinis pedum quatuor; eiusdemque crassitudinis sunt & turres; quæ numero quatuordecim arcem sepiunt, muniuntque: eo ordine dispositæ, vt tres ab orientali latere, totidemq; ex aduerso, ab australi verò quatuor, & quatuor à septentrionali numerentur. Tormentis bellicis, è muris turribusque prominentibus, minoribus tamen, sic satis instructa, & præsidiario milite ex Genizarorum ordine (vt diximus) munita est. Præsidium ducentorum militum esse perhibetur; ex quibus in ipso ingressu viginti circiter quotidie excubant, ferreaque cathenâ per pontem transuersim ductâ animalibus aditum prohibent. Exteris, imò nec ciuibus, nec inquilinis Mauris accessus ad eam patet.

Viæ viciq́ue Vrbis plerique silice constrati sunt, latera quadrupedali fere latitudine vtrimque eminent, medio instar canalis nonnihil profundo, latitudinis pedum quatuor, aut quinque, vt saltu quis inter medium id percommodè superare, atque ex vno in alterum assilire latus queat. Hîc Carauanæ Camelorum singulæ, ac cætera iumenta sarcinis onusta ad diuersoria publica pedetentim permeant, sine molestiâ & impedimento vtrimque transeuntium. Canalis ille medius pluuias ac fontanas aquas superfluas, iumentorum excrementa, & viarum sordes recipit, & ad cloacas defert. Hinc latera illa cùm nitidiora habeantur, cuiusuis sexus hominibus mundum & percommodum transitum præbent. Rhedarum ac plaustrorum hic nullus vsus: asinis, alijsq́ue iumentis sarcinæ atque onera omnia quoquò portantur. Sunt præterea publicæ viæ, plateæque, præcipuis exceptis, vt plurimum portis seiunctæ, atq; in vicinias plurimas distinctæ: quarum vnaquæque suum habet Præfectum: qui, si quod scelus, furtum, aut homicidium maximè noctu committatur, manè Subassio indicare tenetur.

Priuatorum ædes ferè omnes è lateribus Sole siccitatis, & argillâ rudi modo compactis, aut calce obductis constant: adeò vt maior pars maligno satis caducòque ædificio constructa sit; nonnullæ tamen ex cocto latere, calce aut cæmento conglutinatæ, paucissimæ ex lapidibus compositæ spectantur. Omnes autem licèt extrinsecus inelegantes & viles appareant, intùs tamen comptè & ornatè dispositæ, varijsq; mansionibus & cubiculis distinctæ, vario etiam marmore atq; opere tessellato egregiè elaboratæ conspiciuntur: cumq; pauimento subdiali, non tecto cuneatim coëunte cooperiantur, facilis est è superiori parte ex vnâ in aliam transitus; maximè quando cohærent.

Incolę partim Turcæ, Mauri, & Hebræi, partim etiã Christiani sunt, varijs inter se ritibus diuisi. Præter Turcas, omnes ferè mercaturam, vel artes mechanicas exercent Christiani itemque Hebræi à Turcis Maurisq; separatas habitant regiones. Omnes vnius Bassę (qui summus est magistratus) agnoscunt imperium: neque is in vrbem solùm, sed velut Prorex in multas alias longè lateq;, ac vniuersam Palęstinam, Ægyptum vsque dominatur, multosq; sibi subiectos Saniaccos habet. Præter Bassam autem Cadius, Subassius, cæteriq; inferioris ordinis magistratus, in his quæ sui muneris sunt, populo præsunt, ius dicunt, & iustitiam administrant: Cæterùm hic omnia pondere veneunt; panes nimirum, pisces, carnes, legumina, fructus, imò ligna: quorum mira ibi penuria, ob maximam hominum frequentiam. Nam rotulus Damascenus (qui ponderis est genus, libris septem Venetis vncijsq́ue duabus respondens) Maidino Turcico (cùm illic hæreremus) constabat Aquam rosarum albarum & rubrarum (quarum maxima hîc copia)


TRIPOLI DE SORIA
Mons Libanus
Castrum
Anefe
C. Poso

copia (non pondere, vt Itali, sed ad mensuram diuendunt. Verueces hic cernas adeò obesos, vt pinguedine fere diffluant, suntque adipe omni ex parte eum in modum obducti, vt carnem internoscere minimè queas; adeoque grandes, vt ducentas libras nonnunquam pendant: caudas verò duodecim pondo cubitali longitudine trahunt; reliquâ corporis formâ Cyprijs persimiles, licet maiores. Hæc de Damasco: nunc ad iter nostrum redeamus.

CAPVT XII

Discessus ex Damasco; & Libani montis descriptio.

QVARTO Kalend. Decembris postquam Damasci sexdecim integros dies transegissemus, tertiâ diei horâ sarcinis complicatis, discedimus, damni accepti, ac molestiarum haud immemores. Suburbio superato, per planitiem spatiosam, campestrem, irriguam, & vliginosam iuxta Libani montis radices iter flectentes, circa meridiem Restâ venimus. Pagus is est sic satis amplus & frequens, habitatore Mauro, quinto à Damasco situs lapide, à Libano duo distans milliaria, fœcundi atque vberis soli gaudens agris, ijsque cultissimis. Priusquam verò iter prosequamur, libet obiter de Libani montis, toto terrarum Orbe celeberrimi, situ, vbertate, amœnitate, fructibus, & populis nonnulla hic commemorare.

LIBANVS hebraicè Lebanon, insignis Syriæ mons, sacris Literis celebratissimus, Palæstinæ seu Terræ Promissionis ad Septentrionem terminus eam à Syriâ Damascenâ diuidit. Omnium Syriæ altissimus, iuga in cœlum tendentia, ac vertice nubes scindentia habet, mons montium idcirco non immeritò appellatus, quadragesimo & ampliùs milliario terrâ marique conspiciendum se præbet, suaque altitudine pluribus in locis perpetuas contrahit vmbras, à quibus frigora manant, & quibus demum exceptæ niues hærent rupibus, ac diuturnæ fiunt: vnde concretæ & in glaciem versæ caniculares etiam dies exspectant, & paleis, ne liquescant inuolutæ, ad vrbes circumuicinas deferuntur, atque in Bazarris venudantur. Brachiorum verò anfractibus ad Mediterranea vsque longè lateque porrigitur, & vt Plinius refert â Sidone Symiram & Palmirenam vsque regionem 1500. stadiorum longitudine extenditur, diuersaque sortitur nomina, ac multos includit vicos & pagos. Naturâ humidus, imbribus frequens, plurimis ac limpidissimis fontibus scaturit, non solum in radicibus, atque imis locis, sed & in medijs, atque etiam in summis iugis, è quibus adeò copiosæ emanant aquæ, vt earum potu numerosi

Deuter. 3. 34 Num. 34. Ose. 14. Ioseph. 5. Ant 3.

Hieron. in Zach. 11. & Ose. 14.

5. Nat. Hist 20. Hierem. c. 18.

rosi pecudum greges (quibus maximè abundat, ob frequentia, læta, atque vberrima pratorum pascua) satis superque satiari queant. Plures præterea riuos, torrentesque, ac fluuios fundit, gignitque. Præcipui sunt Iordanis, Eleutherus, Adonis, Hodie, Canis, Lycus, Assi, Abana, & Pharphar. Valles habet plurimas planas & vmbrosas, quasdam etiam decliues, & apricas, vineis, frumento, hordeo indico, ac cuiusuis ferè generis leguminibus cultissimas. Frondosæ ac densæ olearum syluæ, varij item generis arbores vberrimè hîc crescunt. Cupressi, Larices, Abietes, Pini, Buxi, aliæq;. Propter quas dotes ab Oseâ maximè celebratur. Nec dissentit Hieronymus: qui nihil in Terrâ Repromissionis ait eo esse nemerosius, neque condensius. In summis iugis excelsissimæ Cedri, à Salomone toties decantatæ, quibus ad Templi Hierosolymitani ædificationem plurimùm vsus est, etiamnum spectantur. Vidimus quidem in confinibus Iudeæ & Samariæ Cedros, sed nusquam tam proceras: quarum speciem paucis describemus. Est Cedrus Libani arbor conifera, perpetuò virens, pino excelsior, tam crassa, vt vix quatuor interdum, imò quinque viri brachiorum coniunctione truncum complecti queant. E trunco exsurgunt rami frequentes, ac crassi. Hi longè lateque sese diffundunt, & grauitate suâ truncum quandoque incuruant, æqualitate ramorũ adspectu pulcherrimi: arte excultos & concisos existimes. Radices habet raras, per summa terræ dispersas, ac detectas vt plurimùm: folia angusta, tenuia, dura, & acuta, mucrone capillato, & spinoso: ligno contorto, nodoso: medullâ rubente. Fructus odoratos cyparissi nucibus seu conis similes, aliquanto tamen maiores. Per autumnum autem nouos fructus cum anniculo dependentes cernas. Vina producit hic mons clarissima, pinguissima, mireque fragrantia, ac gustui gratissima, cùm alba, tum rubra: quæ epota hærent stomacho, ac leniter permeant, fouentq; naturæ vires, præsertim Sardanatica, sic dicta à pago Sardinaia; quo loco Noë primam plantasse vineam, ebriumque à Chan filio illusum fuisse veteres prodiderunt. Sæpiùs illud Damasci gustaui: & Cretico & Cyprio longè anteferendum iudico. Nullum quippe ventri tumorem, nullum vesicæ impetum gignit: gratum ori, gratum stomacho, ventriq; cibo commixtum facilè conquiescit, abstergitq; mordaces curas, humanis mentibus infestas: cuius laudem extollens Oseas propheta. *Memoriale (inquit) eius sicut vinum Libani.* Quare meritò cum Boëthio exclamare hic possem. *O felicia huius regionis vina, quæ labantem mœrore, animum curisq; depressum, modico haustu erigunt, firmantq; nutantem?*

[Margin notes: Cap. 14. / Hie. in Zach. 11. & Ose. 14. / Cant. / 3 Reg. 5. / 4 Reg. 9. / 2. Paral. 2. / Psal. 28. 36. / Isai. 2. 60. / Hier. in Isai. 60. & / Ezech. 27 / cap. 14.]

Manna quoque hîc copiosè colligitur, perfectissimum sanè atque optimum, Italicum longè superans. Cadit autem sub auroram in modum roris & pruinæ; adhæretq; graminibus guttatim, lapidibus quo-

que

que & folijs arborum : cumq; colligitur coagulatur, & ad Solem vel ignem resoluitur : gustu dulce, sicut mel, dentibus adhærens comedentis.

Thus quoque selectissimum, ac fragrantissimum, optimumq;, etiam Oseâ teste, hic colligi olim solebat, atque etiamnum colligitur, niuibusque perpetuis albescit : quod Liban (vt author est Hieronymus) Hebręis dictam, monti nomen dedisse putatur. Herbis item plantisq; medicis, aromaticisque diuersi generis, mirum in modum abundat: quarum optimo fragrantique odore venenosa animalia pelli, ac fugari dicuntur. Cæterùm reliquas Syriæ oras amœnitate, fertilitate, situ, pulchritudine, ac omni delitiarum genere, & rerum vbertate, Oleo, pecore, Bombyce, frugibus, ære, ferro, feris, ac volatilibus facilè antecellit. Maronitæ populi, Christianæ ac Catholicæ fidei obseruantissimi, nec non & Drusi, seu Trusci, Gallorum (vt ferunt) reliquiæ, Libanum, eiusque adiectam regionem incolunt. Hi nutriendis bombycibus (quorum maximam alunt copiam) summoperè dediti, sericisque conficiendis pannis aptissimi artifices, maximum suâ industriâ & opere quæstum faciunt. Hisce de monte Libano enarratis, ad institutum redeamus.

CAPVT XIII.

In Restâ pago mora & pernoctatio. Bassæ Cairensis comitatus amplissimus. Genizarorum Damascenorum tyrannis, instituta, mores.

Mox vbi Restam venimus, Mechanum Cadium, itemque Chiecagiam Constantinopolitanum, in quorum comitatu Damascum veneramus, iam aduentasse, ac pagi Messitam cum suis occupasse comperimus: cumque nullum ibi esset publicum diuersorium, sub dio exponere sarcinas nostras, atque iumenta necessum fuit. Hæsimus eo loci in solis vsque occasum. Interim Bassam Cairensem regio sanè cum comitatu ac fastu ad proximum pagum prætereuntem auidè spectauimus. Comitatus is horas licèt ampliùs sex istac permearet, aduesperascente iam die necdum transgredi desierat. Tanta enim camelorum lentè progredientium, equorum, mulorum, aliorumque iumentorum aderat multitudo, vt copiosum dixisses exercitum. Agmen postremũ præcedebant viginti quatuor sclopettarij ; Occidentales omnes, ac Fidei Christianæ desertores. Sequebatur Bassa sex stipatus cursoribus. Erat is natione Persa, nomine Ibrahim, prouectæ ætatis vir, & (vt facies indicabat) sexagenarius, procerus, patrio more barbatus, barbâ oblongâ, capillis canescentibus, vultu seuero, facie pingui, ac suffusca,

 adspectu-

adſpectuque grauis. Vehebatur autem nobili ac pręſtantiſſimo mulo, Turcico cooperto ſtragulo, Phrygio opere ex auro inſignito: quod non ſellis noſtratium more injiciunt, ſed equorum, mulorúmve eo contegunt clunes. Indumentum Baſſæ ex viridi ſerico raſo, formâ communi talari, interiori cingulo leuiter ſtricto, è quo pendebat acinacis aureo ornatus capulo. Tegmen capitis (quod Tulipanthum vocant) amplum atque ingens, è goſſypinâ telâ viridi & tenuiſſimâ, mirâ arte per varias circumflexiones compoſitum. Curſores veſtibus induti purpureis crurum tenus, aureiſque cincti zonis, è quibus pendebant acinaces, Seife Arabibus; Italis Cimitarri dicti, manubrijs auro obductis, pileolis (quæ Turcis *Vſcufij* ſunt) ex argento deauratis pro capitis tegumento vtebantur. Subſequebantur Baſſam viri aulici, iuuenes quaſi ducenti, in equis nobilibus, ac ſplendidè phaleratis. Poſt hos cameratum vehiculum, in quo languentem quendam Baſſæ affinem (vt ferebatur) duo muli portabant, vltimum claudebat agmen.

Potuiſſemus & nos vlteriùs eo die progredi in Baſſæ comitatu, verùm ſuaſu ducis noſtri in ſequentem diem abitum protraximus. Dicebat hic è re noſtrâ futurum ſi in Mechani Cadij & Chiecagiæ comitatu maneremus; eo præſertim intuitu, quod horum Carauana numero multo inferior eſſet, ideoque minus nobis immineret incommodi, neque eâ alimentorum in itinere laboraturos inopiâ, nec eas nos paſſuros moleſtias, quibus in Baſſæ comitatu redderemur obnoxij. Eſſe præterea in hoc Chiecagiæ comitatu Genizaros ſibi omnino deuinctos & familiares, eoſque nobis maximo vſui atque adiumento in itinere futuros, ſi noſtri, rerumque noſtrarum patrocinium ſuſcipiant: pactum ſe initurum cum ijs, vt ab iniurijs nefariorum hominum nos defendant, & à Caffarrariorum vexationibus, exactionibuſque liberent. Locum etiam in Chanis procurent commodum, ne cum damno & detrimento noſtro ſub dio (pluuio præſertim cœlo & ventoſo) noctu dormire toto cogamur itinere. His auditis probamus ducis conſilium, rogamuſque vt cum Genizaris pactum ineat, curetque quod è re noſtra putaret: quicquid enim noſtro nomine ageret ratum habituros. Is votis noſtris annuens, omnia curat libenter, & ſedulò. Genizaros, pacto iam inito, ad nos adducit, vinoque exhilarandos nonnihil admonet: ſic enim captari beneuolentiam & conciliari barbarorum animos aſſerit. Obtemperatum protinus: inuitati ad cœnam veniunt, menſæ nobiſcum aſſident, cibumque ſumunt, & per horas aliquot indulgent genio; ac tandem bene poti diſcedunt. Licèt autem Mahometęâ lege vetitus ſit Turcis vini vſus; Genizari tamen bibaciores cæteris, eâ neglectâ, magis illud appetunt quàm noſtrates: imò cùm id conſequi illis datur, multò auidiùs bibunt; nec enim finem

bibendi

bibendi faciunt, nisi ebrij & vino sepulti sint penitus. Cæterùm quoniam in Genizarorum mentionem incidimus, lubet obiter hoc loco perpauca commemorare, futura vt opinor, auido cognoscendi res exteras animo nō in iucunda, quę de eorum statu, militiâ, conditione, tyrannide, vitâ, ac moribus, dum in hisce Orientis partibus peregrinaremur, diligenti obseruatione didicimus, atque etiam re ipsâ experti sumus.

Sunt Genizari siue Ianizari (quod nomen Turcis Nouos homines, seu milites nouos significat) Turcarum sclopettarij, ac veterani milites, instar prætorianorum cohortium apud Romanos, bipartitò diuisi, in Constantinopolitanos, seu Aulæ Osmannicæ milites, & Damascenos Hi equestris, illi pedestris ordinis: qui tamen etsi pedites sunt, se alijs nobiliores ac pręstantiores putant, nec Damascenis cedunt. Omnes stipendio tenui militant, diurnas annonas accipiunt, non menstrua, nec annua salaria, vt apud nostros Principes moris est. Pro cuiusque tamen merito pecuniarij census assignantur, communiter seni, septeni, aut octoni, nonnunquam deni, ad summum duodeni quotidie maidini: quorum singuli Gazettam venetam æquant, vel solidum Gallicum, duodeni nostros stupheros octo. Deliguntur autem ex Christianorum filijs Europæis; qui à pueris ære publico educantur, Mahumetanâ lege imbuuntur, atque ad arma exercenda instruuntur; aut ex adultis Christianæ Fidei apostatis. Hi vt plurimùm ad omnia vitia proiecti, damnatique iudicijs, vel diuitiarum & libertatis cupiditate pellecti, Christo Saluatore abnegato, decisisque præputijs, legem Mahometæam amplectuntur: ex aliâ gente vllâ censent neminem. Damasceni Genizari (de quibus hîc potissimùm agemus) mille & quingenti sunt numero, totius velut Syriæ primores habiti, diuitijs & opibus affluentes, & magnæ apud omnes auctoritatis. Tirones, Genizarotos vulgò, alunt plurimos, hic denos, ille quindenos, nonnulli vicenos, & plures, iuuenes omnes robustos, & laboribus assuetos; & pro numero seruorum etiam equos alunt; vt nullo ferè negotio, si occasio postulet, supra quindecim millia equitum (vti fertur) breuissimo tempore contrahant. Nulla his alia est cura quàm equos peritè in gyros flectere, arma exercere, equitare, hastâ ludere, aliasque disciplinas militares discere. Apud dominos non lecto, sed solo, storeâ tantùm vel tapeto constrato indormiunt, & Zamberluchis suis, vel Gipenecis sese operiunt. Si Genizarorum quispiam vitâ excedat, ex his in demortui locum alius assumitur. Equos alunt præstantissimos; quos mirum in modum exornant, ephippia imponunt ex holoserico aut corio pulcherrimè elaborata, nostris non absimilia, nisi quod posterior pars paulò sit depressior.

Fræni

Frȩni lapillis candidissimis nitent: oreæ bullis aureis, argenteis ve inauratis, interdum æneis, pro cuiusque facultate instruuntur. Maior pars Damasci (quæ primaria ipsorum militiæ sedes est) domicilium habet, cæteri per vniuersam sparsi Syriam, Hierosolymam, Alepum, Amanum, Vmsium, Antiochiam, Lyzzam, Birrham, aliaque circunuicina oppida incolunt. Nullis subiecti legibus, nulli magistratui obediunt Superiorem, præter Imperatorem, agnoscunt neminem. Bassarum auctoritatem & imperium spernunt, negliguntque; suis tantum supremis ducibus, Agæ & Sardario (qui Tribunorum loco sunt) morem gerunt pro libitu. Hi ab Imperatore electi, imperium in cæteros exercent: in demortuorum Genizarorum locum alios ex numero seruorum, Bassis inconsultis, liberè eligunt. Licèt autem ab Imperatore creati, ab eius solùm voluntate dependeant; reprimere tamen Genizarorum audaciam, vindicare tyrannidem, ac debitam in sceleratos exercere iustitiam haudquaquam audent: mortem nimirum veriti, si se illis opponant. Quare tolerare eorum scelera, conniuere delictis, sontes dimittere impunitos, atque ad eorum sese conformare voluntatem sæpenumerò coguntur. Cæterùm si quæ enormia accidant, committantúrve crimina, quorum publicè interfit, quæque ad publicam militiæ dignitatem pertinent, ad Diuanum (ita militiæ supremum Concilium appellant) referunt: à quo hæc, aliaque dissidia publica deciduntur, ac componuntur. Huic enim Diuano præcipuus est scopus, vt publicæ militiæ existimationi consulant, eiusque auctoritatem pro viribus tueantur: quæ verò ad priuatos singulosque attinent, prorsus negligunt. Hinc facilè mutuis criminibus indulgent, maleficijs conniuent, vitia & scelera celant. Hinc quoque communi omnium voluntati aut placitis nemo contradicere, aut oppugnare nefanda consilia audet. Si quis fortassis syncerior, atque obseruantior æqui, honestati studeat, rationem amplectatur, iustitiam æquitatemque suadeat, & castigandos nefarios moneat; non solùm inuisum se alijs reddit, verùm etiam oleum & operam perdit; frustraque suggerit, quæ cæteri existimant rejicienda. Ea propter Bassis omnibus, cæterisque Syriæ magistratibus adeò formidabiles euasere, vt illorum conatibus resistere, aut decreta oppugnare non audeant: quinimo impunè omnia pro voto peragere, ac quæuis perpetrare scelera permittant, nemine præsertim de illatis iniurijs, commissisque delictis reclamante. Proinde etiam in quemcunque indigenam aduenámve, siue Maurus is sit, siue Christianus, aut Hebræus, vel leuissimâ occasione sæuire, clavâ ligneâ (quam Pusdiganum vocant) ferire licere sibi persuadent: adeò vt honestioribus plebique iuxta intolerandi, omnibus exosi sint. Vi namque quæcunque placent, exigunt, expilant, extorquent

quent, & ad ossa vsque miseros subditos excoriant. Virgines sepenumerò inuitis parentibus, etiam Christianas abducunt, rapiunt, stuprantque. Prædia, domos, agros, supellectilemque omnem, alienigenarum maximè, si quem è vitâ excedere contingat, per fas nefasque sibi vsurpant: quâ ratione ditissimi euadunt, thesauros cumulant, atque opibus præstant cæteris. Vsuræ præterea (quæ quidem Mahometæis vel maximè vsitata est) summoperè inuigilant. Auanijs adhæc (quo nomine Turcicæ fraudulentiæ denotantur) innocentes opprimunt, grassantur in aduenas, quo pecuniam extorqueant, eorumque potiantur bonis: cuius rei nostro equidem malo & damno Damasci periculum fecimus. Nisi enim Genizari fraudis nobis illatæ auctores extitissent, atque adeò de illorum lucro actum fuisset, vti posteà ex mulctæ nobis impositæ & Subassio solutæ inter ipsos diuisione didicimus, facillimè Bassę operâ (qui illius iniustæ extorsionis minimè conscius erat) pecuniam à nobis per vim extortam recuperassemus. Etsi verò nonnulli vt Bassam adiremus, deque vi illatâ quereremur, authores essent, attamen quod de ipsorum ageretur emolumento, tentare quippiam ausi non sumus; Veriti ne cùm rebus nostris afflictis remedium afferre desideraremus, deteriores eas efficeremus, néve in maius incideremus discrimen; eiusdem Bassæ exemplo edocti & terrefacti: qui cùm ne proprijs quidem rebus par esset, adeoque neque magistratus sui auctoritatem, neque publicam dignitatem contra nefarios istos, atque insolentes milites sustinere, ac vindicare valeret; minùs ipsum nobis subsidio venturum, vllumve rebus nostris auxilium remediumque adhibiturum sperandum erat. Is enim paucos ante dies quàm Damascum appulissemus, cùm aduersus Genizarorum corruptos mores, tyrannidemque pro sui magistratus auctoritate nonnulla statuisset, peruersisque eorum restitisset placitis, cedere tandem coactus, inops consilij, ac planè animum despondens, intra Serai sui septa se continebat, ac velut carceri mancipatus, in publicum prodire non audebat. Adeò autem creuerant aduersus eum conspirantium motus, atque animorum ardor, vt etiam nisi ab incepto se destiturum, & iamiam decreta reuocaturum, atque illatam sibi iniuriam offensamque militibus remissurum promisisset, mortem ei & internecionem minitarentur: quibus quidem motibus & tumultibus ante discessum nostrum, nec dum pacatis militum animis, aut pace inter partes compositâ, finis minimè impositus fuit. Neque verò magistratuum tantùm auctoritatem (vt diximus) negligunt, contemnuntque, sed & ipsius Imperatoris maiestatem parui pendunt. Quàm longè enim ab antiqua illâ Osmmannidarum militari disciplinâ, ac Principis obedientiâ desciuerint, declinauerintque, vnum duntaxat ad id

probandũ exẽplũ recitasse suffecerit. Solẽt Pãnonico hoc vltimo bello quotannis ferè regio diplomate ex illorũ numero modò trecẽti modò quadringẽti euocari, quos etsi suis subsidio in Pãnoniam mittere vltrò debuissent, non solùm tamen spretis regijs mandatis, seuerisque magistratuum iussis neglectis, ex suorum numero nullos miserunt; sed neque indictum numerum militum ex tironum classe ablegârunt: quinimò cùm nos Damasci essemus, etsi trecentos ex suorum numero mittere ab Imperatore paulò ante iussi essent, solos centum quinquaginta tirones amandasse fide dignorum relatu accepimus. Est autem pernecessarium istac iter agentibus, præsertim Occidentalibus, è Genizarotis aliquos sibi duces comitésve in itinere adhibere: vel si id per facultates non liceat, (est enim illis singulis diebus viritim Cechinus aureus pro menytro numerandus) horum gratiam largitionibus saltem emereri, quod nisi fecerint, manifesto se periculo sciant exponendos. Quòd enim multas difficultates in itinere superauerimus, quòd indebitas Turcarum ac Maurorum exactiones effugerimus, quòd denique commodè, quamuis frementibus & indignantibus Mauris & Turcis, in diuersorijs habiti fuimus, Genizarorum patrocinio & protectioni planè adscribimus: quæ si defuisset, infinitas propemodum ac intolerabiles perpessi fuissemus à barbaris iniurias, damna atque incommoda Putant enim Turcę Maurique, Occidentales omnes ex auro conflatos, aurum (pace legentium dixerim) cacare. Aurum omnibus modis vbiuis locorum petunt, vi & minis exigunt, extorquent, atque iniurias inferunt, auro se quis vt redimat, & â molestijs liberet. Sed si vel vnus adsit Genizarus, qui te protegat, & illatas iniurias vindicet, seque illorum iniustis exactionibus opponat, facile multorum petulantiam & vim coërcebit. Adeò siquidem Mauri omnes ac cæteri Syriæ indigenæ (cùm sint naturâ viles, abiecti, ac timidissimi) milites hosce regios pertimescunt, vt vnus multorum audaciam reprimere vel minimâ demonstratione par sit. Ex his facilè colligi datur, quantâ apud Syros Damasceni Genizari auctoritate polleant, quamque metuantur ab omnibus: vt non milites stipendia merentes, sed Dominos ac Principes, seu Tyrannos potiùs, Mameluchorum posteros & successores iure dixeris. De Genizaris hactenus satis: ad institutum reuertamur iter.

CAPVT XIIII.

Doume, Sardinaia, & Hadra pagi: eorumq́; situs; ac circumiacentium agrorum conditio.

TERTIO Kalend. Decembris, orto iam Sole in Cadij ac Chiecagiæ comitatu Restâ discedimus per latissimam fertilissimamque pla-

planitiem facientes iter. Ad quintum inde milliarum Doume vicum perexiguum Mauro habitatum ad læuam reliquimus: cuius territorium Cannabe ex plurimis aceruis congestis abundare comperimus. Hinc aliquid itineris emensi, vniuersam pænè terræ faciem glycyrrhizę floribus coloris purpurei rubentem magnâ cum voluptate conspeximus. Ad læuam mox ostensa fuit villa Sardinaia, in ipsa montis Libani costâ posita, Templo Diuæ Virgini sacro (in quo imago Deiparæ à Diuo Lucâ (vt ferunt) dipicta asseruatur) percelebris. Quatuor autem pinxisse Lucam imagines Mariæ Virginis vulgi opinio est: quarum vnam Romæ, alteram Venetijs, tertiam Alexandriæ Ægypti, quartam Sardinaiæ custodiri volunt. Templum id in rupe altissimâ fornicato opere constructum, viginti columnis marmoreis (quæ opus sustentant) decorum est. Imago Virginis quæ iuxta Aram Maximam ferreis cancellis custoditur, plurimis lychnis pensilibus illustrari dicitur. Oleum autem ex eâ fluere, ac septennij spatio in formam carnis mutari, & ad varios multosq; morbos curãdos, atque tempestates maris compescendas præsentaneum esse remedium asserunt. Maronitæ Christiani, eius pagi incolæ, Templi curam & custodiam habent; neque magis his quàm Mahometæis, Turcis, & Mauris venerabile est. Pagus tamē à solis Christianis habitatur. Si Turcæ vel Mauri morari ibi tentent, priusquam annus exeat, secreto Dei iudicio varijs vexati morbis miserè pereunt. De nobilitate vini Sardinatici, quod hîc abundat, suprà meminimus.

Circa meridiem Hadram venimus. Pagus est satis frequens, habitatore Mauro, in latissimâ positus planitie, fertilissimę glebæ territorio diues, & segete variâ ac frugibus abundans. Quâ parte verò Austrum spectat, solum omne vitibus cultissimum est. Vineæ hîc omnes, vti & reliqui circumiacentes agri, per deductas miro ordine fossas (haud secus ac Insubres suos colunt & humectant agros) læto admodum intuentium spectaculo ab accolis irrigantur. Licèt autem vites Mauri colant, ob vetitum tamen vini vsum, vuas non torquent, sed ex acinis succum exprimũt, coquuntque; donec ad spissitudinem instar mellis ebullierit. Pacmas id Arabicè vocant, nos Defrutum, *Itali Mosto cotto*; eoque in cibis pro intinctu vtuntur. Nonnulli aquâ multâ dilutum bibunt. Sunt qui vuas desiccant, desiccatasque per vicinas vrbes atque oppida distrahendas circumferunt. Alij etiam ex desiccatis, melle admixto & aqua, potionem coquunt.

CAPVT XV.

PER Loca deserta iter, & in ijs varia Chana, eorumq́; descriptio.

PRIDIE Kalend. Decembris primo diluculo Hadrâ relictâ, Septentrionem versus pergimus. Difficilior vtique eo die profectio: per cliuosa namque & salebrosa loca fuit iter. Priusquam tamen montana adscēdimus, altero ab Hadrâ milliario, iuxta vetustum & caducū quoddam diuersorium Turcicum substitimus; Turcarum Carauanam (quę de viâ ad dextram quasi trium millium passuum interuallo declinauerat) exspectantes: quâ propiùs accedente, per horridos, incultos, sterilesque montes, saxeasq; crepidines continuauimus iter: mox in angustum quendam incidimus transitum, in mōtis cuiusdam latere (cognomento Iubadin) excisum: qui vtrimque instar parietis ad perpendiculum excurrens, asperum transeuntibus pręstabat tramitem. Vesperi superatis montibus, in planitiem descendimus: nec multo pòst ad Chan quoddam *Coteife* nomine peruenimus. Id recens ędificatum, amplissimum, ac elegantis structurę ædificium, tres continet areas latissimas: prima Bazarro, seu Foro destinata est, altera Meschitâ ornata, tertia animalium iumentorumque præsertim stabulis, itemq; aduenarum quorumcunque receptaculis cincta, & quadratis lapidibus strata, pulcherrimum è marmore fontem aquâ vberrimum in medio habet. Hāc spatiosa & excelsa vndequaq; ambit porticus, cui reliquū ædificiū plumbeis tectum laminis accubat, totamq; per circuitum claudit aream. In eo locus sic satis commodus à Genizaris nobis assignatus est; vbi inter camelos, mulos, equos, asinosque in sequentem diem quieuimus.

Ipsis Kalend. Decembris per arida, squalida, & deserta rursum loca, difficili sanè profectione, & cœlo admodum pluuioso continuauimus iter. Vesperi Naph Chan, in cliuo quodam situm diuersorium pænè madidi appulimus. Id ruinosum ex parte, nec multùm amplum, nostræ Carauanæ satis copiosæ capax non erat: vnde Mahometæorū plurimi subdio dormire, atque algidam transigere noctem coacti sunt: nos verò vel inuitis, & reclamātibus Turcis, Maurisque, Genizarorum operâ sub tectum recepti, ibidem pernoctauimus, loco nobis assignato inter equos, camelos, mulos, ac cætera iumenta; adeò angusto & stricto, vt vix sedendi, nedum corpus extendendi spatium haberemus.

QVARTO Non. Decēbris nocte nōdum exactâ, cœptū prosequimur iter. Post præruptos, difficiles, horridosq; superatos mōtes, circa meridiē planitiem offendimus patentem, eminentē, adspectu pulcherrimā,

diuersi generis arboribus stipatam, & vbique cultissimam: in cuius ferè medio Caram oppidum humili impositum cliuo, & fœcundi soli, habitatore Mauro pertransijmus medium. Populosum quondam ac præclarum id fuisse oppidum dirutorum ædificiorum ruinę amplissimę satis testantur. Subsistente hoc loco Carauanâ, dum Cadius noster ad oppidi Cadium pedes pergit, nos eam nacti occasionem & commoditatem, expositis in gramine cibis, iuxta limpidissimæ aquæ fonticulum lassa corpora paululùm curauimus: mox Cadio redeunte cum cæteris continuauimus iter. Paulò post in deserta rursum atque arida, campestria tamen, lateque patentia incidimus loca: in quibus nec domum nec tugurium vidimus, non agros, non vineas, non hortos, non arbores, non nemora; sed terram Solis ardore adustam, sterilem penitus, & infructuosam. Post longũ molestumque iter secundâ tandem noctis horâ Chan quoddam *Hassiam* Mauris dictum accessimus: ingentis sanè elegantisq; structuræ ædificium, à Soleimane Turcarũ Imperatore (vt ferunt) exstructũ: iuxta quod sunt Balnea satis ampla, & magnifica; temporis tamen iniuriâ ex parte collapsa, & ruinosa, nulliusque ferè vsus. Subsistente Turcarum Carauanâ, nos quoque ibidem pernoctauimus; & sub tectum recepti, atque ex longo itinere fessi, optatæ dedimus languentia membra quieti. Diuersorium id etsi in aridâ horridaque exstructum sit planitie, procul à riuis fluminibusque remotum, fonte tamen non caret, optimas, & copiosas aquas emittente. Res sanè admiranda, in desertis aridisque locis fontes reperiri; qui numerosissimis etiam hominum iumentorumq; Carauanis sufficiant. Incredibile verò dictu quanto studio, quantisq; sumptibus & laboribus Turcę primates principesq; viri per subterraneos meatus profundissimos, aquas è locis longinquis, & à fluminibus fontibusque remotissimis ad publica eiusmodi diuersoria in viatorum commodum deduci faciant: animarum id saluti prodesse, ac Deo gratissimum esse existimantes.

CAPVT XVI.

Semsini siue Chemsij oppidi situs. Ab Arabibus discrimen: eorumq; conditio, vita, mores, instituta.

TERTIO Non. Decembris, horâ secundâ antelucanâ rursum iter arripimus, perque scabrosos montes difficiliter admodùm proficiscimur: quos vt transcendimus, in planitiem denuò incidimus latissimam, & vberem. Circa tertiam diei horam Chems oppidum, aliàs Semsinum præterimus. Id in amplissimæ planitiei, & prospectibus

bus liberæ positum medio, muris, turribus, fossisque cinctum, mille circiter passus suo ambitu comprehendit. A Mauris autem habitatum, militumq; præsidio munitum, aduersus continuas Arabum excursiones, impressionesque, qui circumuicinam regionem quotidie infestant, Carauanis insidiantur, ac malè tutum reddunt iter, incolis viatoribusq; tutissimum præstat refugium, ac propugnaculi loco est.

Subsistere hîc paulisper Carauanæ nostræ Duces, Cadius & Chiecagia, euocatisque ad se militibus atque oppidanis diligenter percunctati sunt, an quicquam certi de Arabibus haberent, vt quo laterent loco indicarent: quos vbi vicinos esse, ac pridie eius diei oppidum circumequitasse, atque in latebris hærere intellexerunt, subsistere primùm Carauanam, pòst in tres cohortes diuidi iussere: hoc modo toto composito agmine, vt pars frontem, pars media, pars terga teneret. In primâ cohorte Genizari erant equites quadraginta; qui sclopettis armati, veluti exploratores, quasi ad duos sagittæ iactus præcedebant. Subsequebatur pari interuallo secundum agmen, è cæteris constans Genizaris, militibusque, & Turcis, & Mauris, partim hastis è cannis Indicis prælongis præpilatis, partim arcubus, sagittisque, necnon sclopettis instructis. Hos quasi eodem interstitio sequebantur postremæ cohortis ac Carauanæ nostræ Duces, Cadius & Chiecagia, mancipiјs stipati peditibus: postq; eos duæ lecticæ, quibus Cadij vxores & pedissequæ vehebantur, succedente agasonum, peditumque, ac reliqua Camelorũ sarciniarorum multitudine; cuius nos in asinis mulisque vtrumque claudebamus latus, inermes planè, & metu perculsi non minimo; adeoq; neque ad pugnam, neque ad fugam arripiendam apti. Summo itaque cum animi angore, lento gradu prosequentes iter, ac veriti in singulas horas, imò momenta instans periculum, ac subitam Arabum impressionem (quorum manus euadere nobis impossibile videbatur) quasi proximam & imminentem iam exspectabamus ruinam & cladem. Qui præcedebant, sæpiùs hominum multitudine, aut Camelorum aduentantium agmine eminùs conspecto, Arabes esse rati, signo dato gradum sistere admonebant: cognito autem Carauanam esse, procedere iubebant. Sic proficiscentes, fauentibus superis, nullo accepto incommodo, nusquam etiam comparentibus Arabibus, fæliciter quidem, si timorem demas, eius diei absoluimus iter, ac sub Solis occasum Emesam peruenimus: vbi & substitimus, noctéq; proximâ languidi ac fessi quieuimus. Carauanæ quæ nobis in itinere obuiam venêre, præter actores & pedites, ducentis, aliquæ trecentis, quædam quadringentis & ampliùs constabant Camelis. Hi frumento onusti Damascum pergebant, ob summam tunc temporis frumentariæ

tariæ annonæ penuriam, quâ Damascus, vrbs alioquin abũdantissima, vel maximè laborabat. Mirum autem fortassis Lectori videbitur quòd cùm regiones hæ fertilissimæ, atque omnibus rebus exuberantissimæ ab omnibus prædicentur, annonæ tamen caritate premi eas sæpenumerò intelligat: sed sciat, non vitio soli, sed agricolarum inopiâ, vel inertiâ potiùs id euenire. Nulla namque, aut rara hîc exercetur agricultura; imò nusquam tam neglectui habetur, vt apud hos. Hinc immensas per vniuersam ferè Syriam videas vastitates, & agrorum desolationes: hinc etiam oppida & pagos infrequentes, plurimos etiam desertos & habitatore vacuos reperias Ad Arabes (quorum frequens suprà habita est mentio) reuertamur. De quorum conditione, vagationibus, moribus, vitæque instituto, priusquam ad vlteriora progrediamur, paucis hîc visum est aliquid commentari.

Hi mercatoribus, exteris, viatoribusq; omnibus formidabiles, non modò vniuersam Syriam, sed & Mesopotamiam, Chaldæã, ac vtramque Tigridis ripam ad Persicum vsque sinum atque Ægyptum ferè omnem longè lateque perpetuis excursionibus & rapinis infestant. Ob quorum grassationes, deprædationesque terrestre iter illis in partibus haudquaquam patet, minimeque tutum est. Siue enim Mahometæus quis sit, siue Christianus, aut Hebræus, vel idololatra, parcunt nemini; sed in quoscunque obuios, nullo habito personarum discrimine, æquè grassantur, ac sæuiunt. Alij tamen alijs mitiores, humanioresque habentur. Professione Mahometęi sunt omnes, conditione pastores gregum, dicti Arabes ab Arabiâ, à quâ oriundi sunt. Gens autem est innumera, potens, bellicosa, atque armigera, vaga, tamen, sine domibus, sine statione, in tentorijs è gossypinâ telâ, vel caprarum aut camelorum pellibus confectis, habitant: sine quiete vllâ sub dio versantur, atque in continuo ferè sunt motu. Hinc ciuitates nullas incolunt, nullaque oppida aut arces possident, nec se eorum muris continent; ex vnâ regione in aliam migrant, & incertis sedibus vagantur, proque pascuorum vbertate, aut animalium commoditate loca commutant. Camelorum dorsis, vbi iter agunt, vxores, liberos, & quicquid habent supellectilis, circumferunt. Miseri sanè, atque omnium rerum egentissimi: quippe qui torpentes otio, labores exosi, neque agriculturæ dant operam, neque artes vllas mechanicas exercent, aut honesto aliquo studio victum quærunt. Licèt enim multis in locis agros colere, viridaria & hortos plantare non incommodè possent; malunt tamen fame, siti, ac frigore perire, quàm industriâ aliquâ aut manuum operibus victitare. Sunt verò adusti Solis ardoribus, fusci coloris homines, nonnulli etiam planè nigri, instar Æthiopum, macie confecti, torridi, pannosi, ac pænè nudi omnes, Præter gossy-

pinum

pinum enim indusium, manicis quadruplo largioribus nostris, & penulam laneam simplicem, *Haba* vel *gaba* nomine, è pilis camelorum vel caprarum rudi modo lineis albis nigrisque diuisim contextam, manicis vt plurimùm carentem, nihil quo se tegant habēt. Nudis adhæc incedunt pedibus: nobiliores calceos; pauci caligas induunt. Tulipantho (quod tegmen capitis est) è candidâ gossypinâ telâ multis gyris insinuatum, ac Turcis perusitatum, caput inuoluunt: idque pro symbolo fortitudinis habent, quo admoneantur in bellum ituri, ne de reditu, sed de morte potiùs viriliter oppetendâ cogitent. Fœminæ etiam discalceatæ omnes; vnico amictæ gossypino cyanei coloris indusio, quod cingunt medium: caput linteo obuolutum tegunt, ac faciem velant, passisque vt plurimùm incedunt crinibus. Cærulei coloris notis frontem, genas, supercilia, ac labra tingunt & inficiunt; quibus venustatem sibi addere putant: cùm tamen deturpent potiùs, quàm ornent. Inaures, torques, armillas, monilia, atque annulos ex orichalco pleræque ornamenti loco gestant. Cibus eorum panis est plerumque subcineritius: obsonia lac recens, atque acidum, caroque caprina, & camelina: mel & oleum in delitijs habent, & nisi rarò vtũtur. Panem fermentatum perrarò comedunt: cuius adeò sunt auidi, vt si viatores habere quippiam comperiant, id per vim, nisi sponte dent, auferant. Cęterùm ciborum condimenta nulla agnoscunt: ignari diuitiarũ, atque inscij voluptatum, imò omnis planè ciuilis commoditatis atque vsus expertes. Aurum, argentum, gemmásve, aut vestes pretiosas, ducibus, atq; optimatibus exceptis, nõ possident. Soli camelorum, equorum, & caprarum greges eorum sunt opes. Equos alunt graciles, macie torridos, ac tenues, minimeque edaces, cursu tamen velocissimos, & laboris tolerantissimos, semel tantùm in die pabulum potumque sumere assuetos, ea verò audacia & pernicitate præditos, vt in obuios impetum faciant, & vbi necessitas postulat, celeritate periculo se facilè subducant. Ephippijs Turcarũ more vtuntur leuissimis; quibus laneum tegumentum, quo posteriora teguntur equorum, ac loco straguli est, affixum hæret. Arma, præter sagittas, longissimæ hastæ sunt, ex cannis confectæ leuissimis, suprà & infrà ferreâ cuspide munitæ: quas *Zagaias* vocant, ac medias agili manu comprehendũt: dumq; iter faciunt, haud aliter quam lancearij seu hastati pedites nostri solent, humeris imponunt, vel pendentibus brachijs gestant, agitantq; circumcirca summâ peritiâ, atque admirabili agilitate, vibrantq; eas in hostes eminus & cominus, in aduersos pariter ac fugientes. Huiusmodi hastis & veteres vsos fuisse meminit Plinius. *Calamis* (inquiens) *Orientis populi bella conficiunt, calamis picula addunt,* Lib. 16. c. 39.
irreuocabili hamo mortem accelerant, pinna addita calamis. Et paulò post

Cala-

Calami hastarum vicem præbent, additis cuspidibus. Pauci vtuntur gladijs; quos *Seife* nominant, nos acinaces reddimus: suntque leuiter incurui; quibus non punctim sed cæsim feriunt. Sclopettarum nullus apud illos vsus, aut rarus. Cùm nos Syriam peragraremus, fama increbuerat Principem Arabum, qui Syriæ oram Damasco conterminam, totamque eam regionem, quæ ad Orientem vergit, & ad Euphratem vsque porrigitur, longè lateque depopulabatur, trecentos sub se habere sclopettarios; qui ob tantas vires & insolitam potentiam, Deserti Rex à suis appellatus, circumuicinæ omni regioni, ac cæteris Arabibus vel maximè formidabilis euaserat. Equorum velocitate in pugnis velitaribus plurimùm valent, præstantque cæteris Orientis equitibus: acie verò instructâ præliari nesciunt. Nullo namq; seruato ordine hostem temerè adoriuntur, horrendisq; clamoribus cœlum implentes, certamina ineunt; cominus manus conferere formidant: sed nunc magno agmine densi in hostem ruunt, modò rari dispersiq; huc atque illuc velitantes hostium copias eludunt, debilesque & defatigatos hoc modo hostes reddunt, adeoque astu magis, ac dolo, quàm prælio, aut robore, & aperto Marte pugnam cient: & exterrent magis hostem, quàm vincunt; superantque potiùs multitudine quàm ordine. Si copiæ contra eos ducantur, quibus se inferiores esse cognoscũt, postquam diù multumque eluserint, per lata campestria se spargũt, fugaque saluti consulunt, atque ita hostium euadunt manus. Hinc deleri, aut sub iugum mitti ab Osmannicis hactenus nequiuerunt; neque facilè subiugatum iri existimandum est. In fugam namque acti in intima deserta se recipiunt, vbi lacte camelorum se nutriunt, pelluntque famem ac sitim: si qui eos insectentur, ob annonæ penuriam necessariò interire, vel ad suos re infectâ reuerti coguntur. Cæterùm hic barbaris illis præcipuus vitæ scopus est, Carauanis vt insidientur, vias infestent, rapinis latrocinijsque victum quæritent, atque aliorum vel labore vel ære acquisita in suos vsus conuertant. Raro propterea viatores negotiatoresque eorum effugiunt manus, nisi ijs numero superiores sint, aut sclopettis eminus pugnâ concitatâ deterreant. Quod si verò itinerantes inferiores esse contingat, aut bonis spoliantur, aut impositam hominibus & sarcinis mulctam, priusquam abire liceat, soluere coguntur: nonnunquam tamen datis obsidibus dimittuntur: quemadmodum Hebræorum Carauanæ (quæ paulò ante nos Damasco discesserat) contigisse cognouimus. Ea quippe, etsi numerosa, prope Serach pagum à quadringentorum Arabum turmâ ex improuiso impetita, in prædam barbarorum venit, & mulctatis in tres taleros singulis Camelorum sarcinis, cùm non haberent in promptu vnde soluerent, datis obsidibus, pactoque de solutione præstanda inito,

fuere dimissi, relictis interim vltrà obsides, ac dono datis octo camelis diuersi generis frugibus onustis. Ast multo peiorem passa fuit fortunam Chiecagiæ Ducis nostri Carauana. Is namque iuxta vicum Tumiam, duodecimo ab Alepo lapide, postremo nostri itineris die quo Alepum peruenimus, cùm nos mediâ nocte præcedenti à Serach pago cum Cairensis Bassæ Carauanâ ob Arabum insidias iter aggrederemur, ille verò tardiusculè sub auroram cum suâ Carauanâ subsequeretur, à barbaris cum suis interceptus, omnibus pænè sarcinis exutus est, nullo eius vel dignitatis, vel conditionis, vel religionis, aut auctoritatis apud suos habito respectu. Mirandum verò tam barbaram, ac sine iugo & legibus gentem, tam squalidam, & pauperem, se à plagis & nece hominum continere, cùm tamen impunè id facere possint: liberi enim, nec Otomanum, nec alium quempiam dominum recipiunt; neque supremo vlli obediunt Principi, aut vllius agnoscunt imperiũ; sed sine certo Imperatore in plures classes diuisi militant, ac suos quique sequuntur Duces; quibus vltrò morem gerunt. Etsi verò libertate fruantur, & potentiâ numeroque plurimas nationes superent; quia tamen diuersa illos studia & factiones exagitant, mutuisq; idcircò odijs & conflictationibus se lacerant; imperium hactenus nullum constituere, aut aliorum regna inuadere potuerunt. Duces quidem nobilitate & auctoritate præstant cæteris, ac magnæ apud suos existimationis sunt: omnes tamen se nobiles, omnes dominos se salutant; omnes naturali quâdam concordiâ æquo iure censentur. Se solos autem à nullo vnquam subactos, sed perpetuâ libertate hactenus fruitos gloriantur: ideoq; se cæteris totius Orbis gentibus & nobiliores & digniores autumant. Originem verò suam ad Ismahelem Abrahami ex Agar filium, eiusque filios duodenos, de quibus in sacris Literis fit mentio, referũt; atque Agarenos ab Ismaëlis matre, vel à Nabaioth eius primogenito Nabathæos olim appellatos volunt. Sunt præterea ex hac gente plurimi Turcis subiecti, sub Osmannidarum Imperio stipendia merentes: quorum nobilioribus etiam magistratus ac dignitates præcipuæ conferri nonnunquam solent, qui & magnificentiâ & opibus inter cæteris emicant, Maurisque præsunt multis in locis. Sunt quoque ex illis plurimi, qui per vniuersam Syriam dispersi vectigalia (Cafarros vocant) â viatoribus exigunt; quos vel à publicis quæstoribus certo annuo pretio conducunt, vel ab Imperatore beneficij loco tanquam de republicâ benemeriti obtinent: eâ tamen conditione vt itinera publica à latronibus & sicarijs immunia ac tuta reddant: qui licèt idcirco viatorum securitati prospicere, eosdemque ab iniustis exactionibus & latrocinijs reddere immunes iure teneantur; sui tamen muneris vt plurimùm immemores, quæ in alijs punire scelera deberent: ipsimet

Gen. 25.

sæpe-

sæpenumerò committunt, atque in viatores ipsos negotiatoresq; sæuiunt. Inter Arabes, dum Syriam peragraremus, famâ celeberrimus erat dux quidam primarius, Turcis vel maximè infensus, qui apud Balzaram, insigne Persidis emporium ad Persici sinus ostium, exercitum ad triginta millia hominum in hostem eduxisse, & fortiter contra Turcarum vires & impetus res gerens, prosperisque elatus successibus, summis eos cladibus afflixisse, atq; indies magis ac magis affligere ferebatur. Sed de Arabibus satis: reliquum est vt de Drusis siue Truscis (de quibus suprà quoque meminimus) qui & ipsi plurimas Syriæ regiones grassationibus & latrocinijs infestas reddunt, aliquid referamus.

CAPVT XVII.

De Truscorum siue Drusorum conditione, moribus & vitæ genere.

PRÆTER Arabes (de quibus iam diximus) est & aliud genus hominum in Syriâ viatoribus molestum, & itinera grassationibus & deprædationibus infestans. Hi Drusi, vel (vt alij volunt) Trusci appellati, partim Libani montis iuga, & editissimas rupes, partim cuncta ferè maritima loca à Sidone Tripolim vsque itinere trium dierum incolũt. Maronitis populis, Christianæ legis cultoribus finitimi, confœderatique, Gallorum sese reliquias (qui cum Duce Bullionensi vniuersam Palæstinam, ac ipsam Hierosolymorum Vrbem è manibus infidelium recuperarunt) iactitant: hodie tamen à suis maioribus vitâ & fide multum degeneres, barbaricam vitam ducunt, exleges planè, nulliusque religionis censendi; neque enim Christianam, neque Mahometæam, minus Iudaicam amplectuntur legem. Præputiati quidem sunt, vinum bibunt, & porcinâ vescuntur carne, Christianorum more: Deum tamen eorum trinum & vnum, & Saluatorem Christum non agnoscunt: sed prophetam quendam nomine Isman colunt & venerantur. Deum quoque esse credunt vniuersi factorem, quem suorum curam habere aiunt, ideoque altâ voce, vt eos protegat, inuocant, atque adorant. Congregationes verò, vel publicas Orationes, ceremoniasve, vt ceteræ gentes, nullas habent; templa nulla exstruunt, nec sacrificia celebrant; nullus præterea apud eos disciplinæ, aut sacrorum rituum vsus. Pythagoræ opinionem sequentes, animam ex boni hominis corpore discedentẽ in infantis eâdem ipsâ horâ geniti corpus; ex mali verò hominis corpore abeuntẽ in belluæ alicuius corpus migrare aiunt. Ceterùm brutis animãtibus persimiles, incestibus se mutuò pollũt, neque patres à filiarũ, neq; à filiorũ nuptijs matres abhorrẽt; fratres quoq; sororibus cõmiscẽtur, ferarũq; ritu in promiscuos cõcubitus ruũt. Quod si eâ de re à Maronitis increpẽtur, moneanturq; vt deinceps abstineãt, sana cõsilia floccipendũt, ac nugas autumant Maronitarũ monita: se

sibi inquiunt non alijs liberos procreasse; ad se itaque, non alios, pertinere eorum vsum; maximè cùm rei propriæ vsus nemini vetitus sit. Quem quidem morem apud varias Orbis gentes etiã olim inualuisse testatur Ouidius his verbis

Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, vt pietas geminato crescat amore.

Quin imo in eam euasere vesaniam, vt etiam absurdam & iniquam illorum opinionem existiment, qui contrà sentiunt. Quis enim (aiunt) plantat vineam, & de fructibus eius non edit? hortum quis excolit, eiusque (vti sudoris sui pretio) non vtitur fructibus? Nemini sanè iniuriam facere, si quis id faxit. Ita qui ex vxore filiam procreat, eiusque fruitur amplexibus, nulli damnum inferre, aut iniuriam; maximè cùm cætera animantia idipsum naturæ instinctu obseruare manifestum sit. His alijsq; miseri ac malesuasi homines (ne dicam bestiæ) execranda ac nefaria sua stupra, incestusq; infames velare, atque excusare nituntur; cùm interim à vero rationis & honestatis scopo quàm longissimè aberrantes, non videant quantum humana ab animantium ratione carentium naturâ differat. Sed neque stupris hisce & incestibus contenti, addunt & adulteria. Festo namque annuo, quod solemne habent, tam viri quàm fœminæ omnes certis in locis ad commune conuiuium conueniunt, ibiq; vino madidi vxores inter se quandoque permutant. Est autem natio hæc velocissima, montibus & collibus percurrendis aptissima; homines in primis industrij, rei bellicæ studijs addicti, audaces, robusti, & peritissimi sclopettarij. Arma eorum acinaces, arcus, sagittæ, sclopettique: quos ipsimet sibi, cùm ex terræ cauernis fodinisque ferrum abundè eliciant, proprio marte atque industriâ conficiunt. Idiomate omnes vtuntur Arabico. Syrorum seu Maronitarum more se vestiunt; excepto Tulipantho, quod Turcarum instar candidum tenuissimę telæ inuolutum spiris capiti imponunt. Addictiores quidem Christianis quàm Turcis, Mauris, & Hebræis: omnibus tamen, vbi prædandi occasio se offert, æquè infensi. In medio verò Turcarum etsi sedes habeant, libertate tamen plerique eorum fruuntur, & à iugo Turcico viuunt immunes, neminique parent: nec enim Regi vlli, aut Principi extero obediunt, cùm neque vllus hactenus Turcarum in ordinem eos redigere potuerit; sed ipsi aduersus Turcarum iniurias, hostilesque insultus fortibus inuictisque animis huc vsque suos fines tutati sunt. Sibi itaque leges & iura condunt, vtentes illis prout libet: suntque omnibus adiacentibus nationibus ob feritatem formidini. Duces sibi eligũt, quos Emiros vocãt; quorũ mandatis vltrò obtemperãt, ac morẽ gerunt: pręterq; eorũ nullius imperiũ agnoscũt.

Nume-

Numerosiores olim fuisse quàm nunc sunt, fama est: nam ad sexaginta millia hominum adscêdisse dicũtur: cùm nũc vix duodecim millium numerum (vt fertur) expleant. Sæpius autem ab Osmannidis armis petiti, Turcicum iugum nunquam hactenus susceperunt: nec Selymus ipse Turcarum Imperator eius nominis secundus, post debellatos, deletosq; Mameluchos, totamque subactam Syriam, sub iugum mittere eos potuit. Hîc ille Selymus, qui profligato in campis Calderanis Persarum Sopho Hismaële, & occisis postremis Ægypti Sultanis, detractâ Persis Mesopotamiâ, & Maioris Armeniæ magnâ parte, Syriâ & Ægypto occupatis, post auum Mahumetem Imperium Osmannicum maximè auxit, & dilatauit. Sed & in hunc quidem vsque diem veterem conseruassent Drusi libertatem, nisi fraudibus insidijsque Abrahimi Bassæ Cairensis anno 1583. insignem cladem accepissent Is enim pace simulatâ, ducibusque eorum sub specie pacis euocatis ac retentis, cùm bellum minimè exspectarent, incautos improuidosque subitâ incursione inuasit, vicosque eorum plurimos ferro flammisque absumpsit; quod cùm cæteri animaduerterent, ne ad vnum omnes delerentur, fugæ sese dedere, atque inaccessa montium iuga petentes, inter abruptas montium crepidines, saltusque occultos sese abdidere. Est autem Turcis vsitatum, quod vi non possunt, aut absque multa sanguinis effusione, dolis & perfidijs aggredi: quibus artibus maximam Orbis partem suo dominio subiecerunt. Hæc de Drusis dixisse sufficiat: nunc iter prosequamur.

CAPVT XVIII.

Emesæ siue Humsi vrbis descriptio.

INCLINANTE iam die venimus Emesam, siue Emissam, Arabibus Humsi, vel Hamsa dictam Gregorio Emisseno alumno imprimis claram; quæ Christianis olim Syriam moderantibus Sardinella fuisse putatur. Hanc multi terram Hus Iob prophetæ patriam autumant: licèt alij eam in regione Traconitide statuant, vbi eius sepulchrum etiàmnum superesse memorant. Mihi prior opinio magis arridet, cùm & iuxta Iosephum & Hieronymum inter Palæstinam & Cælesyriam media iaceat. Cui consonum est quod à Turcis prædicatur, Moscheam huius vrbis primariam supra fundamenta ædium Iob structam esse Est autem vrbs perpulchra, ampla, ac satis frequens, in planitie latissimâ Apameæ regionis posita, fossis, muris, turribusque validissimis è nigro ac viuo lapide cincta: cui arx imminet situ firma, qualem pænè referens formam, edito in colle, manufacto tamen atq; vndique

 diquo

dique præcipiti, quadratis distincta turribus; fossis eam ambientibus profundissimis. Cliuus, cui arx insidet, quo difficilior ad summitatem detur adscēsus, lapidibus complanatis circūquaq; obductus est. neglecta tamen hodie, nulloque præsidiario milite munita, tota squalida & ex parte ruinosa iacet. Vrbem hanc olim Samareos, à Samareo decimo filio Chanaan prognatos, incoluisse nonnulli referunt. Archiepiscopali etiam sede, Christianis in Syriâ rerum potientibus claruisse, ac quatuor Episcopatibus imperasse, Tyrius scribit. Incolæ hodie Mauri pleriq;, reliqui aut Christiani Iacobitæ, aut Turcæ, vel Hebræi sunt: quorum pars maxima alendis bombycibus operam dat. Textrinæ ibi plurimæ, in quibus varias è gossypio conficiunt telas, auro & argēto ac varij coloris byssino intertextas. Duas etiamnū Christianorū ibidē videre Ecclesias, vnam Sanctorum quadraginta martyrū titulo claram, alterā Diuo Eliano dicatam: cuius corpus sub Arâ Maximâ mormoreâ reconditum tumbâ ferunt. Ædificia vt plurimùm foris exilia satis & turpia adspectu sunt, partim ex luto & latere, partim è saxis constructa. Fertilissimi soli gaudet territorio, & vbique cultissimi: cuius agri moris albis nigrisque in primis referti sunt: quarū folijs maximā nutriunt Bōbycum copiā. Aquarum tamen inopiâ nonnihil laborat: præter vnicū namq; riuulum, quo campi irrigantur, nihil habet. Iuxta vrbis muros, extra aquilonarē portā, duo spatiosissima visuntur Chana, seu diuersoria publica, nouū vnū, alterum vetus, vtrumq; magnificum, atq; areâ latissimâ exornatū. Nouū, vti commodius, tutiusq;, Messitâ quippe, fonte, & portis munitū, atq; ornatū, cùm vetus his omnibus careat. Cadius Mechanus, & Chiecagia cum suis nobis aduenientibus occupauerant. Ad vetus itaq;, cū locus in nouo non daretur, diuertere necessum fuit: quod ruinosum, squalidum, & immunditijs plenū inuenimus. Mucherorū autem operâ verri pauimentū, & sordibus liberari ex parte curauimus vt sessionis saltem locus aliquis nobis foret puluere & stercore vacuus; humi enim sedendum, cubandū, cœnādum, dormiendū erat. Puluere & animalium fimo vt cunq; detersis, sarcinisq; introportari iussis, cœnā satis frugalem humi sedentes sumpsimus, ac paulò pòst defatigata corpora aliquantulo refecimus somno. Alluit nouū riuulus aquæ optimæ, ex quo fons in interiorem aream, animalium adaquationi atq; hominum necessitatibus & lustrationi accommodus, deducitur. Alij quoque euripi ex eodem riuulo peringēti rotâ ligneâ aquarum rapacitate circumactâ, per adiunctas fistulas in vrbem quaqua versum ad Turcarum Messitas, Chanaq; publica fontibus exornata traducuntur. Haud procul ab hoc Chano Meridiē versus antiquum videre est pyramidali formâ sepulchrum, inguens atq; amplum, quadrato constructum lapide, Græcâ inscriptione insignitum: quod tamen, cum propius accedere

Gen. 10. Ioseph. 7. Bel. 27. Tyr. 14. Bel. 12, 21.

cedere non liceret, haudquaquam legere datum fuit. Putant aliqui in Caij Cæsaris memoriam erectum esse, eiusdemque epitaphium continere. Præsunt vrbi tres præcipui magistratus, Saniaccus, Cadius, & Subassius: penes quos incolarum omnium & vitæ & necis potestas est.

CAPVT XIX.

Ex Emesa discessus. A Cadio iniuriæ, eiusq; ac Turcarum superstitiosi ritus. Restel, & Haman vrbium situs, & descriptio.

PRIDIE Non. Decembris, quartâ antelucanâ horâ, ac cœlo pluuioso Emesâ discedimus, facibusque pro more præeuntibus, sub obscurâ nocte, denso ac continuo imbre iter prosequimur. Simul atque illuxit, ex nostris aliqui citato gradu nonnihil progredi, & Turcas antecedere conati, cùm in Cadij lecticam (quâ vehebatur) casu incidissent, acriter ab eodem increpati, maledictis, probrisque affecti, referre pedem, & retrocedere sunt coacti. Indignè siquidem ferens barbarus quòd primo diluculo Christianos sibi obuios habuisset, malum nimirum auspicium ratus, adeoq; irâ in ducem nostrum concitus accersiri statim eũdem iubet: qui cùm coram adstaret, vt solet hominum malitia ad insana maledicta confugere, stomachatur in hominem, execratur, dirisq; omnibus deuouet; maximæ eum temeritatis arguẽs, quod cùm Mussulmanorum nosset mores, Frangios non præmonuisset ne piaculum tam grãde committerent. Turcæ siquidem ac Mahometæi omnes superstitionibus summoperè dediti, cùm se solos fideles ac Deo gratissimos existiment, ac cæteros infideliũ loco habeant, ideoq; *Iaur* vulgò, quod infidelem denotat, Christianum appellent, malo omini attribuunt, si vel ante exortum Solis, vel sub auroram primò Christianum quempiam, aut Hebræum obuium habeant: inauspicatis nimirũ successibus, infortunijsq; eo die se fore obnoxios arbitrati. Tertiâ ferè diei horâ, latissimâ superatâ planitie, pascuis vberrimâ, in quâ domum nullam, nullum ædificium, nullum tuguriolum conspicias, Rostel siue Rustem vetustissimam vrbem (quam olim Sebastopolim dictam multi putant) attigimus. Plurimas ibi ædificiorũ reliquias, columnarũ series, & ruinarũ aceruos in dextro cliuo viæ proximo, prætereũtes conspeximus. Tota namq; vrbs in cinerẽ ferè versa, ruinis plena, habitatore vacua, squalida omninò, & deserta iacet. Assi fluuius rapacissimus, quem & Orontem vocant, eius septentrionale cornu alluit. Flumini pons lapideus impositus percommodum viatoribus præstat transitũ, elegãtis structu-

ſtructuræ opus : ex quadratis enim ſaxis prægrandibus, longus ducentos pedes, latus ſexdecim, arcubus denis innititur, & vtrimque lapideis ſpondis pulcherrimè munitus eſt. Ad pedem pontis in ipſâ fluminis ripâ ingens videre eſt ædificium, maiori ex parte dirutum, veteris Chani (vt multi putant) reliquias. Ponte ſuperato ad dextram fleximus, viâ accliui & ſaxoſâ. Tum rurſus pluuia iugis ac gelida nos adoritur; quæ vento vehementi ac rigido commixta, adeò nos paucis horis afflixit, & madefecit, vt vix camiſia remaneret ſicca. In latiſſimam denique ac vaſtam incidimus planitiem, iam dictæ non abſimilem, nec latitudine inferiorem, vbique lætam, ac herbidam, Seſamo quoque & Goſſypio vtcunq; cultam: cui olim Campi Sabæi nomen fuiſſe putatur. Paulò poſt Montem Bellarbei vberis ſoli, nec multum eminentem tranſcendimus, perque campeſtria deinde pergentes loca, veſperi Haman vel Aman venimus; quam tanquã fuiſſe Apamiam, à Seuleuco Nicatore conditam, atque ab vxore eius Apamiâ nomen ſortitam multi putant; cùm antea Pelle, vel Pella diceretur. Poſſidonius Stoicus (vt author eſt Strabo) hac oriundus fuit. Eſt autem celebris, ampla, frequens, & munitiſſima Syriæ vrbs, poſt Damaſcum & Alepum, ſiue amplitudinem, atque hominum frequentiam, ſitúſve munimen, elegantiamque, ſiue annonæ varietatem, vbertatemque conſideres, facilè cæteras Syriæ vrbes antecellens. Situs vrbis ita ſe habet : in imâ valle poſita, fructiferis amœniſque collibus circumdata, arce eminentiſſimâ munitur: quæ tanquam alta ſpecula tutiſſimam eam reddit, ac in circumiacentia arua longè lateque dominatur, magnoque ex interuallo eminus aduenientium conſpectui ſe præbet. Vix autem in ipſo aditu vrbs ipſa conſpicienda datur; adeò enim collibus vndique ſepta profunda ſedet, vt, niſi quis in ipſo limine hæreat, vrbem in proximo eſſe nequaquam animaduertat. Fluuius Haſe vel Aſſi, aut Aſſer Arabibus, veteribus Orontes, qui & Roſtem vrbem præterfluit, mediam diuidit, ac ſuburbana prata, vrbemque ipſam irriguam reddit. Rotarum namque machinas, quibus ex flumine aqua extrahitur, quęque centenarium numerum ſuperare perhibentur, ſuis vndis impellens, aquas in maximâ copiâ per fiſtulas, ligneeve tubos ſine negotio per vrbem & hortos vicinos effundit, viridaria humectat, & terræ ſata plantaſque lætificat. Hinc fruticum olerumque hortenſium tanta ibi copia, vt nuſquam vberior. Ædificiorum forma quæ & Damaſci; minora licèt pleraque, foris & turpia ſint. Emicant inter cætera terna publici operis balnea, quæ eximia ſanè & ſpectabilia ſunt. Solum omne circumuicinum in fœcundos, amœnoſque, ac nitidiſſimos colles, valleſque diſtinctum, varij generis arboribus, præcipue ficubus, Muſis, Moriſque albis abundat. Vino quoque optimo, & frumentarijs

Plin. lib. 5. c. 23. Strab. lib. 16.

ac

ac gossypinis campis cultissimum est. Arx situ licèt validissima, muris nimirum atque altissimis turribus cincta, fossisque profundissimis munita, vacua tamen præsidiario milite, & ex parte collapsa, neglecta omninò iacet. Hæc medium vrbis occupat; cliuoq; insidet altissimo, oualem referens formam, arci vrbis Humsij non absimilem. Adiacent vrbi, quâ parte Austrum spectat, plurima superbi operis ædificia, è marmore versicolore mirâ arte composita, Messitarum formam sphęricâ figurâ referentia, quæ veterum Circassorum ac primatum monumenta & sepulchra esse dicuntur. Vrbis imperium ac supremum ius penes Saniaccum est. Is Damasceno Bassæ subiectus, vnà cum Cadio & Subassio Rempublicam administrat. Incolæ vt plurimùm Mauri & Christiani, Turcæ perpauci, pauciores Hebræi. Christiani Maronitæ templum ibidem habent satis elegans, Diuo Ioanni dicatum, in quo sacra suo more peragunt. Archiepiscopali quondam sede claruit, septem ipsi parentibus Episcopatibus. Sed ad Saracenos deuoluta, multisque seculis spurco Mahometæorum cultu polluta, iterum à Tancredo Antiocheno Principe post longam obsidionem expugnata, & Saracenis erepta, Christiano cultui ab eodem restituta est. Postea rursum labentibus Christianorum in Syria rebus, à Mameluchis occupata, Sultanico Imperio diu subiecta, tandem subacta à Turcis Syriâ, Osmannidarum Imperium subijt; cui etiam paret. Vbi vrbem ingressi fuimus, Cairensem Bassam hærere ibidem suo cum comitatu, nec nisi proximâ luce discessurum, intelleximus. Id res nostras plurimùm afflixit, nosq; vehementer turbauit: omnibus siquidem à Carauanâ eius numerosissima occupatis vrbis Chanis, quò diuerteremus nullus dabatur locus. Sarcinas idcircò publicâ in viâ in obscuram vsque noctem dimittere, Turcarumque iniurijs exponere, ac pluuiâ penitus madidi, & algore rigidi, intensum noctis rigorem, ac rorem sub dio perferre cogebamur. Operâ tandem Genizari nostri in Chano quodam proximo, discedentibus ex eo Turcis, cubiculum (conductionis priùs Chani præfecto soluto pretio) obtinuimus: vbi depositis sarcinulis, fessa longo & molesto itinere corpora, ac fame & siti ferè exhausta nonnihil refecimus, igneque exstructo quo calefieremus, vestesque madidas siccaremus, humi sedentes somnum cepimus. Ob loci verò angustiam, cùm vix sedendi nedum cubandi superesset locus, incommodè admodùm noctem transegimus, fælices tamen nos arbitrabamur, quòd ad pellendum frigus, ac rorem nocturnum, cæteraque noctis fugienda incommoda, & res nostras conseruandas tutum aliquod receptaculum nacti essemus.

Tyr. 14. Bel. sacr. 14. 15. & 10. Bel. sacr. 23.

Herold. Cont. Bel. sacr. 6. 9. 10.

CAPVT XX.

Ex Haman discessus Cairensis Bassæ Carauanæ cum nostrâ coniunctio. Eius castrensia tentoria. Iuxta Sechon Chan Turcarum castrametatio. Coquendi modus: & victus parcitas.

NONIS Decembris sub diei crepusculum vrbe Haman egressi, Aquilonem versus continuauimus iter, cùm iam multo antè ac mediâ nocte Bassa Cairensis cum suis iter inchoasset: quem tamen subsistentem, ac Mechanum Cadium nostrę Carauanę Ducem exspectantem, quinto ab vrbe lapide adsequuti sumus; eiusque deinde comitatui associati Alepum perreximus. In quo quidem itinere latissimas nunc fructiferasque planicies, nunc colles vberes, amœnosque, Oleis, Terebinthis, ac Cocco refertos, nunc desertos & incultos eo die superauimus. Indigenæ Terebinthi semine loco pabuli, Cocci granis ad purpuram tingendam vtuntur. Seminant quoque plurimis in locis frumenti quoddam genus *Hareoman* Arabicè dictum, Occidentalibus vix cognitum, ac solus Epirotis & Corcyreis notum, qui vulgò id Calambochio vocant, & panem inde conficiunt, cuius etiam suprà meminimus. Plurimi hîc circumcirca visuntur Onagri; è quorum corijs elegantes & insignes conficiunt adaptantque vaginas. Post plurima peracta milliaria, ipso meridie iuxta quadratæ formæ ædificium, cisternæ aquæ frigidæ contiguum, Turcis religionis ergo subsistentibus, & nos substitimus. Interim primoribus illorum & honestioribus ad proximam diuertentibus Messitam, ipsi in virenti gramine vires lassas cibo potuque paululum reparauimus. Regio omnis circumuicina fonte caret & flumine: aquæ idcirco vel maximè indigens est. Hinc puteos & cisternas fodiunt accolæ profundissimas, in quibus pluuialem aquã conseruant, viatoribus in primis vtilem & percommodam. Redeuntibus Turcis, continuamus iter. Sole demum ad Occasum vergente, Sechon Chan in imâ valle situm diuersorium ex eminenti loco tertio ferè inde milliario se nobis conspiciendum præbuit, vbi Cairensis Bassæ Carauanam iam castra fixisse eminus cognouimus. Arcem oppidúmve numerosi exercitus obsidione cinctum te videre dixisses, ob tantam hominum frequentiam, tantamque equorum, ac variorum iumentorum copiam, tot denique castrensia tentoria, pulcherrimo ordine circumquaque disposita. Vbi demum propiùs accessimus, hinc Dromedariorum Camelorumque mugitus, illinc equorum hinnitus, mulorum item, asinorum, cæterorumque animalium dissonus strepitus, tympanorum adhæc sonitus, clangorque tubarum varius omniũ aures

aures obtundebat. Fumabant passim coquinæ plurimæ, adstabant coqui sub dio cœnam suis præparantes heris; quæ res lætum spectaculum, nec ante visum nobis exhibuit. Vt autem Lectori innotescat quàm facilè Turcę (obsoniorum varietatem nil curantes) rem culinariam expediant, quàm parcè item viuant, lubet obiter hoc loco adjicere quis eorum in viâ coquendi modus, quis item ciborum apparatus. Scrobem effodiunt longam sesquipedem, latam palmos duos, nonnihil declinem, extremo angulo aliquanto profundiore. In hanc ligna (quæ vel secum deferunt; arbusculas enim aridas in itinere euellunt, atque in fomentum ignis secum asportant, vel è loco vicino, arbuscularum defectu, petunt) immittunt, hæc igne è silice excusso accendunt: mox lebetem æneum scrobi imponunt, coquuntque ad cremorem vsque modò Oryzam, hordeum, vel legumina, modò carnes veruecinas: quas tamen nostratium more non elixant, assántve, sed ossibus denudatas in frusta minutim conscindunt, nullaque additâ aquâ proprio tantùm cum adipe coquunt. Nulla præterea illis obsonia, nullæ dapes, nullus vini vsus. Hinc nullis propemodùm morbis vexati, & robustiores euadunt, & longissimè viuunt. Subsistente hîc Turcarum Carauanâ, & à Cairensibus omnibus diuersorij locis occupatis, sub tectum recepti non sumus. Idcirco cum frigore & rore nocturno conflictantes, totam ferè noctem sub dio insomnem transegimus. Cæterum cùm frequens suprà de Camelis Dromedibusque mentio habita sit, visum est formam ac naturam vtriusque animalis paucis enarrare.

CAPVT XXI.

Camelus quid animalis. Genera horum duo; eorumq́ conditio.

Est Camelus animal quadrupes, procerum admodum, ac multo altius equo, turpe adspectu, odore tetrum, exili, longo, incuruoque collo, sed truciori capite: maxilla ei superior quatuor duntaxat dentibus acutis longisque armata, inferior dentibus referta, vti & cæteris iumentis. Gibbosum habet tergus, causam asininam, crura tibiasq; prolixas, proplitibus duplicatis: quibus accepturus onus singulatim procũbit: carnosos & bisulcos pedes, vnguesq; aduncos, ac pedũ plantam pulposam & mollem, instar spongiæ. Est autẽ laboris patientissimũ, portandisq; sarcinis aptissimum, nam trium equorum onera facile ferũt singuli, & supra mille librarum pondus, imò decem medimnos frumenti, vel homines quatuor in lecto iacentes, ac cistis inclusos vehunt commodissimè. Pedatim tamen graditur hoc animal, vt sinister pes non transeat dextrum, aut præuertat, sed subsequatur. Etsi verò horrido aspectu, clamoreque ingrato ferox nimium videatur

ignaris: est tamen præter opinionem mansuetum admodum, adeóque cicur, suisque ductoribus obsequens, vt ad arbitrium vocemque eorum in genua, atque adeò in ventrem sese demittat; ac pronum, anterioribus priùs cruribus, mox posterioribus complicatis, onera sarcinásve tergori imponi sinat: mox vbi se satis onustum esse, ac consuetum habere pondus sentit, (neque enim plus oneris quàm ferre potest imponi sibi permittit, nec vltra assuetum procedit spatium) in pedes se erigit. Si assurgere vel inclinare se quandoque à ductore iubeatur, ilicò voci iubentis, ac si ratione vteretur humanâ, obtemperat. Genua callo obducta durissimo habet: subductis quippe sub se cruribus, dum vel depositis sarcinis quiescit, vel interdiu noctuq; obiectum pabulum sumit, in ventrem procumbit humi, totumque corpus ijs sustentat. Cùm verò inediæ ac præcipuè sitis patientissimum sit, paruo sumptu alitur; cibi vtique ac potus pro tantâ mole paucissimi. Paleâ autem tritâ, vel furfure, aut gramine, vel modico sale vescitur, pascuisque asperrimis fruticosisque vtitur. Triginta, imò quadraginta continuos dies sarcinis onustum absque vllâ requie progreditur, æstumque diei feruentissimum suffert: triduo, quatriduo, imò diutiùs sitim tolerat, & impotatum incedit. Sed cùm bibendi occasio se offert ventrem implet, turbata conculcatione priùs aquâ. Vrinam mittit transuersam, & eam modicam, & tenuem. Per deserta, arenosa, planaque loca, obeundis, conficiendisque itineribus aptissimum est: per aspros scabrososque montes non item; idque ob pedum mollitiem, & pulpositatem; quos idcirco facilè lacerat. Quod si lædi contingat, nec progredi possit, ilicò ductores mactant, corioque detracto, ossa carnibus purgant: quas (relictis in viâ ossibus) inter se diuidunt, & sale conditis ad cibum vtuntur. Sub aurâ frigidulâ pigrum est, nisi excitetur cantu hominis, vel sono fistulæ, aut tintinnabuli: quibus plurimis ornantur. Æstu Solis alacriùs graditur. Sunt autem Cameli duplici specie, partim villosi, partim glabri: illi frigidioribus regionibus, & hiberno tempore aptiores; hi calidioribus prouincijs, & æstate vtiliores. Vidimus ex his plurimos, catenulas ferreas duplices anterioris dextri pedis cruribus gestantes causam sciscitati, didicimus eos Mechæ fuisse, & his catenulis, tanquam sanctitatis notâ à cęteris distingui, ac præstantiores haberi. Dromedes, seu Dromades, vel Dromadi, vulgò Dromedarij, olim Anacoli, Lagarique dicti, parum aut nihil ferè à Camelis differunt, eiusdem planè formæ, & proceritatis; nisi quòd bina in dorso tubera habeant, graciliores insuper, macilentiores, ac celeriores sint. Hinc non tam ad portandas sarcinas, quàm ad equitandum Ægyptijs, Arabibus, Æthiopibusque plurimùm vsui sunt. Supra centum milliaria Italica vno die conficiunt, præsertim

locis

locis arenosis, & aquis carentibus. Fœminis, quæ ad bellum præparantur, vuluas ferro exulcerant, quo coitu negato fortiores, & prælijs aptiores sint. Duos in certamine sagittarios ferunt iunctis dorsis, alterum vt à fronte, alterum vt à tergo in hostem pugnet. In Ægypto Arabijsque plurimi nascuntur. in Syriâ pauciores; cameli tamen frequentes, quos inter armenta pascit Oriens. Cairensis Bassa quos secum habebat Dromades, ex Ægypto eduxerat, eosque frontalibus cristis, ac depistis stragulis eleganter ornatos mancipiorum Æthiopum (quæ in ijs equitabant) curę & regimini demandauerat. Hos pastillis e farinâ triticeâ confectis, sed parcè admodum reficiebant. Vbi sessori descendendum esset, bacillo pedes animalis percutiebat: atque ita Dromedarius in terram procumbens, commodam descendendi facultatem illi præbebat.

CAPVT XXII.

Varij peragrati pagi; eorumq́ situs: & in vrbem Alepum ingressus.

OCTAVO Id. Decembris in Cairensis Bassæ comitatu ante exortum solis Sechon Chan discedimus: mox Macharap pagum (cui Chan satis amplum sed dirutum continguum est) post terga relinquentes, circa meridiem Marram (quæ Maronias antiquitùs fuisse putatur) venimus. Pagus est satis frequens, & amplus, cliuo insidens non multùm eminenti, & feracis soli. Insigne olim fuisse oppidum, peringentes restantur ruinæ, & saxa prægrandia, formâ vt plurimùm quadrangulari per circumiacentes agros. Tyrius vrbem quondam munitissimam fuisse, & â Christianis duce Godefrido Buillonensi vi captam; ac mœnibus & turribus deiectis succensam, & in fauillam redactam scribit, Pago adiunctum hæret Diuersorium amplissimum, ac regij operis quadratâ formâ ædificium, â Sinan Bassa non ita pridem exstructum. Id plumbeis tectum laminis, aream in medio continet spatiosam, lapidibus quadratis vestitam, Meschitâ egregiâ, fonte, & duplici porticu ornatam. Territorium omne fertilis soli est: Gossypio & Sesamo vtcumque cultum. Bassâ Cairensi cum suis hîc in sequentem vsque diem subsistente, nobis etiam permanendum fuit. Concameratis autem Chani interioribus à Turcis occupatis mansionibus, sub porticu exteriori satis incommodè vnà cum cæteris noctem transegimus.

Lib. 7. Bel. sacr. c. 9. 11. 12.

SEPTIMO Id. Decembris primâ antelucanâ horâ Marrâ discedimus, viaq; modò accliui, modò decliui pergentes, deserta vndique

& inculta offendimus loca. Mox. Iouai pagum, quondam vrbem amplissimam (vti ingentes testantur ruinæ) transimus medium. Circa meridiem Meraim vicum, Chano elegantissimo & amplissimo ornatum, ad dextrã reliquimus. Tertiâ rursum postmeridianâ horâ iuxta Serach pagum, humili impositum colli subsedimus. Ad collis radicem Chan visitur satis amplũ, quadratâ formâ. Id cũ propiùs accederemus, postremum claudentes agmen, à Cairensibus occupatũ inuenimus. Cum cæteris itaq; Turcis nudâ recumbentes humo, sub dio dormire, intensum perferre frigus, roremque nocturnum, aliaque noctis incommoda perpeti coacti sumus.

Sexto Id. Decembris, qui Cõceptioni Diuæ Virgini sacer erat dies, mediâ nocte itineri se accingentibus Cairensis Bassæ & Mechani Cadij Carauanis, nos quoq; periculum in morâ rati, nocturnum iter facibus accensis præeuntibus, vnà ingredimur. Secundâ ab Ortu Solis horâ Barchon siue Barchan Chã prætergredimur. Quinto inde milliario, haud procul à Tumia pago, quem fluuiolus præterfluit, agrosq; circũuicinos irrigat. Alepi montana adscẽdimus: quæ etsi mitia sunt, horrida tamen, ac squalida, steriliaque passim se offerunt. Inde duodecim millium passuum continuato itinere, viâ modò accliui, modò decliui, ad dextram reliquimus Lenzariam Messitam, secundo ab Alepo lapide, vbi primùm vrbs ipsa conspicitur. Inde decliui semper semitâ ad vrbẽ rectà perreximus; quã primâ postmeridianâ horâ læti admodùm, & cũ summâ omnium voluptate, vtpote optatam quietis sedem, appulimus. Annus enim iam videbatur quòd longo infesto & incommodo itinere exhausta ferè corpora quieti nulli dedissemus. Ad portam itaq; quam à Carcere vicino Portã Carceris, itemq; Damascenã appellãt ex iumentis descendimus, & pedibus nullo dato impedimẽto vrbẽ intrauimus, ac rectà ad Diuersorium *Sibene* pergentes, cui Minoritarum cohęret Monasterium, Guardianũ Hierosolymitanũ, & reliquos Minoritas itineris nostri comites eò deduximus: ijsq; valedictis ad Venetorum Consulis ædes, haud procul inde distantes, diuertimus: vbi benignè hospitio excepti, reliquum temporis, quo Alepi moram traximus, transegimus.

CAPVT XXIII.

Alepi vrbis encomion: situs, natura loci, merces, fructus, & incolarum conditio.

Est Alepum, seu Chalepum, Mauris Chalep, vel Halep, Italis Aleppo antiquitùs Berrhæa, vel (vt alij volunt) Hierapolis dicta, quam Lib. Hist. 17. Iouius ab Alepio Iuliani Cæsaris pręfecto ædificatam, ac nomen sumpsisse

psisse putat, notissima Syriæ Comagenæ vrbs, totius Orientis nobilissimum & celeberrimum emporium: populi frequētiâ, ac rerum opulentiâ cæteras Syriæ vrbes longè superans: post Constantinopolim & Cairum Ægypti regiam inter Osmannico Imperio subiectas vrbes primas tenens. Cuius si gloriam, si diuitias, si mercium copiam, ac rerum omnium abundantiam, hominumq; frequentiam spectes, regiâ quadā maiestate fulgentem, velut reginam inter cęteras Orientis vrbes eminentē dixeris. Collibus autē vndiq; circundata, partim plano, partim cliuis insidet, & situ peramœna est. Tres quippe colles mœnibus cōprehendit: quorum eminentissimus est is, qui in ipso fere vrbis vmbilico arcem continet. Singa amnis (qui è Pierio monte per Comagenam tortuosus & leuis haud magnam aquarum molem trahens fluit) vrbem alluit, ac suburbium medium præterfluit, riuulisque arte deductis vallem adiacentem irrigat, lætificatque sata, ac demum iuxta Byrram vrbem in Euphratem euoluitur. Ex eo varios per eurîpos alij in vrbem riuuli traducuntur, fontesque plurimi per vniuersa fere Carauanseraia, seu Chana, Messitas, ædesq; priuatorum plurimas eliciuntur. Ambitus vrbis sex millia passuum continet. Muris autem fossisque etsi cincta sit, nequaquam tamen ita munita est, vt hostium impetum sustinere, aut longam obsidionem ferre queat: collapsa etenim mœnia, ac multis in locis Turcarum incuriâ aperta, & neglecta iacent, facilemque etiam noctu aditum exitumque præbent. Muri omnes altissimi, & lapidei sunt, ex quadratis constructi saxis, turribus quadrangularibus, sexaginta circiter passuum interstitio seiunctis, intersecantibus; fossâ multis in locis ambiente profundissimâ, aquis tamen carente, & siccâ. Arx quæ media in vrbe est, in tumulo (vt arbitror) manufacto ædificata, eam satis tutam reddit, & ad propulsandam vim hostilem aptissima est; habetque turrim decimo ab vrbe lapide conspicuam: quæ tanquam alta specula in circumuicinam omnem regionem longè lateque dominatur. Formam refert oualem, arci Haman vrbis non absimilem, amplior tamen, altior, munitiorque, fossis circundata profundissimis; in quibus maxima auium pisciumq; omnis generis generatur aliturque multitudo: quos nulli fas est interimere. Mirum dictu, mulierculæ prætereuntes frusta panis auibus præteruolantibus manu porrigunt: piscibus etiam in ipso fossæ alueo natantibus, & quandoque exilientibus panem, & quicquid cibi habent projiciunt; Deo id gratissimū fore stolidè arbitrantes. Vnico ponte ab australi latere præbet accessum; quem triplici portâ, priusquā ad penitiora detur aditus, superare necessum est. Is totus lapideus, & mirandâ arte atque opere vel maximè spectabilis, è profundissimis fossis,

pluribu

pluribus surgentibus arcubus instar turrium eminentibus innititur, stuporemque suâ altitudine, atque operis vastitate intuentibus injicit. Licèt autem vetusti operis sit arx, ruinam quoque minetur quibusdam in locis muris turribusque non satis firmis, imò fissis, rimosisque, ob situs tamen altitudinem, fossarumque profunditatem, & latitudinem haudquaquam contemnenda est; vel eo magis, quòd bellicarum machinarum in eâ magnus habeatur numerus, bellicoque apparatu atque milite præsidiario munita sit. Præsidium ad ducentos Genizaros adscendere dicitur: quibus præest Arcis Præfectus Bolucballius appellatus. Hi Castriaci dicti, pedites omnes, & sclopettarij, ex Mauris & abiectâ plebe collecti, cæteris longè inferiores habentur, ac nullo ferè apud vulgus & reliquos Genizaros pretio sunt: quippe qui indignos eos putant, quibus arma credantur, quique militaria munera obeant; quòd nec Europæi sint, nec ab ineunte ætate armis assueti, sed ex vilis & sordidæ conditionis hominibus vnius Bassæ auctoritate censeri sint soliti. Vrbis portæ duodecim numerantur. Prestant cæteris structuræ elegantiâ atque amplitudine Damascena, & Babentachia, neutra tamen, vti nec reliquæ, interdiu ab aliquo custoditur, ast liber cuique patet aditus. Suburbia tria habet amplissima, ædificijs non minùs atque vrbs ipsa exornata, Giudeidam, Banchusam, & Babentachiam, à Christianis Orientalibus pleraque habitata. Celebrior cæteris est Giudeida, vbi campum cernas latissimum, & spatiosum: in quo singulis ferè diebus hippodromica festa, seu equestres cursus in agitandis lanceis, equisque exercendis celebrant Genizari. Inter varias plurimasque Messitas prestant structuræ magnificentiâ, & operis multitudine, atque elegantiâ duæ recens exstructæ, formam sphericam referentes, plumbeisque tectæ laminis, rotundis turribus (Madenas vocant) exornatæ His addi potest & tertia, Christianorum quondam Ecclesia, formâ oblongâ, areâ spatiosâ, marmore vestitâ, ac porticu eleganti illustrata, turrim adiunctâ habens quadratâ formâ æquilateram, quâ nullam totâ Syriâ vidimus altiorem Huic cohæret aliud sphæricâ figurâ Templum vetutissimũ, Diuo Ioanni (vt ferunt) olim sacrum, nunc à Turcis in Messitam versum: quod licèt à multo iam tempore possederint, suoque ritu sacra inibi, publicasque preces habuerint, Altaria tamen, Imaginesque in parietibus depictas integras atque illæsas hactenus multorum cum admiratione reliquere: cùm tamen vel maximè eas abhorreant, nec vsquam admittant, Lege nimirum Mahometęâ omnem Imaginum vsum illis prohibente. Hodie autem perpetuò clausum nemini Mahometæorum patet; neque enim reperias quenquam, qui orationis causâ illud frequentare, aut ingredi vllo modo audeat, eâ ratione

vt à

vt à viris fide dignis accepimus) quòd plurimis exemplis iamdudum didicerint, quotquot vel Mauri vel Turcæ id ingredi hactenus tentârunt, secreto quodam Dei iudicio vel membris esse debilitatos, vel morbis diuturnis afflictos diem obijsse, vel subitâ morte correptos perijsse, alijsq; varijs modis Diuinam vltionem sensisse. Licèt autem Veneti mercatores crebris apud Aulam Osmannicam (vt nobis relatum est) precibus institerint vt sua inibi peragere sacra ab Imperatore Turcarum concederetur, eo saltem intuitu, quòd nullius apud Turcas vsus esset, & multis in locis ruinam minaretur, proprioque ære id se restauraturos fuerint polliciti, attamen nec precibts, neque pollicitationibus voti compotes fieri hactenus potuere, Lege nimirum Mahometæâ id non permittēte, quòd semel publicis ipsorum precibus Mahometæo ritu consecratū esset. Indignos siquidem Turcæ Mauriq; existimant Christianos, suos vt peragant ritus, orationesq; eâ in Messitâ, quam ipsi vel semel tantùm diuinâ oratione publicè visitauerint.

Varia præterea & magnifica hîc sunt diuersoria publica, nonnulla à mercibus inibi venalibus nuncupata. Præstant amplitudine, vel mercium copiâ Chan Chibir, vel Quibir, Chan Sougier, Chan Gidat, Chan Atic, Chan Agemi, Chan Waivvoda, Chan Abrach, Chan Sibel, Chan Mahomet, itemque Can Sibene. In his etiam variarum gentium mercatores domicilij sui sedem habent. Plateæ publicę stratæ quidem omnes, sed angustę plurimæ, limbis pleræque vtrimque quadrupedali aut quintupedali latitudine eminentioribus munitæ: qui viatori pediti semitam siccam præstant, quos medius interiacet canalis profundus pedem vnum, latus tres, aut quatuor, pluuialibus, fontiumque superfluis aquis recipiendis aptissimus. Per eum Camelorum Carauanæ, cæterorumque iumentorum dorsuariorum agmina gradiuntur. Carrorum aut rhedarum nullus hîc vsus, sed cameli, muli, aut asini sarcinas portant. Priuatorum ædes lapideæ ferè omnes, duarum, raro trium contignationum, quas subdialibus pauimentis contegunt: in quibus æstate cubilia statuunt, & nocte dormiunt. Exteriores muri, quâ plateas spectant, nullas aut raras fenestras habent, vt vxoribus & pellicibus (quas numerosas alunt) amoris illecebras, & confabulandi cum alijs omnem occasionem præcidant. Zelotypi quippe Turcæ omnes, & vxorum & pellicum pudicitiæ diligentissimi custodes sunt. In nonnullis tamen primatum & nobilium ædibus podia extra parietem pedes circiter duos aut tres ex tabulis ligneis ad primam contignationem constructa, supraque viam publicam eminentia cernas, quæ ternas in frontispicio fenestras, ac in vtroque latere vnam, omnes cancellis ferreis munitas habent. Huc non fœminæ, sed viri

conuenire ſolent, plauſus vt captent populi, & aërem. Cæterùm omnes ferè priuatorum ædes foris nullo ornatu aut architecturâ ſpectabiles ſunt, intùs tamen comptiores, & pulchris habitaculis diſtinctæ.

Bazarra, quorum ingens eſt in vrbe numerus, arcta, humilia, & anguſta, pleraque portis ſeparata, aliqua interdiu ferreâ cathenâ in ipſo aditu extentâ, tranſitu equos cæteraque iumenta prohibent. Singula verò, paucis exceptis, certis mercibus, artibuſque mechanicis deſtinata, à mercibus præſtantibus, aut opificibus nomina conſequuntur. In his Iudæorum & Chriſtianorum bazarra à cæteris dinſtiñcta facilè indicant vtra gens ſuos feſtos dies agat: nam ſi Chriſtiani ſuos, officinas occludunt, neque negotia vlla, aut artes exercent: ſin Iudæi, & illi officinis obſeratis à negocijs abſtinent. Turcæ laboribus vacant, & negotijs, ſiue hebdomadaria, ſiue annua feſta celebrent, vno duntaxat feſto annuo (quod Bairam vocant) excepto. Bazarra hæc vt plurimùm negotiationis tempore adeò omnis generis hominibus referta ſunt, vt vix detur tranſitus. Solis autem (vt diximus) diſtrahendis mercibus deſtinata cùm ſint, nec Turcis, nec Mauris, Chriſtianíſve, aut Hebræis domicilij loco ſeruiunt: ſed ſeparatas ab ijs quiſque ſuas ædes habet. Fœminas propterea vendentes, aut ementes merces (vti apud nos moris eſt) nullas ferè in ijs videas, ſi vetulas aliquot excipias, quæ goſſypium & fila torta velatâ facie nonnullis in locis quandoque diuendunt. Præter Bazarra hęc extant plurimis in locis amplæ plateæ, ſeu fora publica; in quibus viliores quique ſuas vendunt merces, & vtriuſque ſexus mancipia venum exponuntur. Suburbana prata hortis viridarijſque vt plurimùm conſita, Aurantia, Citrina, Punica, itemque Perſica mala, Ficus quoque, Muſas, Oliuas, Pruna, & Amygdala producunt innumera: Pyra etiam Pomaque hîc vtcunque proueniunt; ſed nòn in eâ copiâ, neque tam varia, adeoque colorata, vti apud nos. Horti omnis generis oleribus, hortenſibuſque abundant. Endiuia, Lactucæ, Caules, ſiue Braſſica varia, Paſtinaca, Raphanus, Capparis, Spinacea, Allium, Apium, Cinaræ, Cardus, Beta, Aſparagi, Fœniculus, Seſamum, aliaque ibi in multâ copiâ; neque deſunt Cucumeres, Cucurbitæ, Pepones, Melenzana varia, Mauris *Bedengiam*, Angurięque, *Batiecha* appellatæ, quæ toto ferè anno perdurant, & in Bazarris venum proſtant. Colocaſſia nuſquam vberior. In valle, quæ ad Auſtrum vergit, vrbi, proximâ, ingentes viſuntur Oleæ, Amygdalæ ſilueſtres, Ficus, & Mori, itemque Sebeſten, ac Piſtaceæ arbores innumeræ, quas Mauri *Fiſtuc & Fiſtuc* nominant. His ineunte vere germinaſcentibus tenella germina Turcæ Maurique detra-

detrahunt, ijſque aceto & oleo conditis pro acetarijs vtuntur, quo modo Aſparagis Itali. Territorium omne in cliuos valleſq; diſtinctum, cultiſſimum ferè vbique ſe exhibet: eſtque ſic ſatis vberis ſoli, vt plurimùm cretacei, frumentum & hordeum, legumina quoq;, Ciceres pręſertim, & Phaſeolos copioſè admodùm gignit; Vineis item vtcunque cultum eſt. Vinum tamen vt plurimùm ab vrbe Niſi ab Alepo duorum dierum iter diſtante importatur. Auenæ non multæ ferax eſt, vt nec Fœni: Palea idcirco trita, vel hordeum vel Eruiala vt Eruum (quæ ſemina puſilla ſunt coloris rubæi) equorum iumentorumque eſt pabulum. Fruges, ſegeteſque plerumque in fine Aprilis vel principio Maij demetuntur: id enim in totâ Syriâ meſſis tempus eſt Demeſſas non domum ex agris (vti apud nos videre eſt) granis necdum excuſſis in horrea conuehunt; ſed in aream quandam ſub dio comportant, deinde ſparſis per aream manipulis, boues & bubalos immittunt, qui in gyrum euntes, pedibus grana nullo negotio excutiunt; daturque boum vel bubalorum domino certum pro trituratione pretium, ſeu granorum excuſſorum decuma: prębetur inſuper & animantibus pabulum: quod quidem etiam vetuſtiſſimis temporibus apud Orientis populos in vſu fuiſſe ſacræ produnt Literæ. Hinc enim legitur *Non ligabis os bouis terentis in areâ fruges tuas.* Deuter. c. 25. Mos hic triturandi & Italis quoque vſitatus eſt: in eo tamen differunt à Turcis, quòd hi bubalos & boues, illi vt plurimùm equos triturationi adhibeant.

Porrò quod ad magnum Alepinæ vrbis ſplendorem facit, mercatorum omnium commune quoddam receptaculum eſt, quo ex omni orbis parte terrâ marique pretioſiſſimæ quæque merces, Gemmæ, Aromata, & Serica aduehuntur, atque hinc in longiſſimas mundi regiones diſtrahuntur. Omnium ſiquidem propemodùm gentium in illâ exercentur commercia, vndique concurrente multitudine. Hîc enim Perſas, quos vulgus Agiamos vocat, Indos, Chaldæos, Armenios, vulgò Giolfalinos, Curdiſtanos, Caramanos, Turcomanos, Georgianos, Ægyptios, Arabes, Gręcos, Syros alioſque cernas innumeros. Ex Occidentalibus Venetos in primis ibi reperias, Gallos item Maſſilienſes, Catelanos, Siculos, Genuenſes, Anglos, Germanos, Belgaſque plurimos. Ex Orientis partibus (vt merces precipuas enumeremus.) hic proſtant Piper Syriacum, longum domeſticum, itemque ſilueſtre, Piper Indicum, Gingiber, Bulla nuncupatum, Nuces myriſticæ, Caryophyllon, Macis, Cynamoma, Amoma, Cardamoma varia, Zeilana, Amabera, Myrrha, Spicanardus, Calamus aromaticus; Cina, Lignum Quaiacum, Lignum Aloës, Radix Pontica, vulgò Rheubarbarum, Caſſia fiſtula, Turbith, Scammonea, Opoponax, Beluvinum, vel Benzuinum, Aloë epatica, Muſcus, Ambarium, Tutia,

Galbanum, Sal armoniacum, Aſſa fœtida, Manna Libani, Galanga, Cotollæ, Curcuma, Indacum, vel Indicum, Opium, Gallæ, Lac tamarinium, Camphora, Myrobalana varia, Coſtus, Cubebe, Malabathrum, Styrax, Crocus, Grana Cocci, Serapinum, Dactyli è Meſopotamiâ, Cãnę Indicæ, vaſa Indica, vulgò Porcellana: Margaritæ; Rubini, Smaragdi, Sapphiri, Cyrnei, Adamantes, Sardonices, aliæque gemmæ ſelectiſſimæ. Bezar item; ſeu Beſoar, Turcis *Pazar*, miræ virtutis lapis. Is coloris ſubnigri, ad viriditatem tendens, caprarum ex ſtomacho à Perſis Indiſque eruitur; ac contra venena, febreſque peſtiferas præſentaneus eſt, & in ſummo propterea apud omnes habetur pretio. Eum tamen Hebręi (qui falſa pro veris ſępenumerò diuendunt) plerumque adulterare ſolent. Explorandum igitur ſyncerus ne ſit, an adulterinus. Modus probandi varius, nos talem accepimus. Linteolum tenuiſſimum ſputo madefaciunt, aut aquâ: leuiter dein lapidem deſuper fricant: quòd ſi flauo colore lapidem tinxerit, ſyncerum iudicant, aliàs ſecus. Præter Manna Libani, aliud quoque è Perſide in maximâ aduehitur copiâ, vulgò *Tranſchibal* appellatum; quod ſupra ſpinoſam quandam herbam Acatiam nomine) à Mauris *Agul* dictam) decidens colligitur, Coriandri ſemini perſimile, aliquanto tamen maius, ab Italico, itemque Libanico omnino differens, à multis perſimile habitum Manna illi, quod olim Iſrahelitis in Deſerto Arabiæ pluit; cuius forma libro Pentateuchon quarto deſcribitur his verbis; *Erat autem Man quaſi ſemen Coriandri coloris Bdellij.* *Num. c. 11.*
Aduehuntur prææterea è Damaſco ſerica varia, è Caramaniâ item Coria coloris varij, quæ vulgus Cordouanos appellat: Goſſypium, Filamenta goſſypina, Telæ goſſypinæ, Perſarum panni ſerico & auro intexti, Tapetes Perſici, Cairenſes, Syriaci. Zambellota varia, nec non & cineres ad Saponem conficiendum idonei, qui ex herbâ quadam *Schinam* nomine in montibus Syriæ in maximâ cremantur & colliguntur copiâ: herbâ namque exuſtâ oleoſi redduntur cineres, & inſtar lapidis dureſcunt. Adeò verò his herbis Syriæ montes abundant, vt earum cineribus integræ quandoque naues onerentur, ac venum in varias mundi regiones exportentur. Ex Occidente plurimæ eo merces nobiliſſimæ importantur. Serica raſa, Holoſerica, Purpura, Panni lanei verſicolores, Plumbum, Ferrum, Stannum, Mineralia media, Coralia, Arminij pelles candidiſſimi, tenuiſſimæ quoque pelles Cebellinæ, quæ in ſuffulturâ veſtium à ſolis principibus primatibuſque vſurpantur. Martoræ item, Feliumque ſilueſtrium pelles, atque aliæ merces quamplurimæ: pręſertim verò Ducati aurei, cùm Vngarici, tùm Hiſpanicij, nec non & Taleri argentei, præ-

ſertim Batauici, itemque Regales Hiſpanici ; qui etſi Crucis, Diuorum, Principumque Chriſtianorum imagines contineant) quarum vſus lege Mahometæâ omnino Turcis vetitus eſt) ſuis tamen aureis argenteiſque nummis, Arabicis tantùm literis inſignitis, longè pręferunt, atque expetunt auidiſſimè. Suos autem Sultaninos aureos, cæteraſque monetas argenteas, tanquam ſibi ſuſpectas, ſtudioſè admodùm intuentur, voluunt, reuoluuntque ſępiùs, adulterinas ſuſpicantes, & niſi iuſti ponderis ſint, non accipiunt. Noſtrorum verò Principum Ducatorum aureorum, atque etiam Talerorum nec pondus quidem, nec probitatem explorant. Tanti verò eſt apud eos Chriſtianorum Principum pecunia, vt ſi eam pro mercibus ſe accepturos ſciant, de inito pretio trientem interdum vel quadrantem remittant.

CAPVT XXIV.

De mercatoribus Occidentalibus Alepi commorantibus, eorumq; Conſulibus iudiciarijs. Item de mira columbarum induſtria & conditione.

INTER Occidentales mercatores (qui ad celeberrimum hoc emporium mercium & negociorum cauſâ aduolant) Veneti inprimis numero, potentiâ, & opibus principem locum tenent. Quotannis namque ſupra vigeſies centena millia ducatorum aureorum ex negotiationibus merciumque permutationibus conficere dicuntur: quam ſummam ab hinc annis aliquot duplicatam fuiſſe nonnulli volunt. Præeſt in iure dicundo Venetis mercatoribus, eiſque ſubiectis hominibus, iudiciarius Conſul, natione Venetus, ex ordine patricio Senatus Veneti ſuffragijs cenſeri ſolitus; cuius magiſtratus toto durat triennio: quo finito alius in eius locum ſubrogatur. Eſt hic ſummæ apud ſuos auctoritatis, & exiſtimationis, de cauſis litigantium cognoſcit, mulctam indicit, & vbi occaſio poſtulat, in infimæ conditionis homines, criminis alicuius reos, inobediētéſve animaduertit, eoſque pœnâ corporali afficiendos, & flagris cædendos per Genizaros ſuæ Portæ cuſtodes iubet. Hi numero tres è Damaſcenâ militiâ ſelecti, publicâ auctoritate Conſuli præſidio ſunt. Vt verò ædes Conſulis, eiuſque familiares à Turcarum Maurorumq; iniurijs commodiùs tueantur, apud eas excubant, ſuumque equile & cubicula aliquot iuxta habent: quod ſi domo Conſul egredi obambulandi vel Eccleſiam adeundi cauſâ velit, cum ſarculis præeunt, baculiſque oblongis (vulgò *Muchtir*) quos manibus geſtant; obuios quoſcunque citò loco cedere tranſeunti Conſuli imperant, viam aperiunt, cæduntque renitentes. Singulis autem diurnum à Conſule datur ſalarium, octo Mai-

dini, candela cerea, & certa mensura vini. Galli quoque & Angli suos peculiares consules habent: qui & eiusdem cum Veneto auctoritatis sunt, ijsdemque fruuntur immunitatibus, ac parem apud suos iurisdictionem exercent. Cæterùm quotquot ex Occidentalibus, præter Venetos & Anglos, Alepum accedunt, sub Gallorum Consulis tutelâ viuunt, eiusque mandatis obtemperant, & sententijs parent. Gallus, itemque Anglus, ad placitum Regis, cuius personam repræsentant, magistratum gerunt: Venetus (vt diximus) triennalis est. Omnes insuper Oratoris munere sui cuiusque Principis nomine apud Bassam funguntur; plurimi idcirco à Turcis Maurisque æstimati, Bassarum titulo honorantur. Italico omnes vestiuntur more, purpureis, aut è serico rubro vestibus longioribus. In publicum prodeunt vel togati, vel Dulimannis Turcarum more induti: sed & ingenti mercatorum comitati cateruâ, præcedentibus Genizaris, famulis, cæterisq; domesticis, non respuendam ostentant referuntque pompam. Præter Proconsulem, plurimos sub se curiales quisque Consul habet, præsertim Venetus, à Sacris, à Secretis, à Rationibus, Medicum, Interpretem, Præconem, Pharmacopæum, aliosque minoris conditionis homines, ac famulos domesticos. Quisque verò Consul, tanquam suæ nationis Princeps, protectorq;, quoslibet sibi subiectos â Turcarum oppressione defendere, & apud Bassam pro vindicandis iniurijs expostulare solet. Neque solùm suæ quisque nationis hominibus in iure dicundo præest, verùm etiam inter Occidentalem, suæ tamen nationis, & Orientalem quemcunque, si lis oriatur, de eâ cognoscere, & sententiam dicere liberè potest: si quis parere Consulis sententiæ recuset, atque ad Cadium prouocet, vel neglecto Consulis tribunali statim coram Cadio, Turcarum in ciuilibus iudice Occidentalium aliquem citet, aut in ius vocet, auctoritatem habet Consul interdicendi ei omnem cum suæ nationis hominibus negotiationem, additâ etiam pecuniariâ mulctâ, quam exsoluere statim habet, priusquam negotiari, vel commercia inire cum Frangio, vel Occidentali aliquo ipsi fas sit. Consules hi intra vrbis mœnia se continent, & domicilium habent. Proconsules Alexandretæ degunt: vbi exonerandis nauibus, auehendisque mercibus præsunt, cæteraque necessaria munera, quæ eo in loco mercium occasione quotidie occurrunt, obeunt. Porrò quòd ad Occidentalium Catholicorum Alepi commorantium religionem, & religionis exercitium attinet, liberum est ipsis & quidem publicè eam exercere. Extat enim Alepi Templũ, fornicato opere, Venetorum mercatorum in primis operâ egregiè ornatum, splendidisque vestibus ac vasis sacratioribus, ad cultum diuinum spectantibus illustratum; in quo quotidie à Minoritis in Mona-

ſterio contiguo commorantibus ſacrum peragitur : concurruntque eo feſtis maximè diebus, quotquot in vrbe adſunt latini ritus Catholici, vt ſacris interſint, Orationibus vacent, Concioneſque (quæ certis ſtatiſque diebus à Minoritis ad populum habentur) audiant. Neque ſolùm Catholici Occidentales religionis ſuæ publicũ exercitium hîc habent, ſed & arma quæcunque geſtare, ſclopettis vti, perque vrbem equitare permiſſum eſt; cùm tamen in cæteris Syriæ vrbibus haudquaquam id liceat: quinimo nec ipſis Syriæ indigenis Chriſtianis præter arcum ligneum, ſagittaſque, alia ferre arma in totâ Syriâ fas eſt. In tantam verò euaſere libertatem mercatores Veneti, Angliique, vt etiã (comitantibus maximè Genizaris) venationibus quandoque operam dent, atque armis inſtructi ad circumuicina oppida & pagos equis excurrant. Hæc tamen gratis nequaquam, ſed Genizaris ad id multo ære conductis, ac præſtito tributo concedi quis putet. Huic enim quotquot in vrbe adſunt Chriſtiani redduntur obnoxij.

Id porrò ſilentio haud prætereundum eſt quis apud Alepinæ vrbis mercatores ſit vſus in tranſmittendis literis vbi celeritate opus eſt, cùm maximè vel Carauanis ex Indiâ aut Perſide aduentaſſe, vel nauem ex Occidente appuliſſe, aliaque quæ indies occurrunt negotia, ſcitu neceſſaria alibi commorantibus, puta Babyloniæ, Carahemidæ, Damaſci, alióve, quorum maximè ea ſcire intereſt, indicare volunt: quâ in re miram ſanè Orientalium induſtriam, miram diligentiam, & curam conſpicias. Habent ſiquidem columbas ita edoctas, vt quocunque mittantur, eo redeant, vbi primùm excluſæ & educatæ ſunt. Ad harum colla epiſtolam alligant, continentem quæ ſcire neceſſe eſt, eaſque ſinunt auolare: quæ citiſſimo volatu vnde eductæ ſunt, reuolant, ac ſcripta nunciant. Vt autem ſciatur epiſtolam eſſe redditam, habent illi alias columbas ſimiliter inſtructas, per quas ſi opus eſt reſcribunt.

CAPVT XXV.

Alepinæ vrbis incolæ: eiuſq; magiſtratus primarij. Baſſæ nempe in vrbem cum ſolemni pompâ introitus: ac publicæ preces: eiuſdemq; in adminiſtrandâ republicâ ſolertia & cura.

ALEPI incolæ (præter varios exteræ nationis homines, qui ex Oriente atque Occidente magno numero eò quotidie confluunt) Chriſtiani, Hebræi, & Mahometæi ſunt. Chriſtiani varijs inter ſe ſectis diuiſi, vt plurimùm in ſuburbijs ſuas ſedes habent, vbi & Templa & Oratoria publica poſſident, in quæ ſtatis diebus ad ſacra exercenda conueniunt. Idem quoque iuris Hebræis eſt, nam & ipſi ſeparatis in

locis

locis vbi domicilia habent, ſuo more ſacra peragunt. Mahometæi licet in Turcas & Mauros diſtincti, ſacra tamen & Templa ac ritus habent communia. Sunt autem hîc Turcæ vt plurimùm diuites atque opibus abundantes. alij negotiationibus dediti, alij Mahometeæ Legis ſtudijs addicti, vel Meſſitis præſunt, vel magiſtratus obeunt: plurimi ſtipendia merent. Mauri contrà inopes, & mechanicis plerique artibus dediti, manuum laboribus viuunt; pauci mercaturam exercent, aut Meſſitis inſeruiunt. His omnibus præſunt tres ſupremi vrbis magiſtratus, Baſſa, Cadius, Subaſſius. Summa tamen rerum penes Baſſam eſt; cuius imperio parent & vrbis magiſtratus, cæteri & priuati omnes, ac milites vniuerſi ſtipendia merentes. Alepum ſiquidem (vt Oſmannidarum primùm Imperio ceſſit) Beglerbegatibus cæteris annumeratum, ab hinc annis nonaginta titulo Baſſatus claruit. Huius ſanè maxima eſt auctoritas, & ampla iuriſdictio: nam non ſolùm in oppidanos omnes (vt diximus) ſed & in longè lateque circumiacentium vrbium & oppidorum Saniaccos. Cadios, & Subaſſios, cæteroſq; minoris ordinis magiſtratus, ac ſtipendia merentes imperium exercet. Dum nos Alepum venimus, nullus in vrbe erat Baſſa priore enim magiſtratu amoto, & ad Portam Oſmannicam reuocato, ſucceſſor indies expectabatur: ſummâ interim rerum penes nouæ Baſſæ vicarium (quem *Muſalem* vocant) exiſtente. Eſt autem hæc apud primarios magiſtratus Turcicos conſuetudo, vt ſimul ac quiſpiam magiſtratum ab Aulâ Oſmannicâ conſequutus ſit, Muſalemum præmittat, qui anteceſſori de ſuo magiſtratu indicet, vt ille, quem obtinuit, deponat: quo nuncio accepto, ſtatim ex vrbe excedit priuatus, non exſpectato ſucceſſore. Quia verò nobis ibidem hærentibus nouus Baſſa ſummo cum apparatu in vrbem receptus eſt, lubet obiter Pompam in eius aduentu obſeruatam paucis hîc addere.

PRIDIE Kal. Ianuarij, anno à nato Chriſto 1599. cùm nouum aduentare Baſſam nunciatum eſſet: fit ingens populi confuſio, & coaceruatio: concurrunt vndique Genizari, atque in armis ſe congerunt omnes, equos ſpecioſiùs inſternunt, ſeſeque veſtibus melioribus induunt, coacto interim magiſtratuum & optimatum vrbis concilio, vt rationem ineant, quomodo Baſſæ venienti obuiam prodeant, eumque in vrbem comitentur. Rebus denique conſtitutis, quinto ab vrbe lapide regio eum cum comitatu & ſplendore gratulabundi excipiunt, vrbemq; ingreſſi ſummo populi applauſu ad ſuum Seraium deducũt: hoc ſeruato ordine.

Præcedebant Genizari, & ſubgenizari Damaſceni, numero circiter quingenti, nobilibus ac egregiè phaleratis equis inſidentes. His ornamenta erant aurea, & argentea mirè ſplendentia. Sequebantur nobiles

les primateſque viri, vulgò Chelibei, circiter quinquaginta. inde Chiauſij octo mox, Seriphi viridibus cooperti thulipantis quinque. Subſequebatur hos ſicarius quidam ac nefarius homo, pali ſupplicio addictus, camelo inſidens cathenâ incluſus & vinctus ferreâ, brachijſque extenſis, tranſuerſæ ſudi (cui mox infigendus erat) alligatus, Moribus ſiquidem Turcarum receptum eſt, vt mortis reus palum ad locum ſupplicij vel inuitus deferat. Barbarus hic vulnere in pectore ſaucius raſis nouaculâ capitis & barbæ pilis, excepto muſtace, caligiſque tantùm goſſypinis largioribus indutus, cætera nudus, vultu feroci ſedebat intrepidus, atque in obuios quoſcunque toruos flectebat oculos. Vtrumque eius claudebant latus lictores aliquot, altâ voce rei ſcelera pandentes, monenteſque ſingulos legibus vt parerent, & ab iniuſtâ cęde abſtinerent. Mos autem eſt Turcicis magiſtratibus, Baſſis præſertim & Saniacchis, cùm populis ſibi commiſſis ſeueros ſe legum executores futuros, & abſque perſonarum reſpectu ex æquo iuſtitiam adminiſtraturos ſignificare volunt, huiuſmodi in primo ingreſſu vti ſpectaculis, vt his territi in officio contineantur. Poſt hunc Subaſſius erat, iuſtitiæ præfectus, ſplendidis amictus veſtibus, præſtanti regioque ac cultiſſimo inſidens equo, magnâ eum lictorum ſtipante catervâ. Hũc muli ſequebãtur ſex, binis capſis ligneis onuſti; quas prouẽtus regios (*Caſendam* vocant) continere ferebatur, eoſque vtrimque cingebant Genizari Caſtriaci pedites duodeni. Poſt hos equitabat Dephterdarius (is nobis Ærarij Præfectus eſt) qui paulo antequam Baſſa aduenifſet, regiam pecuniam Conſtantinopolim miſerat: quam cùm in itinere Baſſa offendiſſet, atque ad quadraginta tantum millia Sultaninorum ſeu Ducatorum aureorum adſcẽdere intellexiſſet, ad vrbem Alepinam remitti, ac Dephterdario reſtitui iuſſerat, dato illi in mandatis, vt maiorem ſummam quàm celerrimè deferendam curaret. Succedebant Dephterdario Turcæ pedites quadraginta, totidem manuducentes equos nobiliſſimos, cataphractos omnes, & ferreis laminis eleganter armatos, vno poſt alium pedetentim incedente. Quinquaginta dein ſclopettarij pedites, Occidentales ferè omnes, & Chriſtianæ fidei Apoſtatæ. Sequebantur hos ſigniferi duo, non iuncti, ſed vnus poſt alium: prior vexilli loco haſtam ferebat globo æneo deaurato, ſummo in haſtili defixo, circumplexis ac dependentibus vndique crinium colligatorum manipulis, ſeu caudis equinis; cuius globi vertici Luna creſcens ex ære pariter deaurato (Oſmannici Imperij ſymbolum) impoſita erat. Alter vexillum geſtabat ex rubro ſerico, latum cubitos tres, longum ſex, in acutam deſinens formam, literis Arabicis aureis, Dei nomen exprimentibus, in eo depictis. Succedebant Curiales, & domeſtici Baſſæ, numero circiter quinquaginta. Dein-

Genizari pedites bini quaſi ſexaginta, ſarculis, & ſeiſis, ſclopettiſq; inſtructi, ſubſequente eorum Duce in equo ſplendiſſimo, & nobiliſſimo, aureâ induto veſte. Poſt hos tympaniſtæ, tubicines, aliјque inſtrumenta pulſantes valdè ſtridula. Proximè equitabat Baſſa, cui dexter erat Alepi Cadius. Mos ſiquidem ita fert Turcarum noſtro contrarius, vt dignior & potior à ſiniſtris collocetur, more veterum, apud quos ſedere aut ſtare à dextris minùs honorificum erat, quàm ſedere aut ſtare à ſiniſtris: cuius rei indubitatam fidem faciunt picturæ vetuſtiſſimæ, Apoſtolorum Petri & Pauli; in quibus videre eſt Petrum ſtantem à ſiniſtris, Paulum à dextris, cùm tamen conſtet Petro ſemper primum locum delatum fuiſſe. Erat autem Baſſa natione Epirota, annos (ſi faciei credatur) natus quaſi quinquaginta quinque, vultu iucundo & ſereno, facieque gratâ, barbâ ſpadiceâ oblongâ, ſtaturâ mediocri, veſto indutus è rubro ſerico raſo, formâ vulgari talari, interiori cingulo ſeu zonâ ſericeâ leuiter ſtricta; de quo pendebat acinacis aureo capulo gemmiſque ornatus. Poſt Baſſam ducentorum circiter equitum lanceas ſeu Zagaios Arabum more geſtantium incedebat cohors. Poſtremum denique claudebat agmen captiuorum grex, miſeri aliquot atque infælices Chriſtiani Occidentales, Baſſæ mancipia, cathenis vincti ferreis, & pannoſi omnes, ſubſequentibus eorum cuſtodibus, loris ac fuſtibus miſeros gradum accelerare compellentibus. Fuit hic in vrbem ſolemnis Baſſæ ingreſſus, populo Alepino vndique illi occurrenti, acclamanti, ac fauſta precanti, gratum vtique ac lætum ſpectaculum. Dum verò arcem prætervcheretur, tam horrendo ſtrepitu bellicæ inibi quotquot erant machinæ, in congratulationis & publicæ letitiæ ſignum exploſæ ſunt, vt terra tectaque omnia quaſi nutare viderentur. Vbi ad Seraij portam ventum eſt, ex equo deſiliens pedes de fęlici vrbis ingreſſu publicâ oratione gratias Deo perſoluit; eaque finitâ comiter omnibus ſalutaris, ac valedictis, lætos dimiſit. Id verò licèt inſolitum ante Baſſis, optimam tamen futuræ adminiſtrationis ſpem plurimis iniecit. Altero poſt ingreſſum die febri correptus primariam vrbis Meſſitam (vti in votis habebat, ac maioribus magiſtratibus mos eſt) Deum pro fælici regimine precaturus adire nequiuit. Octauo denique ab ingreſſu die viribus integris reſtitutus, magno cum apparatu & comitatu templum adijt, hoc ſeruato ordine. Præcedebant primates Vrbis, *Chelibegi* vulgò appellati, circiter quinquaginta, regijs præſtantiſſimiſque equis vecti; quorum ornamenta vel aurea, vel argentea, gemmiſque micantia regium ſplendorem referebant. Succedebat his Genizarorum ſatellitium, quaſi centum pedites, veſtibus induti

duti melioribus, ornati tectique Zarcolis, & armati gladijs. est autem Zarcola tegumentum capitis, veluti galerus albus, latam auream fimbriam habens, quæ capiti imponitur: superiori verò Zarcolæ parti sesquispithamam altæ caput inseritur, inferior à vertice capitis infra ceruices in dorsum ad tres spithamas demittitur, & non aliter ac feminarum Gallicarum tegmen, quod *Chaperon* vocant, ab occipite dependet. A mediâ fronte oblonga quædam surgit fistula, seu vagina ænea, partim deaurata, partim deargentata, literisque Arabicis cælata; cui gemmas inserunt, vt plurimùm adulterinas: fistulæ seu cono crista superponitur, quæ ornatum addit. Post hos sequebatur Bassa, sex stipatus cursoribus, Arabicè *Pecis*, vel *Peichis*. Hi vestibus induti erant sericis, tectique pileis argenteis deauratis (quos *Vscufias* vocant) oualis pænè formę, & nonnihil oblongis, rotundi instar calicis, aureisque cincti Zonis, è quibus pendebant acinaces, aureis capulis. Subsequebantur in præstantissimis equis duo venustę formæ iuuenes, imberbes ambo, Bassæ (vt ferebatur) à cubiculis, aureis amicti vestibus, pharetrâ sagittis refertâ, arcu & acinace instructi. Quos demum sequebatur incomposito agmine commune vulgus, atque infima plebs, suum concinens *La Illah Illa Allah*. Pompa hæc regia à Bassæ Seraio ad proximam procedens Messitam, concurrente vndique (vt in similibus solet) multitudine populi, & Bassæ fælicia acclamante, per aromatam bazarrum deducebatur, vbi singulæ officinæ, dum transiret, innumeris ferè ardentibus cereis ornatæ, pulcherrimum transeuntibus propter obscuritatem loci reddebant spectaculum. Vbi ad templi valuas ventum fuit, ex equis descendentes, relictis præ foribus equis, pedites templum ingressi sunt; cumque per duas fermè horas precibus inibi vacassent, Templo egressi, eadem quâ venerant viâ, ad suum Seraium Bassam reduxêre. Sed vt est rerum humanarum varius euentus, nec quicquã sub Sole stabilesic; ille qui modò summo populi applausu, militumq; congratulatione, ac fastu regio in vrbem introductus, omnibus acceptus fuit, inuisus nemini, multorum paulo post in se odium concitauit, non quidem suâ, sed aliorum culpâ, & præcipuè Genizarorum; idque ob perditos eorum mores, quibus ille vel maximè aduersabatur. Licèt enim æqui in primis obseruãtissimus, ac populo gratissimus esset, adeoq; irreprehensibilem, atque acrem se legum vindicẽ exhiberet; Genizaris tamen id minimè ferentibus, pręsertim quòd seuerè in illorum scelera tyrannidemque inquireret, & in quosuis nullo personarum habito discrimine, æquâ lance animaduerteret, breuis illis inimicissimus & inuisissimus redditus est. Nec mirum ęquus siquidem iudex

bonorum amicus, malorum hostis est maximus. Ille nihilominus boni Principis & magistratus optimi ratus officium omnium commodo, & publico otio vt consulat, vrbem à nefarijs expurgandam statuit: certò sibi persuasum habens, nunquam securam ac fælicem eam rempublicam esse posse, quæ ex legum decreto non gubernetur: quinimò vbi iniuriari, & quæuis pro libitu facere liceat, eam tandem ex bono statu recedentem in profundum haud dubiè ruituram. Ea propter vt Damascenorum in primis arrogantiam, & insolentiam compesceret, eorumque flagitia (quę noctu plerumque perpetrare solent) reprimeret, vtque à furibus & latronibus quàm celerrimè vrbem expurgaret, dissiparetq; concursum impiorum, primâ itemque secundâ ab ingressu vrbis hebdomadâ integris ferè noctibus vrbem cum plurimo comitatu perequitare, alicuius sceleris reos aut criminis suspectos vbi inuenisset, in carcerem ilicò detrudere, ac proximâ luce pœnâ plecti imperare non est veritus. Adhæc quo maiorem cunctis incuteret metum, néve minùs in ciues quàm milites seuerus esse videretur, adeoque iusti atque optimi regiminis specimen aliquod daret, primis illis magistratus sui diebus pistores aliquot, qui in publici decreti nuper ab eo promulgati contemptum, panes haud iusti ponderis vendiderãt, in pœnam commissæ fraudis, manibus auribusque publico in Annonnonę Bazarro officinarum ostijs clauis affigi iussit. Lanios item nonnullos, qui carnes cariùs quam ille iusserat, venditârant, vnco ferreo proprias ante ædes genis perforatis affigi portis aliorum in exemplum imperauit. Persicæ quoque militiæ Genizarum, qui neruo bubulo (quem *Carauazzam* appellant) villicum vapulare iusserat, atque immodicis flagris pedem illi inutilem reddiderat, pœna talionis afficiendum, ac sinistrum ei amputandum pedem pronunciauit. De quâ quidem sententiâ certiores facti commilitones Persæ, ingenti excitato tumultu ad Seraij portam armati omnes (vt hominem ad supplicij locum educendum è lictorum manibus eriperent) aduolârunt. Subassius verò aduentu tumultuq; eorum cognito, omnem eorum cognatum elusit, ac ne vi sibi reus eriperetur, ipsis inscijs intra septa Seraij propriâ auctoritate, Bassâ inconsulto atque inscio, pedem militi præcidi curauit. Bassa vbi in Seraio de reo sumptum supplicium intellexit, id ægrè ferens, quòd iustitiam & mandata sua negligi diceret, neque maius vllum malum quam inobedientiam putaret; Subassium, quamuis multis rationibus se excusantem, magistratu abdicauit, altero statim in eius locum subrogato. Mox etiam Cadium, supremum vrbis iudicem, ob non ritè administratam iustitiam, magistratu abrogauit, altero quoque in eius locum suffecto. Hisce alijsque seueritatis exemplis adeò se breui tempore formidabilem cunctis reddidit, vt nemo

non

non eius imperium extimeſceret, nec quiſquam eſſet qui muneris ſui metam excedere auderet. Licèt autem ad reipublicæ commodum, atque incolarum in primis ſecuritatem faciat, vt iuſtitia illæſa ſeruetur, ſceleraque omnia ex ęquo puniantur, (Qui enim punit iniuſtos, reliquis facere iniuriam prohibet) Damaſceni tamen milites iuſtitiam exoſi, ac ſuæ magis libidini, quàm publicæ vtilitati conſulentes, iuſtum Baſſæ imperium ferre diutiùs recuſarunt, omnemq́ue mouerunt lapidem, vt ſupremi illius magiſtratus auctoritatem deminuerent: aſt cùm id ex voto ipſis non ſuccederet, exaſperati animo, ingentes poſtea turbas excitârunt: quæ ante noſtrum ex vrbe diſceſſum nondum fuere ſopitæ.



IOANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARII HIEROSOLYMITANI ET SYRIACI

LIBER QVARTVS.

Sacra, ritus, mores, instituta, habitus, & consuet udines Mahometæorum, itemque Christianorum in Syria commorantium comprehendens.

CAPVT I.

Trimestris in vrbe Alepo mora. Turcarum seu Mahometæorum sectæ origo, atque inde nata hæresis Persarum.



MANSIMVS Alepi totos tres menses, nullâ interim nauium oblatâ occasione, quibus Venetias renauigare daretur; maritimos cursus præcludente hieme. Nam & eo tempore, vtpote nauigationi incommodo, ac minimè tuto, Venetorum nauarchis nauibus è portu soluere, ac mari se temerè committere lege vetitutum est, pœnâ additâ non obtemperantibus. Quæ verò, dum hîc commodam nauigationem exspectauimus, de Mahometæorum religione, ritibus, moribus, cultu, habitu, cæterisque rebus memoratu dignis perscrutati fuimus, non ingratum, neque iniucundum fore lectori arbitrati sumus, si ea breuibus enarremus. Et de eorum quidem religione initium sumemus, apud quas gentes hæc secta hodie vigeat, quando orbi innotuerit, quomodo succreuerit, qui item postea inter se dissecta fuerit, expositūri.

Lex Mahometæa, quæ Turcis Maurisque communis est, non solùm per vniuersum Osmannidarum imperium, puta Ægyptum, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Chaldæam, Cappadociam, Asiam minorem,

minorem, Imperium Trapezuntinum, Græciam omnem, insulasque & Maris Mediterranei & Archipelagi, Peloponnesum item, Epirum, Ætoliam, Achaiam, Macedoniam, Sclauoniam, Bosniam, Walachiam, Seruiam, Bulgariam, Mysiam, Vngariam, siue Pannoniam, aliasq; regiones; verùm etiam apud Scythas, Tataros hodie (vel vt alij volunt) Tartaros appellatos, Persas, Indos, Arabes, Æthiopes, Africanosq; cęteros longè lateque dominatur. Hi quidem omnes vnum Deum creatorem vniuersi confitentur, & adorant; Mahometem autem nuncium, atque prophetam Dei vltimum, itemq; Paracletum in Euangelio promissū, cæterisq; qui ante eum fuerint, & digniorem, & gratiorem, ac Deo chariorem affirmant. Opinionibus tamen circa legis doctores, & Mahometis in Caliphæ dignitate successores, plurimùm inter se differunt, variosq; sectantur interpretes; quod vt exponam nostro proposito non videbitur absonum. Heraclio Cæsare cùm magnâ ex parte Imperium Rom. concidisset, noua è profundo barathro erupit religio, seu clades potius, ac lues humani generis. Ea initium sumpsit ab Arabe quodam Mahomete nomine, qui humili & sordido loco natus, ad maiora adspirās, ausus est Prophetam se dicere à Deo missum, qui leges perennes, nouissima sacra mortalibus traderet; cui nec acrimonia ingenij defuit, nec peritia sacrarum rerum: quam ex Iudæis & Christianis hauserat. Hic flagitia sua, ac mores quantumvis perditissimos callidissimè sciuit occultarè; & si quando emergerent, in Deum & religionem transferre, vt facilè barbaros & rerum ignaros à veri cognitione auerteret, atque in suam sententiam traheret: eoque magis, quod nouas leges (quas stupidis ea tempestate Arabibus & idololatris imposuit) ad Gabriëlem angelum referret: quo monitore sese omnia gerere mentiebatur. A Christiano autem Monacho Sergio, hæreseos damnato, & ab Italia profugo, adiutus, hæresim omnium pestilentissimam in lucem edidit, imò potiùs omnes antiquarum hæresum fæces, quas diabolo imbuente sorbuerat, reuocauit. Cum Sabellio & Arrio Trinitatem abnegauit: cum Ebione & Nestorio Christi diuinitatem abiecit: cum Macedonio Spiritum sanctum Deum esse noluit: cum Manicheo mortem Christi negauit: cum Cerintho circumcisionem tenendam docuit. Adhæc leges sanxit, quæ mortalibus maximè arriderent, neque iuberent quidquam, quod explendæ libidini aduersum esset; vt sic homines seueritatis legū suarum pertæsos ad se pelliceret. Neque improbam spem fefellit euentus, nam vt sunt pleriq; magis ad vitia quàm ad virtutem proni, breui factū est, vt etiam multi à Christianâ fide desciscentes, pessimam eius legem amplexi fuerint: Quibus artibus tandem regnum adeptus, hoc successu lætatus, nefariam hæresim longè latèque disseminauit: iacto quidem

dolis

dolis fundamento, gladijs tamen prolato imperio: nam quos arte capere non potuit, viribus in nouum dogma subiugauit. Quo humanis exempto rebus posteri aucti viribus & potentiâ, mirum in modum Imperij sui limites propagârunt, vt iam Asiam, atque Aphricam pænè totam, ac magnam Europæ partem inuaserint, victorijsque frequentibus fermè Mundum occupauerint vniuersum. Proximi in regno successores fuere Ebuhebir, Osmer, Osman, denique Alim: qui tanquam sacrorum reges & supremi legis Mahometææ Caliphæ, plurima Mahometis scriptis addiderunt. Hos, itemque Ebuhanifen, Malichim, Schaaffim, & Achmetem Sembelim, velut eximios Mahometæę legis doctores, seu Imamos, aut Santones, Turcæ, Arabes, Tatari, Indi, Africanique Mahometani omnes venerantur. Contrà Persæ hos omnes, Ali seu Hali excepto, velut hæreticos detestantur, scripta & libros eorum, vbicunque reperiant, flammis exurunt; crudeliter etiam in eorum obseruatores animaduertunt; Scheichadaris verò atque Harustis doctrinam veluti legittimam, ac cæteris sinceriorem, & saniorem amplectuntur; quos tamen reliqui Mahometææ sectę cultores execrantur. Hinc cruentum & vehemēs inter Persas & Turcas iamdudum ortum est bellum, atque ingens odium, vt in se mutuò tanquam hostes accerrimos, & hæreticos pestiferos, crudeliter sæuiant. imò in eam rabiem progressa est religionis dissensio, vt Muphtis (qui est apud Turcas supremus sacrorum antistes) in Persas sententiam tulerit, quâ gratiùs esse Deo affirmat religionis causâ Persam vnum occidere, quàm septuaginta Christianos Mahometææ legis hostes acerrimos. Sumpsit autem hæc noua Persarum opinio exordium à Santone quodam Scheichadare nomine. Is regnante Vssum cassane Persarum rege, posteaquam diu latuisset, & ab hominum conuersatione remotissimam duxisset vitam, tantam sanctitatis opinionem, atque auctoritatem apud vicinos populos est consequutus, vt simul atque è latebris prodijsset, ingens hominum multitudo (vt sunt semper humanæ mentes nouarum rerum cupidæ) ad nouum Doctorem è vicinis regionibus confluxerit, eique adhæserit. Inter cæteros verò quidam Erdebil illustri natus familiâ regulus, Ismaëlis Sophi Persarum postea regis pater: qui cùm causæ illius, tanquam rectæ religionis, ac sanioris doctrinæ patrocinium suscepisset, eius fretus viribus, in Rezâ Persidis oppido nouam doctrinam primùm disseminauit. Docebat autem ille non esse prędstandam fidem tribus Mahometis prophetæ socijs, ac primis illius in regno & Caliphæ dignitate successoribus: verùm ijs posthabitis, solum Alim, si salui esse vellent, in omnibus sequendum: eum namque fuisse legittimum Prophetæ successorem, ac verum Legis interpretem, & Calipham, non alios. Ad suam verò doctrinam compro-

probandam, Alisque auctoritatem & dignitatem corroborandam, maiorem denique dictis suis fidem acquirendam, reuelatum sibi à Deo asserebat, Angelum Gabriëlem è cœlis in terris quandoque missum, qui Alcoranum diuulgaret, eumque Dei præcepto Ali primùm traderet, sed errore decepum Mahometi obtulisse. Deum verò eâ re nihil offensum, quippe qui hunc quoque tali dono dignum censeret; prætulisse tamen Alim Mahometi, vel saltem æquasse. Hinc quoque Mahometem Alim tanquam cæteris digniorem, & rebus gerendis magis idoneum, atque etiam sibi propinquiorem, vt qui esset ipsius gener, testamento non solum hæredem instituisse, sed & Caliphem & regni successorē declarasse. Ebukebirem nihilominus, spreto Prophetæ vltimo elogio, quorundum adiutum fauore per iniuriam se Caliphem constituisse. Hunc secutos Osmerem, & Osmanem: Ali interim dignitate sibi testamenti iure debitâ spoliato, in speluncâ quadā abditâ latente, & priuatā ducente vitam: donec tandem illegitimis exstinctis Caliphis, Dei iudicio in debitâ sibi Caliphis dignitate succederet. Ideoque cùm manifestè inde constare diceret, primos illos post Mahometem Reges supremæ Prophetę voluntati restitisse, & decretum irritum fecisse, perduelles atque hæreticos existimādos, adeoque quæcunque literarum monumenta post se reliquissent, flammis esse mandanda. Vt verò sui aliquo signo à cæteris secernerentur, voluit ne lineis inuolucris, vt Turcæ, stastuosè caput ornarent, sed tegmine tantum laneo & vili vterentur. Hinc Persæ etiamnum, contra morem Turcarum nequaquam Tulipantho albido, sed rubro è lanâ pileo, duodecim habente plicas, vel Tulipantho lineo versicolore caput tegunt: qui idcirco à Turcis contemptim *Cuselbassi*, id est, Ruber capite, appellantur.

CAPVT II.

De varijs Mahometææ Legis cultoribus, eorumq; (& præsertim Turcarum) conditione varia.

PRAEVALENT cæteris omnibus Mahometææ legis cultoribus quatuor præcipuę nationes, viribus, imperio; & numero: Arabes, Tatari, Persæ, & Turcæ. Inter hos Arabes: vti legis primitiæ, vetustioresque cæteris, superstitiosi admodū & Zelotypi in primis, maximo in Christianos odio ardent. Persæ contrà mitiores, benigniores, & humaniores, Christianis non adeò sunt infensi. Tatari Gentilium ritibus ex parte dediti, feroces quidem, & in Christianos inhumani, cæteris tamē simpliciores rudioresque habentur. Turcæ verò Christianorum

ſtianorum infeſtiſſimi hoſtes, dominandi libine agitati, ac Marti quodammodo conſecrati, armis potiùs vacant, quàm religioni. Hinc regnorum amplitudine, potentiâ, fælicitate, ac rerum geſtarum gloriâ cæteros omnes Mahometæos longè antecellunt. Turcarum autem alij ſunt nati, alij facti. Hi vel Chriſtianæ vel Moyſaicæ Legis deſertores, Mahometanam ſectam vltrò amplectuntur, vel à pueris in ſeruitutem abducti, propriæ Legis neſcij, falſâ Mahometis lege imbuuntur. Ea enim eſt miſera ſanè Chriſtianorum in Europâ ſub Turcâ degentium conditio, vt vel inuiti filios à ſe diuelli parentes patiantur: cui namque terni ſunt filij, horum tertius Chiauſij arbitrio eligendus iure tributi cedit Imperatori. Hebræi, cùm Mohometęam legem profiteri volunt, iam circumciſi, abiuratâ tantum Moyſaicâ Lege, ſolo iuramento profeſſionem ſuam edunt: ita tamen, vt baptizati priùs Chriſtum Mariæ Virginis filium fuiſſe Meſſiam, à Deo patribus promiſſum, & à Prophetis prænunciatum, iam in cœlo corpore & animâ manentem fuerint confeſſi. Chriſtiani adulti priùs circumciduntur, & crucem ſibi oblatam ter pedibus conculcant, & ter conſpuunt; hæc ſubiungentes verba. *La Illah Illa allah, Mahomet ruſul Allah*: id eſt. Non eſt Deus niſi verus ille Deus, qui creauit cœlum & terram, Mahometes nuncius Dei. Interim tres ex adſtãtibus Turcis totidem cœlum verſus ſagittas emittunt; quæ priuſquam in terram decidant, nomen ei Turcicum imponunt Marem Thulipanto, ſplendidiſque veſtibus ornatum toto biduo per vrbem æquo vectum circumducunt, eâ ratione ne quis poſtea iniurijs eum veluti infidelem laceſſat, ſed omnes liberum ac Mahometæi iuris hominem eſſe agnoſcant. Si honeſtioris conditionis ſit, Chelibæi, proceréſve vrbis, nec non Genizari, equitantem per vrbem honoris cauſâ comitantur; ſolemni ſanè pompâ. Præcedunt ſigniferi templorum inſignia Dei nomine inſignita geſtantes: ſuccedunt tibicines, tympaniſtæ, alijque diuerſa pulſantes inſtrumenta ſtridula: ſubſequitur multitudo populi, virilis ſexus homines; hi ſuum *La Illah Illa allah* elatâ voce decantantes, tanto ſtrepitu, tantoque ſtridore voces tollunt, vt adſtantium & prætereuntium aures obtundant. Inter hos medius equitat Nouitius; quem denique ſequũtur nobiles ac milites Genizari, in præſtantiſſimis equis. Tertio autem die circumciditur: & ex eo tempore Muſulmanus, id eſt Orthodoxus, aut Rectè credens ab omnibus appellatur; poteſtque liberè Mahometæorum ingredi templa, intereſſe ſacris, ac legere eorum ſacros codices, nec non quæcunque munia, præter eccleſiaſtica, vt nati Mahometani, obire. Turcæ, Mohometæique cæteri liberos ſuos non octauo à natali die, quemadmodum Hebræi, circumcidunt, ſed cùm ad minimum octa-

octauum, nonum, decimum, vndecimum, aut duodecimum annum attigerint, Sunt qui in decimum tertium annum circumcisionem differant, exemplo Ismaëlis filij Abrahæ, eâ quidem ratione, vt per se fidei suæ professionem edat, quidve agat intelligat, sciatq; fidei, quam quisque professus est, aliqualem reddere rationem. Circumciduntur Turcarum filij vel in templis, vel in ædibus parentum, proximis cõsanguineis conuocatis; & quemadmodum nostris liberis nomina in baptismo indimus, sic Mahometæi suis infantibus nomina in ipsâ statim circumcisione imponunt. Chelibei seu primates Turcici cùm filium circumcidi volunt, festum diem agunt, & solemne conuiuium celebrant. Inter epulas tempusque cœnæ adducitur puer circumcidendus, cuius glandem illius artis medicus retegit, & replicatam pellem forpiculis apprehendit. Deinde quo metũ adimat puero, ait se in proximam diẽ circumsionem peracturum; atque ita re infecta discedit. Mox simulans quasi omissum aliquid esset quod ad præparationem attinet, membrũ rursum attrectat, atque ex improuiso præputium abscindit, vulnerique parum salis & gossypinæ telæ apponit, Per triduum conuiuium continuant, eo absoluto circumcisus ducitur in balneum cum maximâ pompâ. Cùm domum redierit, ducitur per conuiuas; qui parata illi munera offerunt. Alij vestes sericas, alij scyphos argenteos, alij pecunias, alij equos. Mulieres quoque & sua addunt donaria, aliæ sudariola, aliæ indusia, aliàque linteola: & prout cuiusque sunt opes, suam quisque liberalitatem in circumcisum ostendit. Sunt ex primatibus qui in circumcisionis festo bouem integrum exenterant; ouem ventri, oui gallinam, ac gallinæ ouum includunt: ventrem hòc modo confertum consuunt, ac publicè assant, postea cum propinquis lautè epulantur: quod superest, in pauperes erogant. Circumcisum albido Thulipanto mox ornant: pueri siquidem Turcici nõdum circumcisi pileolo serico versicolore, eiusdem ferè formæ, quo apud nos honestiores pro tegmine domi vtuntur, caput tegũt. Diximus suprà, Turcarum factorum alios esse Christianorum filios Europæos, pueros adhuc à parentibus vel inuitis diuulsos, ac perfidâ Mahometis sectâ imbutos, alios grandiores natu Christo abnegato Mahometæã perfidiã amplexos. Vtrique autem armis destinati, illi vbi ea exercere incipiũt Azamoglani dicuntur, Genizaris postea adscribendi vbi in viros euaserint. Hi statim vbi Christianam fidem abnegauerint, ex ordine Genizarorum censentur, stipendiaq; merent. Horum plerique si mancipia fuerint, vel pœnas indictas veriti, vel seruitutis incommoda exosi, id scelus committunt; si liberi, vel causæ vindictæ, vel desperatione vt plurimùm ducti, vel publicis iudicijs damnati, spe lucri, atq; honorum

fastu allectati, in principes vt euadant viros, diuitias consequantur, ac sæculi commoditatibus abundent, liberè etiam voluptatibus operã dent, Veneremque præsertim illicitam impunè exerceant, in nefanda hęc incidant. Ex his in omnibus ferè primarijs Osmannici Imperij vrbibus, maximè Constantinopoli, Cairo, Damasco, Alepo inuenias plurimos: qui Turcis natis duplo peiores, nequioresq;, & Christianis in primis offensi, nihil præter lucrum per fas nefasque quærunt: delatores summi, vtque alienigenis noceant vel maximè intenti. Nonnulli tamen Christianis Occidentalibus quandoque confidentes, conditionem suam ipsis aperiunt, secretò se Christianos esse confitentur, & licèt palam ore Christianismũ negauerint, corde tamen Christi fidem amplecti, Christumq; se coelre, non Mahometem, ac primâ occasione paraturos abitum asserunt: quod tamen siue pœnè timore, si ex fugâ retrahantur perferendæ, siue spe maiorum opum accumulandarum, siue voluptatis causâ, cui renunciare nolunt, nunquam aut rarissimè præstant; sed vel pertinaces (prohdolor) in eo vitæ genere moriuntur, vel negligentes (quam anhelare debeant) animæ salutem vsqueadeò conuersionem & nefandæ hæresis abiurationem protrahunt, vt serò tandem medelam animæ quærentes, nõ inueniant, misereque vitam finiant. Quare peregrinantem seriò admoneo, ne vnquam horum verbis fidem adhibeat, néve opem vllam ijs præstet; sed velut pestem fugiat, vel tum maximè cùm valedicere se velle Mahometææ perfidiæ, ac fugam tentare simulant: astu namque id faciunt, vt irretiant rerum ignaros, & quodam prætextu miseros aduenas tanquam Mahometææ legis infractores ad magistratus deferant, atque ex alterius detrimento nefarium sibi lucrum quærant. Si verò in apostatâ desit simulatio, & verè pœniteat, ac sedulò aufugiendi occasionem quærat, consilium etiam & auxilium ad id petat, neque tum his seimmiscere rebus aduenæ tutum erit: nam si fugiat, in familiares cadit suscipio, & tanquam fugæ authores grauissimè puniuntur.

CAPVT III.

Mahometææ Legis præcepta, ritus, ceremoniæ. Variæ item de Deo, de Christo, eius Matre Maria, de salute hominum, sacris Biblijs, vltimo Iudicio, Paradiso, Inferno, Angelis, & Dæmonijs doctrina, & opiniones.

MAHOMETAEAE Legis præcepta (vt ad rem redeamus) pręcipua hęc sunt. Adorare vnum Deum, eumque timere, circumcisionem

nem seruare; non tamen ob expiationem peccati originalis, quod nullum esse putant Mahometani: honorare parentes, tẽpla statutis horis adire, obseruare quotannis ieiunium menstruum, in pauperes eleëmosynas erogare, non habere imagines, siue pictas, siue sculptas, præsertim in templis, non committere homicidium, furtum, adulteriumvé, sed propria vxore, seu vxoribus, mancipijsque esse contentum: abstinere à vino à carne suillâ, à sanguine, à morticinis, ab animalibus immundis. Quod si tamen horum aliquid quis præuaricatus fuerit, lustratione, atque externâ corporis lotione vel tridui ieiunio, eleëmosynáve, aut carcerati alicuius redemptione peccatum expiari credunt: & cum tam facilem peccatorum expurgationem esse sibi persuadeant, omnia pænè mandata negligunt, & velut bruta animantia, & rationis penitus expertes in omnia vitia præcipites ruunt, & voluptatibus ac cenosæ libidini immersi, detestandisque erroribus impliciti nullum non scelus admittunt. Sodomiticum vitium pro peccato non habent. falsa testimonia, periuria, rapinas, extorsiones, latrocinia, pauperum atque aduenarum oppressiones, circumuentionesque, ac peiora his, tanquam leuiora & communia pro nihilo ducunt; adeoq; præter exteriores quasdã ceręmonias, quæ plerumq; in Lotione, Oratione, Templorũ visitatione, Eleëmosynis, Peregrinatione, atque annuo Ieiunio, ciborumque delectu consistunt, nulla illis religio, nulla pietas, nullaq; penitus est disciplina. In eo tamen commendandi quòd in egenos miserosq; homines multò largiores, liberalioresq; sunt nostratibus: largas enim in pauperes quosvis vltrò erogant eleëmosynas carceratis cibum suppeditant, eosque proprio sæpius ære è carceribus redimunt: gratiorem namque esse Deo datorem illum putant, qui sponte quid det, quàm qui rogatus. Licèt autem vnum Deum æternũ, factorem cœli & terræ confiteantur, & adorent, eumque omnipotentem, omniscium, benignum, misericordem, expertem iracundiæ, veniæ datorem, bonis præmia, malis cruciatus tribuentem prædicent: verumtamen Deum, qui per Filium Vnigenitum adorari, & coli vult, nõ cognoscunt, cum trinum in personâ, & vnum in essentiâ negent, Sabellium hæreticum in hoc sequuti; qui vnam in Deo essentiam ponendo, negauit Trinitatem personarũ; asserens vnam personã quandoq; dici Patrẽ, quandoque Filium, quandoq; Spiritum sanctum. Negant adhæc generationem in diuinis, Arrium sequentes, qui Filium Dei creaturam esse dicens, manifestè generationem (quasi opus naturæ) in diuinis esse negauit. Cùm verò nullam aliam generationem esse norint, quam carnalem, per commixtionem maris & fœminæ, Deum non posse habere filium, cùm vxorem non habeat, putant; idq; vel eo magis sibi persuasum habent, quod inde vniuersi destructio-

nem causari posse quandoque existiment. Nam (inquiunt) si Deo filius esset, fieri posset, vt aliquando filius patri non obtemperet, sed aduersetur: quod si contingat, maxima inde creaturis sequutura incommoda, atque vniuersi futurum excidium. Quàm malè verò, quamque absurdè de Deitate sentiant, non est nostri propositi vt latiùs eâ de re hîc disseramus. Christianis saltem constat Ioannis testimonio, *Nisi quis honoret Filium, Patrem nequaquam honorare*: adeoq; illos frustra Deum Patrem colere, eique seruire, qui Deum Filium ignorant, Nam, vt idem Ioannes ait, *Qui negat Filium nec Patrem habet; qui confitetur Filium & Patrem habet*. Vtcunque ergo de Deo Patre sibi placeant, nec Deum habere, nec Patrem certum est: cùm filium temnant, atq; obstinatâ mente filij credulitati resistãt, quinimò illos Antichristi discipulos, & sectatores, eorumq; Prophetam ipsum esse Antichristũ eiusdẽ Ioannis testimonio planè conuincitur, dum inquit: *Hic est Antichristus qui negat Patrem & Filium*. Spiritus Sancti quoque processionem & Deitatem expressè negant, in hoc Macedonium sequuti: qui Spiritum sanctum non Deum à Patre Filioque æternaliter procedentem, sed creaturam esse docuit. Eundem tamen nonnunquam cum personâ Christi coniungunt, ipsumque Christum Spiritum Dei nuncupant: quem tamen non Deum, nec Dei filium, neque etiam humani generis redemptorem, sed purum hominem constituunt, & Prophetã tantum sapientem, bonum optimum, & veracissimum fuisse prædicant. Sunt etiã qui Christũ ipsius Mahometis testimonio Verbum, Virtutem, Sapientiam, Animam, & Cor Dei, itemq; Messiam promissum Iudæis, nec non Mentem, Principium, & Caput omnium hominum appellent, & diuino quodam afflatu è Spiritu sancto conceptum, & ex Mariâ Virgine sine patre generatum, atq; omnis mendacij & peccati immunẽ affirment. ita vt sibimet planè contrarij suo se gladio iugulent, adeoq; vel inuiti Diuinitatẽ Christi palã profiteri cogãtur. Tãta nẽpe & vis veritatis est, & virtus, vt eam sæpe hostes, & ab ipsâ extorres, obtorto velut collo, velint, nolint, proferre & fateri compellãtur. Porrò è cœlo originem traxisse, conuersatione sanctum, doctrinam sanctam ac rectam docuisse, eamque miraculis illustrasse, ac confirmasse, cæcos enim illuminasse, leprosos mundasse, & mortuos suscitasse fatentur omnes. Mortuum autem, ac reuixisse, vt obstinatè cum Manichæo negant, ita imprudentiæ & stupiditatis arguunt Christianos, qui Christum probra Crucis, Mortem acerbam & ignominiosam perpessũ sibi persuadeant, credantq;. Cœleste namq; corpus eum assumpsisse, eoque Virginis vterum penetrasse cùm credant, morti obnoxium minimè fuisse existimant; sed immortalem, ac viuum, & incorruptum assumptum in cœlos in montem Oliuarum prędicant. In tantâ enim fuisse

c. 5.

Epist. 1. c. 2.

Epist. 1. c. 2.

fuisse eum apud Deum gratiâ ferunt, vt quum Iudæi in eum conspirarent, ex eorum manibus ereptum Deus in cœlestem gloriam transtulerit: quia nimirum Dei bonitati indignum fuisse putant Prophetam insignẽ & omni virtutum genere affluentẽ, nequissimorũ hominũ libidini exponere. Iudam verò proditorẽ in Christi similitudinẽ (cũ in horto quæreretur) mutatũ, eius loco ab inuidis Iudęis captũ, ac Cruci affixum, & mortuũ affirmant. Deniq; Christum nũc corã Deo in cœlis in carne viuere, & Antichristũ (vbi aduenerit) gladio suæ virtutis interfecturum, & Iudęos reliquos ad legẽ suã conuersurũ. Extremi verò Iudicij die adueniente è cœlis se ostensurũ omni populo, & iudicaturũ suæ legis homines, ac Deo proximũ in Iudicio assessurũ perhibẽt. Propterea Christi nomen non minus quàm ipsius Mahometis execrantes acriter puniunt, honestiores pœnâ pecuniariâ, humiliores flagris. Neq; Christi solum, sed & Mariæ nomen blasphemantes castigant. Sic enim lege cautum est. *Si quis siue Christianus, siue Turca, vel Maurus, vel Arabs Christi illud verbum Dei, quem Virtute Spiritus Sancti à Maria procreatum credimus, vel etiam ipsam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit, & excellentiorẽ, blasphemauerit, præter mulctam pecuniariã, sexaginta fustiarij plagas sustinebit.* Cuius quidẽ Legis exactissima est apud Turcas obseruatio. Sanctos tam veteris, quàm nouę Legis, puta Abrahamum, Isaacẽ, Iacobũ Patriarchas, Moysem, Eliã, Dauid Prophetas, Mariã Virginem, Catharinã, Georgiũ, aliosq; inuocant, non vt totidẽ Deos, nam vnicũ tantum Deum agnoscunt eumq; adorãt, sed vt Dei amicissimos, & apud Deũ singulares intercessores. Horũ quoq; sepulchra inuisunt, & venerantur, precesq; iuxta ea fundunt: nõ ea ratione quod mortuos colãt, sed quod eorũ animas apud Deũ viuere ac Diuina fruitione gaudere credãt: itaq; licèt sciant eorũ corpora in cineres esse resoluta, quæ non alloquũtur, nec precantur, sperant tamẽ sanctissimas eorũ animas vti luce Diuinâ perfusas, preces suas exaudituras, atq; apud Deum pro se intercessuras. Libris Euangelij (quos *Ingiles* vocant) ac Moysis Pentateucho (*Trebit* illis appellato) si non integram, aliqualem tamen præstant fidem: nam & creationem Mundi, Adæ formationem, ac omnem ferè Hebraicam probant historiam; Christi quoque ex parte doctrinæ assentiuntur. His tamen longè præferunt Alcoranum, id est Articulorum seu Præceptorum collectionem; quem veritatis codicem nominant: estque illis velut Iudæorum Pentateuchus, aut Christianorum Euangelium. Huic addunt & Sunam. Is liber est, imò volumina multa, in quibus dicta atque facta sunt Mahometis: quæ si quis legat, neminem tam à communi sensu putauerim remotũ, qui non protinus superstitionem detestetur; adeo pleraq; sunt ridicula. Etsi verò in Sunâ nihil præter nænias & stulta fabulamenta inuenias; illi tamen hæc omnia verissima putant, & tanquam oraculum venerantur. Licèt autem

autem Mahometes suis hisce in libris Moysem & Prophetas cæteros commendet, Dauidem etiam, eiusque Psalterium summis efferat laudibus, ac Christum denique supra omnes extollat Prophetas, cunctisque viris, quos Mundus tulit, excellentiorem prædicet, nullumque Iudæos post Christum habituros Prophetam velit, adeoque & Legem Moysis, & Christi Euangelium ex parte approbet, atque etiam vtrũque seruari præcipiat, neutrum tamen amplectendum censent, quod Christianos Euangelium, Iudæos Legem Moysis corrupisse, tantumque in vtroque veritatis esse, quantum in Alcorano ex illis citatur, existiment. Cùm verò præcepta Christi obseruatu difficillima, imò impossibilia putent, Mahometem idcirco missum à Deo Prophetam, ac Dei iussu mitiorem ac faciliorem edidisse Legem volunt, quo facilior foret credentibus via salutis. Et vt Euangelio prodito abrogata est Lex ceremoniarum Moysis, sic Mahometem successisse Christo, Deique mandato Alcoranum in Euangelij locum subrogatum existimant. Neque solum Christo Mahometem successisse, sed etiam à Deo in mandatis habuisse, vt non amplius exemplo Christi, hortatione, verbo, & precibus ad Legis suæ obseruationem homines induceret, ast ferro & viribus renitentes aggrederetur, & tanquam iustitiæ diuinæ vindex Christianorum perfidiam (in tot hæreses sectasque diuisam) castigaret, eorumque summam erga Deum ingratitudinem vlcisceretur, ac de nefario prioris legis contemptu vindictam sumeret, prædicant. Vnumquemque tamen in sua Lege, siue Christianum, siue Hebræum, aut Mohometæum, modò honestè & iustè vixerit, saluari posse, & misericordiam à Deo consequuturum putãt: quod & Alcorani sui Azoara seu Capite secundo comprobant. vbi legitur. *Quod omnis rectè viuens, boniq; operator indubitanter Diuinum amorem consequetur.* Et Azoara 5. *Deus pius & misericors priùs Testamentum Vetus, dein Euangelium rectas vias hominibus tradidit, postremo Librum veracissimum Alfurcan vobis desuper præbuit.* Azoara verò 12 *Nemo perfectè fidelis est, qui testamẽti Veteris, & Euangelij, non minus quàm huius Libri (Alcorani) præceptis paruerit.* Hinc est quod Christianos sub Imperio Osmannico degentes ad fidem Mahometanam amplectendam minimè cogant. Cuiuscunque enim sectę Christiani fuerint, sua lege, suoque ritu viuere cuique liberum est. Peculiarem propterea quæque natio Christiana in eorum vrbibus oppidisq; Ecclesiam habet, & in ea publicum suæ religionis exercitium: Quod ad Imperij Osmannici incrementum plurimùm facit. Hac namque ratione Imperator subditos suos, etiamsi alienigenæ Legis sint: sibi beneuolos reddit, auctoritatem etiam ac regnorum amplitudinem sibi conseruat Quare vt prouinciam aliquam bello subiugauerit, sat sibi esse putat, si subditos obedientes habeat, & modo

dò tributum præſtẽt,quâ religione demum viuant,curat nihil.quâ arte amplitudinẽ imperij ſibi peperiſſe,atq; hactenus ſtabiliuiſſe multi putant.Interim tamẽ quo modo ſaluentur animæ variæ ſunt apud Turcas opiniones. Alij namque ſolã Diuinam gratiam ſufficere ad ſalutem, alij contrà Legẽ quam quiſque profeſſus fuerit ad amuſſim debere obſeruari ac ſemotâ gratiâ ſolis bonis operibus ſalutẽ acquiri poſſe exiſtimant.Sũt qui ſolos Mahometææ Legis obſeruatores ſaluandos credãt, cæteros nequaquã. Id verò vel maximè in gente hac cæcâ deplorandũ exiſtimo, quod ſatanico quodã inſtinctu viã ſibi præcludentes ſalutis, nullum contra Mahometis doctrinã, fabulaſvé docentem, prædicantémve admittant,aut diſputantẽ; ſed ſolùm armis eam defendendam putent; idq; ex Legis præſcripto;quo omnis diſputatio de fide Mahometanâ Laicis ſub pœnâ capitis interdicta eſt. Sacerdotibus autẽ permiſſa,cùm vel inter ſeſe exercitationis ergo, vel cum Perſis hæreticis ad refellendã hæreſim diſputant,aliàs nequaquam.Apoſtatas flammis mox interimunt;pariq; pœnâ Chriſtianos, qui veram Fidem aliquem eorum docere præſumat,plectunt,puniũtq;.Siue enim Græcus aliquis ſiue Romanus,Mahometæũ ad ſuã quiſq; religionem abducere conetur,Lex illi ſtatim mortẽ decernit.Quinimo ſi Perſa quiſpiã in ſuã hæreſim Turcã aliquẽ pertrahere ſatagat,nõ minus hunc,quàm Chriſtianũ mortis ſupplicio adiudicat: cùm neminẽ Turcæ patiantur à ſuâ ad aliam quamcunq; religionem auerti. Vt autẽ nullã ſuæ ſectæ impugnationem admittunt;ita neque eam vti nullâ ratione ac veritate fultam, argumẽtis,diſputationibus, publiciſq; cõcionibus propagare ſatagũt; ſed vi,minis,iniurijs,perſecutionibus;aut his ſi nequeãt,pollicitationibus,largitionibus,ſæculi blanditijs,honoribus,muneribus, carniſq; allectamẽtis peruertere fideles, & ad ſuam attrahere perfidiam conatur, Si neq; hoc modo efficere,quicquã valeant, ex mandato ſui Prophetæ ſtudent vt ipſis imperẽt.Neq; ſolùm verâ Dei cognitione(vt diximus) carent,ſed ridicula præterea multa,& gerris Siculis vaniora,de corporum Reſurrectione,de extremo Iudicio,de Paradiſo, & Inferno,deque Angelis & Demonijs ſomniant,& nugantur:quorũ aliqua hîc duximus ſubiungenda,vt ex ijs lector agnoſcat,quã craſſis erroribus, vaniſq; ſõnijs cæca hæc gens irretita ſit. Extremi Iudicij diem in proximo eſſe, Antichriſtum venturũ peſſimũ hominẽ,& à Chriſto occidendũ:priùs tamẽ neſcio quẽ Prophetarũ(qui mortales omnes de peccatis,quodq; Legi Mahometęç nõ paruerint,arguet)exoriturũ credũt. Vbi vero dies Iudicij aderit, Angelum quendã tubâ ſoniturum;eiuſq; terribuli ſonitu Homines pariter & Angelos mortẽ occubituros, vnico excepto tibicine.Mox horrendo terræmotu vniuersã terrã conquaſſandã, dein igne è cœlo lapſo Orbẽ terrarũ conflagrandũ, montes & valles in cineres

 verten-

vertendas, demum Angelum tubicinem etiam moriturum. Angelis hominibusqne exstinctis, totaque Mundi machinâ incendio deletâ, tum futurũ, vt Deus quadraginta dies totidemq; noctes *sui zechaman* hoc est, pluuiam misericordiæ pluat, eaque rursus Angelos omnes & animas Hominum excitandas. Extremo mox ab Angelo edito sono, tum quoque hominum corpora vitæ restituenda, ac cum animis rursum coniungenda. Hisce diuersam tribuunt formam: nam eorum quos gloriæ participes futuros credunt, alios vt Stellas, alios vt Lunam, alios vt Solem splendituros, eosque cæteros omnes illustraturos. Contra verò damnatos colore horridos, in varias item deformesque formas distinguendos: vtrosque tamen in quinquaginta partes iussu Diuino priùs diuidendos, rationem scilicet anteactę vitæ vt reddant omnes: quod si pręcipua corporis membra, cor & caput peccata & crimina, quæ in vita commisere, vltrò confiteri noluerint, cætera tum membra coram omni populo scelera cuncta detectura. Demum Michaëlem Archangelum corpora humâna in staterâ pensitaturum, quorum autem bona opera malis non præponderent, Inferni supplicijs tradendos: reliquos verò perpetuis Paradisi voluptatibus & gaudijs fruituros. Neque vero vnicum voluptatis Paradisum beatis tribuunt, sed septem beatorum sedes, seu Paradisos statuunt: quorum nomina hæc sunt: *Genete Alhord, Alfiducci, Anachim, Reduan, Azelem, Alcoduz & Almega*: quos nec eiusdem esse formæ, nec ex eâdem constare materiâ, sed alium argenteum, alium aureum, tertium gemmeum, quartum smaragdinum, quintum adamantinum, sextum è carbunculis ignitum, septimum ex luce Diuinâ compositum volunt. In his aulas & cubicula gemmis distincta, viridaria varia, miro odore fragantia, fontes item & flumina melle, lacte, & vino præstantissimis, dulcissimisque scatentia constituunt. Eius medium arborem occupare *Tubam* nomine, adeò densam latamque, vt omnem Paradisum obumbret, eius folia ex auro & argento constare, singula habere inscriptum nomen Dei, & Mahometis. Varia ibi fore ornamenta, supellectilem variam, ex argento, auro, & gemmis conflatam; vestes item, lectos, puluinaria è serico & bysso, auro & argento intexta. Has esse perpetuas beatorum sedes, hîc suum cuique à Deo quietis & beatitudinis assignatum locum: hîc beatos omnes vestibus indutos sericis, mollissimis, & coloris omnigeni, sub amplissimæ arboris fælicissimâ vmbrâ æternùm gauisuros. Porrò quicquid ciborum & fructuum desiderari possit, singulis abundè & lautè hîc Angelos imparrituros: eos namque tanquam dapiferos, pincernasque, delicatissimos cibos, vinaque suauissima, & pretiosissima aureis in vasis, argenteisque singulis affatim ministraturos. Complexibus insuper mundarum & speciocissimarum fœminarum, stellarum

rum instar micantium, fruituros. Has non ab hominibus genitas, sed ab æterno ad beatorum vsum creatas fabulantur. Quas autem Alcoranus mundas appellat, illi liberas à menstruis interpretantur, scilicet vt quouis tempore liceat coire. Non tamen inde futuram prolem, sed voluptatis causâ adhibendas volunt. Quin & singulis viris complures illic futuras vxores pro meritorum ratione, Deumque huic plus, illi minus virium largiturum, vt vel paucis, vel multis reddat debitum: atque inde etiam colligunt, nihilque certiùs esse ducunt, longè plures futuras in Paradiso fœminas quam viros. Denique omnes tantas delicias, tantaque carnis delectamenta percepturos credunt, quantæ excogitari à quoquam possint. Harum omnium tamen miseras suas mulierculas nolunt fore participes; sed Paradiso exclusas eminus tantùm virorum gaudia intuituras nugantur. Transgressores verò legis Mahometææ & Prophetæ sui aduersarios, ac cæteres damnatos, priùs tamen grauia passos, huius quoque beatitudinis quandoque partem habituros, celebrato nimirum à Deo in Paradiso *Alcoduz* nomine conuiuio, quod *Hadrate Alcoduz* vocant: tunc enim omnes à pœna Inferni à Deo Mahometis operâ fore liberandos. Hunc siquidē flammâ exustos, atros, ac torridos ad fontem quendam *Alcanzar* nomine in medio Paradisi constitutam (de quo mira & anilia planè narrant somnia) deducturum omnes; in quo postquam se lauerint, iam niue candidiores cum cęteris beatis perpetuis delicijs fruituros. De Angelis absurda planè memorant, & à naturâ Angelicâ prorsus aliena: eos siquidem corporeæ substantiæ, de flammâ ignis generatos, mortales esse, ac peccare posse putant; diuersasque eis tribuunt formas, hominum, equorum, boum, gallorum, aliorumq; volatilium, & quadrupedum: quos etiam pro ijs animalibus, quorum formas referunt, offerre Deo preces existimant. In tertiò Cœlo Angelum inter cæteros statuunt *Melec Almeuti* nomine hoc est Angelum mortis, tantæ vastitatis, vt oculi eius ab inuicem distent itinere septuaginta dierum. Hūc in libro vitæ (quem iugiter voluit atque reuoluit) omnium nascentium nomina, atque eorum vitæ terminum à Deo cuique constitutum, scribere, eademque instante mortis horâ delere: cuius verò nomen deleuerit, statim è viuis excedere nugantur. In quarto Cœlo omnium vastissimum constituunt Angelum, plangentem iugiter condemnatorum peccata, dolentemq; miseram eorum conditionem & statum. In septimo Cœlo Angelum existere inter cęteros narrant, 7000. habentem capita, vnumquodq; verò caput septingentas mille continere linguas, singulis linguis totidem inesse voces, ijsq; absq; vllâ intermissione Deum laudibus efferre, ac Sanctum eius celebrare numen prędicāt. De Inferno, quem septem patere ostijs dicunt, deq; situ eius, & conditione,

tione, de dæmoniis (quos etiam saluandos quandoque ex Origenis opinione credunt) eorumque variis formis, deformitatibus, & pœnis, nec non de condemnatorum statu & tormentis tam mira narrant somnia, tamque ridicula, vt qui ea legerit, risum continere non possit. Quis vnquam mortalium his quæ retulimus audiuit vaniora? quis stulta hęc blateramenta non rideat? & indigna putet quæ sanæ mentis hominibus exponantur? & tamen misera illa & cæca gens nihil verius hisce nugis putat, imò pro ipsâ veritate habet, & amplectitur; atque adeò dæmonum pręstigiis excæcata & fascinata est, vt etiam Alcoranum suum ac Sunam aniles hasce fabulas & somnia continentem, Veritatis codicem appellare non vereatur. Sed de nugis iam satis; ad multifarias nunc eorum lotiones, quas expurgationi peccatorum in primis prodesse existimant, veniamus.

CAPVT IV.

De Turcarum varijs lotionibus, & balneis: deq; balneorum apud eos forma, & vsu.

NIHIL equidem Mahometææ legis cultoribus magis curæ est, quàm vt lustrali aquâ bis térue in die sese abluant. Idcirco Meschitis suis pulcherrimos adiungi fontes curant: quo commodiùs quotidianæ lustrationes siue ablutiones ab omnibus Templum ingressuris peragi queant. Nefas quidem esse ducunt illorum quempiam Templum indi: Hanc externam lotionem cæteris suæ legis præceptis longè anteferunt, neque quouis oblato impedimento prætermittunt: efficacissimũ siquidem remediũ ad animæ inquinamenta emundanda esse cùm putent, Deo maximè placere, eaque in primis se Deo reconciliatum iri sperant confiduntque. Triplex verò lotio apud eos in vsu est. Prima, quoties vel templa adire, vel precibus vacare intendunt, nec enim se posse sine lustratione horarias preces ritè peragere putant. Hæc autem lustratio ita se habet: Brachiis ad cubitum vsque denudatis, manus inprimis lauant: dein dextrum erectum brachium, à manus summitate inchoantes, palmâ sinistræ manus abluunt, aquâ per extremum cubitũ in terram delabente: idem in sinistri brachij ablutione obseruãt. Vtroque abluto, os, nasum, oculos, aures ac faciem denique totam, collum item, verticemq; capitis, mox & pudenda, postremò verò pedes, si nudi fuerint, si verò calceati, extremitatem tantùm, superficiemq; calcei aquâ madefaciunt. Dum verò se lauãt, submissa voce preces obmurmurant, atque inter alia. *Elhemdu lillahi*, id est, gloria vel laus Deo: alij *istag furlak*, hoc est peto veniam, vel Miserere mei, subiungunt. Lotione peractâ, linteolo (quod ad zonam appensum habent) sese abstergunt. Quod si in deserto fuerint, aut loco vbi aqua desit, terrâ aut pul-

uere

uere corpus adspergunt. Hoc tum eandẽ obtinere vim autumant, quã habet lotio. Hac ad leuiora vitia emundanda; ad grauiora verò, puta homicidium, furtum, stuprum, adulterium, aliáve his similia, lotione totius corporis opus esse stolidè arbitrantur. Hinc tot vbiq; per vrbes atque oppida videre est balnea publica, quæ dies noctesque cùm viris tum fœminis patent. Ne verò hîc indecora, libidinosa, aut turpia fiant, viri cum fœminis promiscuas lotiones haudquaquã peragunt, sed quâ horâ fœminas intromissas norũt, ad ea accedere viros nefas esse ducũt. Sunt autem balnea hæc pleraque lapidea, nonnulla etiam marmorea, vel intus forisq; marmore obducta; ampla quidem, atque in plurima distincta concamerata cubicula, eleganti sanè opere, ac magnificentiâ inter amplissima Turcarum edificia publica priuataq; plurimùm eminentia. Ingredientibus primo loco se offert spatiosum patensque quadratâ formâ apodyterium, cuius pauimentum parietesque versicolore vestiti marmore plurimùm relucent. In pauimenti medio marmoreũ labrum quadrangulare amplum fontem excipit. Circumquaque parietibus murus adiectus, marmore pariter versicolore constratus, latus pedes quinque, à terrâ pedes tres, aut quatuor eminet. Hunc loturi adscendunt, & vestes complicatas in eo collocant, seruãturq; à balneariis, quoad loti eas repetant. Super labrum è fornice pendent perticæ quaternæ oblongæ; quarum imæ transuersis infixæ perticis, triplici ordine, vno alteri eminentiori quadrangulũ constituũt In has balneatores sudaria, aliaq; linteola, vt plurimùm ad balnei vsum spectantia, exsiccãda, mirâ quâdã dexteritate cannâ Indicâ injiciunt, extenduntq;. Vestibus eo loci depositis, duo cuiq; loturo porriguntur sudaria, alterum quo corpus pudendaque tegat, alterum quo caput cingat: atque ita ad penitiora pergunt loca. Progredientibus primùm sese offerunt sudatoria, quorum extremũ maius & calidius cæteris patenti labro marmoreo & calidas continente aquas ornatum est Omnes verò cellæ fornicatæ, cubisq; tectæ sunt. Quarũ suprema cubæ pars specularibus versicoloribus miro ordine compositis ornata, intus lucem reddit, additq; operi elegantiã & splendorẽ. His contigua hærent alia duo triáve cubicula; quæ nobilioribus tantùm patent, non item cæteris. Vltimò se offert spatiosa quædam & ampla cella, in quâ vas ingens marmoreum videre est, aquas recipiens calidas, frigidasque: quod post sudationem quisq; ingredi, aquas pro suo tẽperare arbitrio, lauare corpus, aut lauandũ dare balneatoribus, prout libet, potest. Cubicula hæc omnia vnico igne è fimo camelorũ vel caprarũ supposito calefiũt. Sunt autẽ balneatorũ seruitia sic satis studiosa; habentq;, mirabilem modũ rectificandi mẽbra balneãtiũ. Vtũtur adhæc ad pilos toto corpore depellẽdos vllâ absq; læsione, vnctione quadã, quã *Rusma* indigitant, è minerali & calce

viuâ aquæ commixta compoſita. Lotis atque ad apodyterium reuerſis duo munda ſudaria exhibentur, quibus lotorum corpora balneatores deſiccant. His ita peractis, ac balnei præfecto ſolutâ mercede, quæ ſanè perexigua eſt, loti lætique diſcedunt. Neque ſolum viri, ſed & fœminæ ad balnea hæc admittuntur: ſeparatas tamen à viris lotiones habent; ſudaria, cæteraque ad balnei vſum neceſſaria vt plurimùm ſecum deferũt: humiliores ſe mutuo, honeſtiores ancillæ vel ſeruæ (quas ſecum adducunt) lauant. Ad balneorum oſtia, vbi fœminæ adſunt, linteum ſuſpenditur, ſignum viris adeſſe mulieres, ne ſe temerè aut ignoranter ad eas ingerant. Chriſtiani nulli, vt nec Hebræi, ab ingreſſu balneorum arcentur, aſt liber cuique patet aditus: excipiunturque perhumaniter omnes, modò ab ingreſſu abſtineant, cũ fœminæ intùs lauant. Cauere autem ſummoperè debent Occidentis Chriſtiani ne quiſpiam eorum balneum accedat, ingrediaturve ſolus: id enim ſi faxit, verendum maximè ne Turcarum, Maurorumve delationibus ſe reddat obnoxium, ac pœnam temeritatis vel immeritus luat. Chriſtianum itaq; linguæ Turcicæ vel Arabicæ peritum, ne decipiatur à barbaris, adhibere ſibi comitem ne negligat, ſi ſaluti, ſi crumenæ conſultum velit. Et hæc de ſecunda lotione dicta ſint. Tertiam neceſſariam putant, cùm vel aluum vel veſicam exonerauerint: graui enim naturæ onere depoſito, tam viri quàm fœminæ, non chartâ, linteóve detergunt anum (id enim religioni habent, putantque ſic Deum offendi poſſe, quòd eius nomen plerumque in chartâ ſcribatur) ſed aquâ frigidâ ſibi abluunt ipſi, primatibus mancipia. Latrinæ à noſtris diſſimiles cloacæ ſunt, ſub dio poſitæ, & ab ædibus remotæ, profundæ, & latæ ſeſquipedem: quibus incuruato corpore inſident. Refertæ expurgantur, & per contiguos ſubterraneos meatus ſordes emittuntur. Dum verò lotium reddunt, viri (vt ſunt ſuperſtitionibus addictiſſimi) ſubligacula diſſoluunt, & veſtes poſt terga rejiciunt, ne ſi vrinâ adſpergantur, in legem peccent. In Sunâ ſiquidem præceptum eſt, vt vbi quis minxerit, ſiniſtræ manus digitis exprimat, ſi quid fortè circa præputium ſit reliquum: atque etiam in eum vſum pannum plerumque ſecum deferunt, abſtergendi cauſa: qui ſi defuerit, lapillum aliqui è proximo tollunt, quo ſummitatem virgæ perſtringunt, ne vel guttula veſtes coinquinet. Hinc quoque non recti, ſed incurui, & ad terram vſque inclinati fœminarum more coniunctis cruribus lotium emittunt. Si adſit fons, ſtatim membrum genitale abluunt; alioquin aquâ, quam vel ſecum deferunt, aut deferẽdam curant, ſe luſtrant: imò (quod magis mireris) ſi vel pepederint tantùm, luſtratione opus eſſe exiſtimant.

CAPVT

CAPVT V.

Templa Mahometaorum: precandi ritus & ceremoniæ: conciones & superstitiones.

LOTI (vt diximus) Templa accedunt, neque enim aliter se fore gratos Deo, & exaudiri suas Preces existimant. Templa Messitæ, siue Moscheæ vulgò Meschit appellantur: quod tamen propriè denotat lignea Templa, qualia exstruebant nondũ Imperij opibus auctis. Lapidea vero proprie *Zuna* dicuntur, Hæc sphericam pleraq; formam referunt, exceptis quæ primum ritui Christiano consecrata, in suas Messitas commutârunt. Sunt autem elegantis & magnifici operis ædificia, è lapide albido, seu viuo saxo, æquali ferè mensurâ conciso: testudine superimpositâ, ac plumbeis laminis tecta, pulcherrimo foris intuentibus spectaculo. Intus quidem tota dealbata, nullus tamen pręterea ornatus, nullę imagines, nulla altaria, sed nudi tantùm parietes conspiciuntur. Quæ verò pars ad Meridiem vergit, ac portam plerumque è regione habet, concauitatem quandam in medio continet, cubitali formâ semirotundam, parieti interiori incisam, lapide marmoreo ornatam, statuarum loculis non absimilem. Locus is Dei nominis inscriptione insignitus, sacratior cæteris habetur, & Christianorum Aræ Maximæ respondet: ad quem accedere (dum publicæ in templo fiunt preces) cuiuis non licet, sed soli Seripho, qui Mahometæis loco sacerdotis est, & tum lychno pensili illustratur. Sunt præterea lampades plurimæ è fornice dependentes, quas tempore Precum accendere, iisque finitis exstinguere solent. Storeis è cannis pauimentum insternũt. His plebeij suo more insident, ditiores tapetibus vtuntur; quos mancipia ipsis substernunt, Ad hæc templa nemini Christianorum patet aditus: prophanari siquidem Mahometæi putant, si Christianus aliquis ea introeat: quare summoperè cauere debet Christianus ne temerè ea ingrediatur: id enim si faxit, vel fidem Christi abneget, & Mahometęis sacris initietur, vel vltimum suppliciũ sustineat, necesse est. Quemadmodum autem diligenter cauent ne Christianus quispiam eorum Mosqueas ingrediatur, intersit ceremoniis, libros eorum sacros legat, inspiciatve; ita multò studiosius obseruant, vt nemo nuper è Christiano factus Mahometæus ad ministerium ecclesiasticum assumatur. Ad sacra siquidem administtanda apud illos portentum habetur, si quispiã adspiret, qui non Mahometano patre natus, à primâ ætate constans & assiduus fuerit Mahometanæ legis cultor. Etsi verò sępenumerò plurimi ad illos confugiant abiectis cucullis, & religione Catholicâ abnegatâ

gatâ religiosi, tam Græci, quàm Latini ritus, neminem tamen reperias, qui ad honorem Ecclesiastici ministerij vel adspirauerit, vel admissus vnquam fuerit. Tanta enim illorum animos sacrarum rerum reuerentia occupauit, vt cæteris neglectis, solos illos ad sacra administranda dignos putent, qui ab incunabulis Mahometææ religioni fuerint addicti. Præaltæ Messitis adiunctæ sunt turres, quas *Madenas* appellant, figuræ quasi sphericæ, aut cylindricæ, seu teretes, eâ formâ, vt in superiori parte propemodùm vbi occipiunt diminui, & tandem in acuminatum fastigium desinunt, in proiecturâ lapideâ quaqua versum obambulari possit. Has statis horis interdiù noctuque conscendunt Hoggij, & circumeũtes proiecturã, seu porticum, acutissimâ voce clamorẽ tollunt, digitis in alteram aurium insertis: eoq; clamore populũ ad Orationem conuocant, & ad inuocandũ Numen exhortantur. Vox ipsa longiùs quam credi possit à quoquam, qui ea loca non adierit, personat, atque exauditur. A meridionali autem turris latere clamorem exordiuntur, dein ad Orientem vergentes, continuato gradu circumeunt, atque interim *La Illah Illa Allah*, itemque *Allah haibir*, (quod nobis est Deus viuus est vnus,) altâ, rudi, ac fractâ voce roboant, repetuntque pluries. Addunt quandoque & Hymnos, & Cantica in laudẽ Mahometis. Eo vero ordine atque obseruatione clamores hosce instituunt, vt nisi priùs supremæ Messitæ Hoggius inceperit, cæteri abstineant; eo verò inchoante, subsequantur & reliqui; ac demum finem imponente eodem, sileant omnes. Clamor hic nostris respondet campanis, quarum nullus apud Turcas est vsus: nam præter Preces faciendas, etiam horas dierum populo denotat, cùm horologia nulla habeãt: si quæ tamen ad eos perueniunt, planè admiranda, & proceribus longè gratissima sunt, eorumque vsui priuatim seruiunt. Hoggij verò siue Choggij clepsydris vtuntur, ad distinguendum tam diurna quàm nocturna temporum spatia; quibus publicas Preces accõmodant. Quinquies autem interdiu noctuque ad horarias has preces populum excitant: quibus hæc indita sunt nomina. *Ascher, Adorh, Assera, Magreb* & *Alescher*. Primam secundâ antelucanâ horâ obseruant; quæ continet quatuor *Erket*, & duo *Chalamat*; Erket autem est gemina inclinatio, cũ totidem prostrationibus. Chalamat est secreta oratio, quæ cum certis ceremoniis perficitur post quamlibet prostrationem: secundam circa meridiem faciunt, quæ continet, decem prostrationes, & quinque orationes secretas: tertiam postmeridianâ: quæ continet octo prostrationes, & quatuor orationes secretas: quartam sole occidente, quæ habet quinque prostrationes, & tres orationes secretas: quintam & postremam circa mediam noctem: quæ cæteris prolixior est, habens quindecim prostrationes, & octo orationes secretas; ideoque à Santonibus in-

stituta

stituta dicitur,vt populum augendum indicet, quo crescente, Fides quoque eorum crescat & multiplicetur. Has quidem preces quisque Mahometęorum cum Parochiano vel Hoggio suo in Ecclesiâ propriâ frequentare tenetur,nisi legitimè impediatur: tunc enim omni loco hoc licitè facere potest.Singulis diebus Iouis Talismãni, Choggiique, turriũ proiecta seu porticus circa vesperum conscendunt, lampadibusque accensis illustrant: quas,dum per se extinguantur, relinquunt. Interea illi variis Hymnis Mahometis sui laudes celebrant, Deoque altâ voce gratiam qualemcũque referunt. Die Veneris,qui illis hedomadatim,vt nobis Dominicus,sacer est, omnes certis horis ad Templa conuolant,& orationibus vacant,atque attentius orant: non tamẽ à laboribus,negotiisve eo die abstinent: sed officinas tantùm, dum Preces fiunt occludunt;finitis aperiunt, & ad sua singuli negotia redeunt, fæliciores se sequenti hebdomadâ futuros arbitrantes, si eo die merces solito plures diuendant,& lucrentur. In septem autem dies(vti & nos) tempora distribuunt,hebdomadasque constituunt, primum *Zumaghiuni*,id est,diem Templi vocant,nos diem Veneris: secundum *Zuma Ertesi*, id est,post Festum,nos Sabbatum: tertium *Bazarghiuni*, id est,diem Mercatus hebdomadarij,nos diem Dominicum: quartum *Bazar Ertesi*, id est, post Mercatum,nos diem Lunæ: quintum *Salli*, nos diem Martis: sextum *Dsarscamba*, id est, quartam Feriam,nos diem Mercurij; septimum *Peschembè*, id est, Feriam quintam, qui nobis dies Iouis est, indigitant. Precum publicarum tempus vbi adpetiit,suo quisque relicto negotio, atque opere,ad Templum accurrit ocyus.Illori in fonte Templo proximo diligenter se lauant, ante ianuam Templi calceos exuunt, & discalceati templum ingrediuntur, tacitè ad suum quisque pergit locum,nec respicit vsquam.Nullæ intus deambulationes,confabulationes,risus ioci,strepitus(vt in nostris prohdolor fit Ecclesiis) nullæ item tusses,nec sternutationes, imò ne sputantẽ quidem vllum audias:quieta,sedata, composita hic omnia. Viri inter precandum pileos vel Thulipanta sua non deponũt, sed summis digitis attingunt:quasi eleuaturi. Tum singuli in Seriphum vel Hoggium oculos figunt,eiusque motus & corporis gestus diligenter obseruant, & imitantur;in terram procumbunt,& versus Meridiem se statuentes Precibus incumbunt:hoc seruato ordine: Seriphus,vel Hoggius, aut alius,qui vel ætate vel dignitate aliquâ eminet,primò genua flectit: post eum reliqui,in Tẽplo pręsentes: porrò primus ille vbi singulos genua flexisse putat,tum se prosternit:post eum & reliqui,prout ordine consident,prostrati aliquamdiu cum gemitibus & profundissimis suspiriis orant.Tum primo illo erecto,erigunt se cæteri. Atque ad hunc modum pluries faciunt,prout tempus orationis postulat.Nam pro temporis ratione

tione (vti suprà recensuimus) vel minores, vel plures genu flexiones, prostrationes, & secretas orationes publicis huiusmodi Precibus adhibent. Tandem finitis precibus, quasi impetrauerint quod petierunt, læti consurgunt. Seriphum interdum Orationem cum cantu inchantem singuli cantantes subsequuntur, vnisonoque cantu, modo stantes, modo se inclinantes, ac rursus poplitibus deflexis terram deosculãtes, vel fronte eam tangentes, Deum suo more inuocant & adorãt. Est autem orationis, quam sepissimè iterant, hæc communis forma: *In nomine misericordis Dei. Sit laus Deo in æternum, Regi sæculorum supremo, propitiatori & pio Regi Iudicij. Seruiamus igitur illi, quia adiuuabimur. Dirige nos in viam ô Deus, & insemitam eorum in quibus tibi complacuisti, & quibus non irasceris; & nequaquam errabimus.* Hanc *Elfata* vocant, estq; illis tam vsitata, quàm nobis Oratio Dominica. Habent præterea & alterã quotidianam: quo recenso priùs omnium hominum statu, Mussulmannorum salutem, Imperij fælicitatem, sectæ Mahometææ augmẽtum, hostium & præsertim Christianorum discordiam, atque excidium à Deo precantur. Precatione finitâ Laudes, Cantica, & Hymnos suo more ac modulo è suggestu concinunt. Postremò Canticum *La Illah Illa allah* elatâ voce quotquot adsunt personant. Dumque his clamoribus sunt intenti, alij corpus, caputq; continuo agitatu ita quassant, volutãtque, vt viribus & animo nonnunquam deficiant: alij collum caputq; in vtrumq; humerum in tantum flectunt, mouentq;, vt lassi tãdem in terram concidãt: quem quidem precandi ritum Deo in primis gratissimũ esse sibi persuadent. Nam non solùm corde & spiritu, sed & toto corpore, totisque viribus diuinum numen laudandum, & colendum autumant. Nonnulli tantâ festinatione (quâ inter se certant) & clamore *La Illah, Illa Allah*, repetunt, vt verba illa proferre ampliùs nequeuntes, vociferationem verbo *Hou* terminent; quod quoties proferũt (Dei enim nomen denotat) corpus inclinant, & manus ad terrã demittunt, rursumq; se eleuant, ac frontem tangunt: atque hunc clamorẽ in tantum protrahunt, vt nimio quandoque clamore fessi, spumam alij ex ore emittant, alij ob vim sibi clamoribus illatam facie nigrescãt, & velut semimortui in terram labantur. His corporis afflictionibus Deum maximè placari putant: imò quo maiorem sibi quis vim inferat, eo se gratiorem Deo fore arbitratur. Id quoque sibi persuasum habent, negligenter orantium defectus & errores repetitione hac plurimâ corrigi & suppleri. Fœminæ plerumque Precum tempore ad Templa non admittuntur, nobilioribus exceptis, quæ & ipsæ raro accedunt, habentq; locum à conspectu virorum separatum. Eas verò adeò negligunt & vilipendunt, vt nedum Templo, sed & Paradiso (vt suprà diximus) excludant: vnâ namq; cum Christianis ante fores Cœli seu Paradisi eminus

nus Beatorum gloriam eas solùm inspecturas nugantur. Præter publicam Seriphorum Precationem, Conciones publicas, aut nullas, aut raras ad populum habent. Cum nouus Bassa aut Saniaccus inito Magistratu primò solemniter Templum adit, post publicas peractas Preces, populo concionaturus aliquis Seriphorum suggestum conscendit, & Concionem stricto ad terrorem acinace auspicatur; auditotes admonet, vt Mahometææ Legis memores illius mandata exequantur, sese eius defensores alacres exhibeant, armisque Fidem tueantur, & propagent. Huiusmodi & diebus Veneris, cum *Ramadam* (quod annuum illis est Ieiunium) celebrant, populo proponunt.

CAPVT VI.

Ramadan siue Ieiunium menstruum, quotannis apud Turcas aliosq; Mahometaos celebrari solitum. Festa annua, & superstitiosæ Turcarum obseruationes circa Lunæ incrementum & decrementum.

RAMADAM, vel Ramadan, seu Ramasan, Turcarum Ieiunium, nostro fere Ieiunio Quadragesimali respondens, singulis annis per integrum mensem, sed non eundem, obseruant; qui viginti nouem aut triginta diebus constat: sunt enim Turcarũ menses lunares omnes; Quo tempore à crepusculo ad solis vsque occasum, donec sidera conspiciantur, vel certa nox aduenerit, nihil cibi potúsve gustant. Si autem Ieiunium hoc anno mense Decembri incidat, anno sequenti mense Nouembri id celebrabunt: sic sequenti serie pergunt. Annum siquidem ex maiorum traditione constare diebus 354. docent, quot nempe dies constituunt menstrua spatia duodecim: vnde menses illis sunt errones, & incertis sedibus vagantes: quos tamen sua ratione constituunt & reuocãt ad Solis & Lunæ statos circuitus, anno interim Lunari vtẽtes suo postea modo accommodant ad solis conuersionem. Anni principium referũt ad mensem *Silhidse* nomine, secundus mensis illis est *Mucharem*, tertius *Sepher*, quartus *Rebuil euel*, quintus *Rebuil acher*, sextus *Dsciumasiel*, Septimus *Dsiumasiel acher*, octauus *Rezeb*, nonus *Scaban* decimus *Ramadan*, vndecimus *Schevval*, duodecimus *Silcade* Hoc autẽ Ieiunij tempore flagrantiùs omnes precibus incũbunt, & prolixiùs orãt: eleemosynas etiã largius erogant: orationem namq; & eleemosynã alas esse Ieiunij, nec sine his gratum esse Deo ieiunium arbitrantur. Si qui tamen tenuioris fortunæ homines non habeãt vnde aliis eleẽmosynas largiri queant, hos satisfacere, ac Deum placare, suæque saluti consulere putant, si tempus, quod habent ab occupationibus vacuũ, in viis publicis sternendis consumant, vel lignum, lapides, arenam, ad explendos hiatus hominibus vel equis periculosos comportent, vel fontibus effodiendis,

diendis, vel fontanis aquis, ad cisternas, vel cellulas viis publicis vicinas, deferendis dent operam; qui autem negligentiùs hac in re se gesserit, vel quadragesimam integram non ieiunauerit, paradiso nunquã potiturum, quin potiùs diabolum, quem *Seitam* vocant, rectà eum delaturum ad inferos sibi certò persuasum habent. Ne verò fraus aliqua fiat vel Ieiunio, vel Orationi, sed in officio contineantur omnes; Censores publici constituti sunt, qui in transgressores animaduertunt, honestiores pecuniariâ pœnâ multantes, humiliores corporis pœnâ affligẽtes. Licèt autem interdiu à cibis abstineant, nocte tamen quibuslibet liberaliter vescuntur, & indulgent genio: imò integras quandoque noctes crapulis consumunt, tabernis vbique patentibus. Ingens ibi hominum concursus, strepitus, susurri, clamores infiniti. Hi cantilenas concinunt, illi tympana cytharásve pulsant, alij venustis pueris adhibitis turpibus, impudicibusque confabulationibus, & contactibus tempus terunt, suaque Zerbeta largiter potant; quicquid enim plerique laboribus lucrati sunt, hoc totum ferè tum dissipant, dilapidant, & disperdũt turpiter; ita vt non ieiunium ad purgandam animam, & placandum Deum, sed veriùs artificium quoddam ad saturandum corpus, & explẽdam libidinem, imò potiùs ad sacrificandum Baccho & Veneri dicendum sit. Vltimo Ieiunij hebdomadario festo circa meridiem prolixa à Santono fit Precatio; mox etiam à cæteris, legiturq; demum ex Alcorano caput, cui titulus est *Almeide*, hoc est Cœnæ. Interim sibi mutuo manus faciemque exosculantur, fælix, faustumque Pascha precantur, dicentes *Baaram*, hoc est veniat vel sit tibi bonum Pascha. Si quis alterum offenderit, veniam ab offenso postulat; ac mutuas iniurias ignoscunt: id enim si negligant, Pascha Deo haud gratum fore arbitrantur. Finito Ieiunio, suum *Vlubaraam* siue Magnum Festum, instar Paschatis nostri, per triduum celebrant. Primò die (vti suprà retulimus) ab omni opere vacant, cæteris non item. Iis verò diebus ex antiquâ consuetudine paterfamilias etiam pauperrimus veruecem mactat, epulatur, indulgetque genio cum domesticis. Hunc sacrificij loco mactatum prodesse animarum saluti putant, imò eos ipsos vervueces omnes etiam Paradisi gloriæ participes quandoque futuros, ac pro dominis suis, qui eos in sacrificium obtulerint, in extremi Iudicij die precaturos Deum, stolidè existimant. Sexagesimo à Baraam die alterum obseruant festum quod *Chutsibaaram* id est, Minus, vel Paruum Festum, vel *Chairbaaram*, hoc est Religiosorum Festum, nuncupant. Eo namque tempore plurimi vel voti rei, vel religionis ergo Mecham ad Mahometis sepulchrum peregrinantur, veniam peccatorum suorum illic impetraturi: atque hi soli festum illud per triduum obseruant, cæteri nequaquam, cùm ad eius obseruationem minimè teneantur. Omnes interim manuum laboribus incum-

incumbunt, tabernas officinasq; suas aperiunt, & negotiationes exercent. Genizari verò ludicra populo exhibent, sub porticibus quippe Chanorum siue Carauansaraiorum pueros amictos splendidè funibus insidentes, & in aëre libratos subuectant, libaque *Cachas* appellata ad summos fornices appendunt, auferenti præmium constituunt: à transeuntibus interim Christianis munus exposcunt, vel ab inuitis exigũt. Liba hæc annulari formâ ex farinâ frumentaceâ mixtâ ouis, Croco illitâ, Sesami aut Coriandri semine superstrato constant. Cæterùm multiplices apud omnes superstitiones deprehendas. Somniis autem in primis multum tribuunt. Crescentem & decrescentem Lunam obseruãt: Crescentem salutant, & adorant: Turcæ præsertim, qui in incremento fęlicissimum quoddam omen ponunt; eamque pro signo militari habent, veluti fatali quadam lege suo Imperio propitiam. Hinc crescente Lunâ omnia sua negotia (quæ quidem alicuius sunt momenti) auspicantur, existimantes maximarum esse virium in adiuuandis conatuum suorum successibus: decrescentem verò infortunia & tristia omnia portendere. Vnde cùm in itinere sunt subsistunt; nec nisi noua apparente Lunâ progrediuntur: & ita cursu eius & decursu se suaque regũt omnia. Atque de Mahomethæorum sacris, Ritibus, Ceremoniis, Templis, superstitionibus hactenus satis. Restat vt de eorum Ecclesiasticis viris aliquid dicamus.

CAPVT VII.

De variis Mahometææ Legis Ecclesiasticis viris; eorum muneribus, conditione, & vitæ genere.

HABENT quoque suos Ecclesiasticæ dignitatis viros diuersis muneribus & ordinibus distinctos. Alij enim ius dicunt, alij legem interpretantur, alij delubris præsunt, seruiuntq; ac sacra exercent, alij mendicantes, paupertatem, quasi abdicato Mundo, profitentur. Auctoritate autem & dignitate plurimùm inter se differunt, atque alter altero dignior habetur. Supremum dignitatis gradum obtinet Muphtis, vel Mophtis, aut Mophti. Is enim reliquorum est Princeps, & veluti Catholicorum Summus Pontifex, sacrorum Rex, ac summus Iuris Mahometæi Iudex: qui vt in alios sui ordinis summam potestatem habet, sic Ecclesiastica solus gubernat: quibus nec Imperator ipse, nec Supremi Vizires, nec Bassæ cæteri se immiscent. Huius præcipuum munus est vt perpetuò obseruet ne quicquam in consilio Principis contra Mahometis legem, aut in Mahomethææ religionis præiudicium à Supremis illis Viziribus statuatur: qui licèt omnes vel singuli pro Imperatoris

arbitratu ad tempus mutari, vel excludi à consilio possunt, Muphtis tamen nunquam excluditur, nunquam ab ingressu arcetur; eâ ratione, quod semper inuigilare debeat, tanquam supremus superintendens, & Mahometææ Legis Pontifex Maximus, vt ea perpetuò sarta tecta custodiatur: quam alioqui politici homines ex industriâ nunquam, ex negligentiâ tamen aliquando fortasse perfringerent, dum ad humana & ciuilia commoda nimis acriter mentis oculos intendunt; nisi assistens istiusmodi grauissimus Pontifex eos errantes in viam reuocaret, & doctrinæ Mahometis subinde commonefaceret. Hanc ob caussam prædictis Veziribus (qui numero quatuor intimi & supremi Imperatoris Consiliarij sunt) quasi quintus extraordinarius perpetuò adiungitur: eiusque tanta est auctoritas, vt quamuis siue in Castris, siue in Curiâ, Lex à Principe, supremâ sententiâ omnes comprehendente subditos, feratur, nunquam deinceps reuocanda; eadem tamen statim irrita sit, & nulla, si ab hoc Pontifice pronuncietur Alcorano, & Legibus Mahometis contraria. In aliis autem quæstionibus de lege Mahometæâ, & difficillimis, & maximè obscuris solus exemplo Pontificis summi, & Veteris, & nouæ Legis, seu Hebraicæ, & Christianę, controuersias omnes determinat, supremum iis finem imponens, omni prorsus sublatâ & appellatione, & cauillatione. Huic vni propter summam in rebus Ecclesiasticis dignitatem, & quod Mahometis personam in hoc religionis officio gerat, Imperator ipse eum honorem exhibet, quem nulli mortalium defert, vt quotiescunque eum accedat hic Pontifex, Princeps è solio suo exsurgat, admotaque pectori manu, & demisso in terram capite, eum veneretur. Præterea hic Pontifex in omnes Legis Mahomethææ transgressores pœnas statuit, edicta promulgat, ceterisque Magistratibus exequenda mandat. Muphti succedunt Cadilescheri, id est, Iudices supremi, aliàs Cadiascheri, id est, Iudices exercitus, numero tres, prouectę ætatis homines, & Legis Mahometææ peritissimi; qui ne Muphtis causarum multitudine distrahatur, eoque faciliùs in hoc suo munere labatur, ei coadiutores & assessores sunt dati, & ex suo munere peramplos annuatim percipiunt redditus: quorum primus ministrorum omnium in Romaniâ vel Europâ, alter eorum, qui in Natoliâ, vel Asiâ Minori, tertius eorum, qui sub Sultanico Imperio sunt, generalis est speculator, & supremus superintendens. Hunc Selymus secundus eius nominis Imperator post deuictos Mameluchos prioribus adiunxit: qui licèt ordine postremus sit, dignitate tamen & auctoritate præstat cæteris, par Caliphæ Babylonio. Vnà omnes tanquam præcipui & primarij Mahometææ Legis interpretes, & Doctores eximij, Catholicorum Patriarchis respondent, & in Cadios, Seriphos, Santones, Choggios, Talismannos, Deruisiosque

ſioſque imperium (vt diximus) habent, eoſque quoad Eccleſiaſtica monent, dirigunt, corrigunt, & omnino quæ ſunt in ſacris agenda præſcribunt. Vt hinc facilè quis videat etiam apud Turcas præcipuam haberi religionis curam, politicasque rationes ſic moderari, vt nequaquam religioni aduerſentur, ſed cum Alcorani Legibus conſpirent, Eccleſiaſticorumque examini ſubiaceant. Cadileſqueri præterea Cadiorum officia ſeu munia ſuo arbitratu conferunt: ſed ab ipſis conſtituti ab Imperatore mox confirmantur. In hos item, ſi munus ſuum negligenter aut indebitè adminiſtrent, vel alicuius criminis rei inueniantur, ſeuerè admodùm inquirunt, & animaduertunt acriter, eandemque auctoritatem ferè in omnes magiſtratus exercent, quam apud Venetos Syndici. Hos Cadij adeò extimeſcunt, vt quando prouincias inquiſitionis ergo peragrare eos ſciant, ſi ſceleris alicuius conſcij ſibi fuerint, ac placare poſſe muneribus hominum ſeueritatem deſperent, eorum aduentum non exſpectent; ſed publicum dedecus & ignominiam veriti, fuga ſaluti ſuæ conſulant, & in aliis prouinciis ſeſe abdant. Nam quos culpæ reos inueniunt, non ſolum exauctorant, ſed & flagris (ac ſi vilis eſſent conditionis homines) acerbè admodùm cædi iubent. Si crimen eſt enormius, vel gladio, aut laqueo eos neci dant, vel ignibus comburendos tradunt. Muneribus tamen (auri cupiditate pellecti) corrumpi ſe ſepenumerò ſinunt. Cadileſqueros ſequuntur Cadij, poteſtate Epiſcopis noſtris aſſimilandi. Iudices hi ſunt ordinarij, qui de diuortiis, cæteriſque ciuilibus cauſis in aliquâ vrbe vel oppido cognoſcunt, in eos qui blaſphemi ſunt, qui vinum bibunt, qui Templum Precationis tempore non frequentant, nec Quadrageſimam obſeruant, vel ſimile quippiam contra conſuetum religionis vſum committunt, atque in legem peccant, animaduertunt. Nobilioribus vel ditioribus mulctam pecuniariam imponunt, humiliores flagris affici iubent: ſi tamen hos etiam aliquid in bonis habere ſubodorent, quo corpus redimant, pecuniâ mulctandos cenſent. Chriſtianos quoque & Iudæos, ſi quid criminis commiſerint, puniunt acerrimè, etiam capitali pœnâ, ſi cum Mahometanâ quapiam rem habuerint, vel Mahometeæ Legi maledixerint, vel cum Mahometæo contra Prophetæ ſui Legem diſputauerint, eúmve Chriſtianam fidem docere præſumpſerint, vel Muſſulmannum deteſtati fuerint. Maximũ ſiquidem ſcelus exiſtimant ſi quis Chriſtianorum Muſſulmanno maledicat. Muſſulmannos autem vel Muſlimonos ſe vocari volũt Mahometæi, audentq; maximè ſalutari ſe hoc nomine, cũ id rectè credẽtes & orthodoxos ſonet, alienigenæ nãq; legis cultores omnes cũ infideles reputẽt, ſe ſolos tali nomine dignos arbitrãtur

Cæterùm

Ceterùm in controuersiis cuilibus diiudicandis, Veteris Testamenti leges, vt plurimùm sequuntur. In exercendis verò litibus quæ fermè incidunt ob matrimonia & diuortia, quisque suam agit causam, sibi quisq; defensor, non alius: nullus ibi aduocatus, nullus procurator, nullus sollicitator: verùm vtraque pars iudicem adit. Is momento temporis rem transigit, litemq; decidit. Si quis probare quid habeat, scripto, vel testibus, vel iuramento probat, iuratque hic super Euangelium, ille super Talmud, alter super Alcoranum. Nullæ præterea dilationes, nulla iuris subterfugia, sed summaria omnia iudicia. Nec enim sciunt quid sit sententia interlocutoria, quid Appellatio, quid Reuisio. Vbique est sententia definitiua: & fermè lis sopita est, antequam contestata. Succedunt Cadiis Santoni, vel Hoggij & Talismanni: illi Presbyteris, hi Diaconis Catholicorum assimilandi. Templis namque inseruiunt, sacra peragũt, ad Preces horarias populum conuocant, Precibus vacant, concionantur, sed rariùs, Hymnos, Cantica, Psalmosque sacros in Messitis concinunt; Scribarum præterea seu Notariorum munere funguntur. Nulla tamen illis circa curam animarum occupatio, neque vllis in scripturis sacris, aut etiam in humaniore literaturâ eruditiores vt euadant, curant quicquam: sed satis sibi esse putant si Alcoranum legere, & secundum literam interpretari queant; quoniam non vulgari, sed veteri Arabicâ linguâ à Mahomete est traditus; & nefas existimant, si vulgari linguâ interpretatus describeretur. Eliguntur Sacerdotes à populo, stipendiũ autem accipiunt è publico. Vxori, liberis, & familiæ dant operam: quod si stipendium non sufficiat propter multitudinem fortè liberorum, agriculturam exercent, iumenta curant, mercantur, vsuram capiunt, vel mechanicis artibus insudant, quibus victum sibi suisque procurant. Ex his nonnulli Mauris Seriphi Nobiles, Turcis Emiri, vel Seithi dicũtur, & viridibus Thulipãtis à cęteris distincti, in summâ apud omnes veneratione habentur, eo pręsertim intuitu quod à Mahometis stirpe progeniti, vel ab Ali Prophetâ originem ducere communi opinione dicãtur. Præter hos, & eos, qui Mahometis sepulchrum visitârunt, Thulipãto vel vestitu vllo viridi vti licet nemini: piaculũ quippe ingens putant viride quempiam adhibere capiti tegumentum, aut viridi indui veste, qui genus suum ad Mahometem vel Alim non referat, vel Mahometis sepulchrum non adierit. Hinc etiam Christianis & Hebræis, calceis, manicis, tibialibus, aliisve interioribus vestibus viridibus indui, lege vetitũ est, pœna cõstitutâ in eos qui contrà faciunt. Adhæc sacerdotes omnes, cuiuscunque sint ordinis, propter officium, & quod cœlestia & Diuina tractent, à seruitute liberi sunt, & ab omnibus exactionibus, tributis, & aliis oneribus immunes, nec pendent teruncium, cùm tamen reliqui omnes Imperatoris subditi, cuiuscunq; demum conditionis sint,

vectigalia

vectigalia fisco soluant, ac cæteris exactionibus & oneribus sint obnoxij. Neque solum Seriphi in maximo apud omnes sunt pretio, sed & cæteri Ecclesiastici plurimum à reliquo populo honorantur: putant enim Mahometæi ad legis & religionis suæ honorem & laudem vel maximè pertinere, si Sacerdotes honore afficiantur, quem quidem honorem & legis prouidentia, & Imperatoris voluntas, ac populi pietas Sacerdotibus tribuendum duxit, & longo vsu confirmauit, nec immeritò: Nam sacerdotum splendor & existimatio sine dubio ad ipsius religionis gloriam redundat, nec fieri potest quin religio illa sordeat & negligatur, cuius ministros populus contemnit, & despicit, neque vllâ veneratione prosequitur.

CAPVT VIII.

Mira quædam de Santono quodam Mahometæo, vulgò pro sancto habito: eius mores, conditio, ex vrbe Alepo discessus, & in Palæstinam peregrinatio. Deq; peregrinantium ad Mahometis sepulchrum numerosissima carauana.

IN Sacerdotum numerum Santonos etiam supra retulimus, qui bifariam diuisi, alij *Alfacquij*, alij *Scheikij* dicuntur, & vitæ genere, & nominis claritate reliquos omnes longè antecellunt, ideoque ab vniuerso populo vel maximè venerãtur; quod vel ex hoc vnico exẽplo liquebit. Morabatur Alepi, nobis ibi moram trahentibus, capularis senex, annorum circiter septuaginta septem, religione Mahometæus, ordine Santonus. *Scheick el Belloni* vocitatus. Is ex opinione vitæ religiosæ, ac duriter actæ eam sanctitatis & innocentiæ famam apud vulgus, imo proceres acquisierat, vt sibi quisque honori duceret, si quo modo ad virum hunc, eorum opinione sanctissimum, sibi pateret aditus. In tantum verò creuerat hominis fama, vt & ipsi Bassæ eius ædes accedere, & inuisere hominem non dedignarentur: honorificum id sibi esse putantes, si quandoque ad colloquiũ eius admitterentur: idem primoribus vrbis erat studium. Si difficiliorem aliquando ad se præberet aditum, precibus munera addebãt: quæ etsi sperneret, preces tamen non intermittebant; donec victus eos ad se admitteret: quos paucis alloquutus, statim dimittebat; & vt declararet quam parui, etiam Bassarum amicitiam faceret, initio sermonis oculos ab iis auertebat, vel clausis alloquebatur, impietatẽ iis interim, iniustitiam, tyrãnidem, & crudelitatẽ exprobans: quos nec veros nec æquos esse iudices, sed latrones, raptores, pauperum atq; aduenarum oppressores, Legumque præuaricatores diceret: quæ quidem omnia æquo animo sufferebant; vel saltem sufferre se simulabant. Neque enim hactenus fuit quisquam qui tam liberè monentem

 vnquam

vnquam vltus fuerit: ſed cum hęc objicerentur, obmutuiſſe, vel verbis demulſiſſe hominem, vel muneribus eius animum placaſſe, & gratiam redemiſſe ferunt. Tantam energiam habet vel apud Barbaros etiam virtutis ſimulachrum. Senex hic totis duodecim annis proximis domi continuò hæſerat, nec vnquam in publicum prodierat, toto triennio (quod magis mirandum) cubiculo ſuo non exierat; ſed diuinis ſe totum ſtudiis, contemplationibus, ac ſacræ lectioni, precibuſque, tenui contentus victu, conſecrauerat; adeoque hominum conſuetudinem ſolitarius declinauerat, atque aſperam vitam duxerat, vt omnibus Alepinæ vrbis incolis imò etiam vicinis miraculo eſſet. Hinc nomen eius in omnium ore verſabatur, nec erat quæ in cœlum vſque laudibus hominem non extolleret, virumque ſanctiſſimum non prædicaret: quod vel hoc vno exemplo declaraſſe ſuffecerit. Fama percrebuerat apud Alepinos eum Hieroſolymam religionis ergo breui profecturum, munus ibi ad Dei cultum vt offerret, & celeberrimum Salomonis Templum, & Chriſti incunabula inuiſeret. Ea namque apud Alepinos Mahometæoſque cæteros inualuit religio, vt Salomonis Templum quod hodie extat, omnes pęnè ſacroſanctum putent, ac ſummâ in veneratione habeant, adeoque ſingulari ritu in maximâ frequentiâ viſitent, & colant, eâ præſertim ratione quòd Chriſtum hoc loco multa myſteria perfeciſſe, & Mahometem ſuum variis multiſque gratiis à Deo donatum eſſe prædicent. Nam ab animali quodam *Alborab* Mechâ eo aduectum, dextraque ei datâ ab Angelo Gabriële ad penitiora Templi introductum, miranda vidiſſe myſteria fabulantur. Septimo itaque Id. Ianuarij, anno à nato Chriſto 1599. qui ipſius profectioni ſcilicet conſtitutus erat dies, à primo diluculo ad tertiam vſque diei horam ante ædes eius frequentiſſimus fit concurſus Alepinorum, qui honoris causâ eum extra vrbem comitarentur. Vbi verò iam hominem in procinctu ſtare intellexere, publico applauſu ſuum *La Illah, Illa allah*, inchoârũt, & in quatuor diuiſi turmas, eum extra portam deduxerunt, hoc ſeruato ordine. Præcedebant ſigniferi, labara deaurata Dei nomine aureis literis intexto geſtantes. Hos incompoſito agmine ſequebatur ingens hominum multitudo, elatâ voce idem carmen ſuo more concinentium. Poſt hos ſupremus Seriphus equitabat, prouectæ ætatis vir, & adſpectu grauis, viridi Thulipanto, veſtibuſq; indutus. Succedebat alia hominũ turba, canentiũ eadem quæ præcedentes; hoc tamen ordine, vt primis clamando feſſis integri ſuccederent, & cantũ conſueto modulo proſequerentur. Secundũ hos tertia incedebat turma, numero prioribus nõ inferior. Hi quoq; alternatim idẽ ſuccinebãt canticũ. Inter hos medius equitabat Sãtonus hic noſter, adſpectu venerabilis, facie macilẽtiâ, barbâ promiſſâ & canâ, veſte amictus albâ cymatili, penulaq; indutus cãdidâ goſſypinâ, albidis ouium ſuffulta pellibus, mulo inſidens leucophæo, lento incedẽti gradu: dumq; iter faceret clauſis oculis ſubmurmurabat

preces assiduas. Præcedebat eius filius, maturæ ætatis homo, mulum ducens, regensq; frænum: eorum verò qui vtrumque eius claudebant latus, duo per vices sustinebant hominis brachia, ne ex mulo decideret, reliqui mulo viciniores manu illum constringebant: magno id sibi honori ducentes. Postremum agmen erat ex promiscua & numerosa hominũ multitudine, priorum cantũ imitantium. Hac pompâ & ordine per Bazarrum Chani Abraci hominem deduxere; mox Messitã vrbis nouam prętereuntes, perq; portã Damascenã vrbe logiùs egressi, tertio tandem ab vrbe lapide veniâ à Santono habitâ dimissi sunt. Cõfluebant vndique quocunque pergeret vtriusque sexus homines; tam frequẽtes, vt vix per publicas plateas pateret transitus: totus siquidẽ ad spectaculũ populus effusus erat, vt quasi migrare ciuitas putaretur: neque solũ intra vrbis mœnia, viæ per quas transibat populo refertæ erant, sed & maxima turba portis effusa per suburbana loca latamque planitiem, quà transiturus esset, hominem operiebatur. Auidi namq; Alepini spectare virum, qui tot annos domi resederat, tantaq; sanctitatis fama percrebuerat, cùm nomine tantùm multis innotesceret, tã cõmodam sibi eripi occasionem nemo sinebat. Concurrebant itaque ex omni loco & viri & fœminæ, quo visu tanti hominis fruerẽtur: applaudebant extollebantque voces, summisq; eum preconijs prosequentes fausta omnia illi precabantur. Nec mirum, est enim conciliatrix amicitiæ virtutis opinio; cui illud proprium est, vt animos hominũ ad se alliciat, faciatq; diligere eos, maximisq; efferre laudibus, quibus existimãt excellentes quasdam & singulares inesse virtutes. Nos quoque vt exitum tam solemnis pompæ spectaremus, ad Lenzariam altero ab vrbe lapide Messitam pedites perreximus, atq; vrbe egresi, Venetorũ Interprete duce ac comite, iuxta Maurorũ cœmiteria, ac supra vrbis lapidicinas gradũ fecimus. Specus hæ sunt vastæ amplitudinis, mira diuerticula, ac latebras continentes, Arabũ Bedoinorũ pauperculorum ex parte habitacula, & restionum officinæ, quibus lumen desuper per saxorũ foramina (noctu illac transeuntibus periculosissima) immittitur. Vbi ad primùm lapidem venimus, obuius nobis fuit Bassa Alepinus, ducentorũ circiter aulicorũ comitatus equitatu, eodem properãs, quo Santonũ gratulabundus exciperet, & honoris causa comitaretur: posceretque ab eo veniam priusquàm discederet. Nam & paulò ante Cayrensem Bassam insigni cum equitatu eodem profectũ cognouerat, qui paulo post sibi obuiam facti se mutuò amplexati sunt, ac solitis humanitatis præstitis officijs inter se colloquia miscuere, lentũ interim Santoni exspectantes aduentũ: cui eminus conspecto iuere obuiam: mox corã salutarunt comiter, ac vtrũq; eius claudẽtes latus, exceperunt mediũ, & paulisper substiterunt, donec debitæ obseruantiæ & beneuolẽtię cõplerent officia. Ille verò paucissimis vtrique gratijs actis,

dimissos statim voluit: vetuitque ne vltrà procederent, tamen progressis aliquantulum, cùm iterum ne vlterius progrederentur iuberet, eius iussis parentes ad suum quisque Seraium redierunt. Nos quoque his visis vrbem repetiuimus. Mos autem inoleuit apud Alepinos, vt quot annis Baarami tempore, quotquot voti vel religionis ergo Alepum accedunt, Mecham ad Mahometis sepulchrum profecturi, eos extra vrbem comitentur, ac solemni cum pompâ deducant. Conueniunt siquidem hanc in vrbem paucis ante Baarami festum diebus frequentes Mahometæi, cùm Europæi, tum Asiatici, Mechanum inuisuri sepulchrum: eâ præsertim ratione, vt Genizarorum comitati satellitio contra Arabum incursiones tutiores sint. Hi Alepo iam discessuri, diebus aliquot continuis, magno satellitum numero & turbâ canticis perstrepente comitati, oppidum perambulant, & quo maximo possunt apparatu se populo spectandos præbent. Camelos namque, aliaque iumenta sagmataria sericis egregiè ornata, tintinnabulisque de collo pendentibus plurimis exculta, circumducunt. Horum alij pretiosis vestibus ornati, partim equis, partim camelis insident: alij camelos sessoribus vacuos, aquâ, lignis, pane, vestibus, cistis, cæteroque commeatu onustos ducunt. His etiam immixti sunt Drauisij plurimi, qui nudis capitibus sibi inuicem acclamantes, ac miris gestibus cateruatim spumantes procedunt: quos idcirco spiritu Diuino afflatos vulgus putat, ac velut sanctitate cospicuos mirum in modum veneratur. Post peracta publica illa spectacula, cùm iam Carauanæ Præfectus ab Imperatore Turcico electus, & Basse titulo insignitus, vt maius imperium in Carauanam & Genizaros habeat, aduenerit, iter instituunt: quos denuo Alepini solemniter cum canticis & clamoribus immensis Lenzatiam vsque deducunt: atque inde omnibus valedicentes, ac fausta precati, ad vrbem reuertuntur: illi verò comitantibus Genizaris Damascum pergunt, vbi per dies aliquot quiescunt: post aliis acceptis à Bassâ Damasceno Genizaris institutum iter persequuntur. Vbi ad solitudines Arabiæ Petreæ venerint, relicto priori Genizarorum comitatu, alios rursum ex vicinioribus oppidis asciscunt: quibus comitantibus Mecham vsque pergunt. Peregrinorum hæc Carauana nonnunquam ad sexaginta hominum millia adscendere dicitur, vt non Carauanam, sed iustum potiùs exercitum, præsertim ob magnam camelorum aliorumque iumentorum sarcinariorum multitudinem referre videatur.

CAPVT

CAPVT IX.

De variis Mahometaæ Legis religiosis. Eorum mores, vitæ genus, & vitia.

ACCEDVNT vltimò Deruisij siue Drauisij, Ecclesiasticis annumerandi. Hi Græcorum Calogeris, & Latinorum Monachis ferè respondent, atque inter se, vti & nostri Monasticæ vitę homines, diuersis distincti ordinibus, vxores non ducunt. Horum alij Deruislares, alij Calenderes, alij Huggiemales, alij Torlaces appellantur. Omnes quidem religiosam vitam simulant; sed sub hoc prætextu omnibus sceleribus immersi, infinita perpetrant flagitia: fures sunt vt plurimùm, fornicatores, adulteri, prædones, latrunculi, sicarij; nullis equidem parcentes quos in itinere obuios superare se posse confidunt. Fœdi præterea pædicones, masculorum concubitus adamant: neque à grauioribus, à quibus castæ aures abhorrent, etiam se continent.

DERVISLARES (vt de singulis aliquid dicatur) nullos in capite pilos nutriunt, tonsi vbique, frontem temporaque cauteriis, vel ignito ferro, vel accensâ spongiâ aut lineâ quâdam fasciâ inuruut; aures perforant, in quibus ex Iaspidibus inaures & annulos satis magnos gestant. Ouillis autem vel caprinis amicti pellibus, quorum altera dorsum, altera pectus cooperiunt; reliquum corpus (præter pudenda) nunquam tegunt. In suburbanis & in pagis habitant, vernis & autumnalibus mensibus quòlibet diuagantur, ac stipem emendicandò victum quæritant.

HVGGIEMALES, iuuenes plerique robusti, strictâ tunicâ vsq; ad genua pertingenti induũtur: quam latâ Zonâ cingunt, ad hanc cymbala appendent, & per omnem Osmannici Imperij ditionem incertis sedibus discurrunt. Tunicæ Leonis vel Pardi pellem injiciunt; vngulis ab anticâ parte colligatam, reliquâ corporis parte, pedibus exceptis, nudi. Calceos funiculis constringunt: inaures habent ex argento, vel ære, aut alio quouis metallo. Capillos in humeros demittunt: quos oleo terebinthino vel iuniperino perungunt. Eleëmosynis victum comparant quos cantiunculis suis amatoriis, Arabicâ vel Persicâ linguâ à se compositis, conuocato populo, publicis in foris Chanisq; consequuntur largissimas, Italorum Mimis simillimi. Inter cantandum cymbala pulsant, transeuntes allectant, & verbis demulcent; atque ita à dementato vulgo stipem satis abundanter cogunt,

TORLACES ouillis caprinisq; se vestiunt pellibus; quibus vrsinam, pilis extrinsecus versis, vnguibus ad pectus colligatam injiciunt, quâ

velut pallio se inuoluunt; Acuminato pileo prealto & albo plures habẽte plicas tegunt caput, cætera nudi. Tẽpora etiam cauteriis inurunt. Ad tabernas, fora publica, balneaq; stipis expetẽdæ causâ vt plurimùm se conferunt, & precariò viuunt.

CALENDERES continentiæ precipuè sibi laudem vendicant, Mahometæorum opinione sanctissimi. Iuxta Imareta & Templa angustas inhabitant cellulas. Tunicas gerunt strictas & breues, absque manicis saccorum instar, è pilis camelorum contextas; quas *Habà* vocant. Crines penitus abradunt. Pileos ferunt albos, non absimiles iis quos Græcorum Papassi & Episcopi nigros & valdè latos gestant, in eo tamen differentes, quòd ex oris longiusculi crines vndique dependeant. Annulos ferreos auribus, collo, brachiisq; annexos habent.

Vidimus prætereà Deruisiorum plurimos strictâ amictos tunicâ, pileolo albo absque alis tectos, qui sibi dentes excusserant, quo sanctiores haberentur. Alios etiam qui iuxta tẽpla domicilia habẽtes præ foribus hastas erexerant, quarũ supremæ cuspidi lanei, linei & gossypini plurimi panniculi versicolores, & in orbem torti affixi erant, notæ (vt Interpres nobis affirmabat) magnæ sanctitatis. Nam cuius hasta plures appendices seu panniculos habebat, is præstantior & sanctior cæteris vulgi opinione habebatur. Et tamen fœdissimum id genus hominum, luxuriæ omnimodo deditum publicè cum mulieribus congreditur, & (vt verè mihi narratum est) turpia etiam adulteria in oculis omnium commitere non veretur. Neque verò dedecori cuiquam vertitur, sed honori potiùs ascribitur, cuius vxorem spurcissimus scurra subagitauerit. Adeò namque cęca illa gens dæmonum præstigiis dementata est, vt diuino impulsu id factum putet. Ideoque se omnium beatissimas iudicant fœminæ, maritis earum idem sentientibus, quòd horum amplexibus dignę fuerint, & (quod magis mireris) agunt etiam istis impurissimis nebulonibus mariti supremas gratias, quòd cum vxoribus suis coiuerint: nam si horum concubitu grauidæ prolem pepererint, ea sancta habetur, Hinc quoque (si aliquæ prolem ex marito desiderent) hos adeunt, & benedici ab his volunt: & si postea se prægnantes esse senserint, id horum deprecatione factum arbitrantur, miraculo asscribunt, & tanquam accepti beneficij memores munera religiosè offerunt, simul & panniculum hastæ affigunt, vel affigendum transmittunt.

SVNT & alij qui vrnas lagenasque fictiles aquâ plenas circumferunt, poscenti haustum scutellâ æneâ porrigunt, atque hoc vitæ genere, vestibulatim stipem cogunt, & mendicato pane viuunt.

QVIDAM etiam velut insani, deliri, lymphaticique, ac planè phrenetici clamoribus omnia implent, quibus obuiorum aures maximè

aduenarum

aduenarum obtundunt, canticum suum *La Illah, Illa allah*, vndique perstrepunt, & totis diebus vrbium vias publicas circumeunt: quæ omnia astu quodam faciunt, suam vt tegant nequitiam, maioremque sanctitatis opinionem acquirant. Ad hæc maslaco & opio vescuntur; quibus in phrenesim actos misera plebecula veluti sanctos & diuino afflatos spiritu, ac Deo charissimos amicos colit, & venerationem non leuem exhibet. Horum aliqui vbi maslacum in puluerem redactum hauserint, carnes cultro latiore, nouaculæ instar incidunt, & vulnera sibi infligunt, iisque facili negotio medentur. Nam solâ fontis aquâ cum quibusdam herbis vulneribus adhibita breui tempore obducuntur.

SVNT & alij qui vitæ inquinatissimæ pœnitentiâ ducti, voluntariam paupertatem profitentur, nec tamen interim fœdissimis moribus ac vitiis valedicunt, nam licentiâ quâdam effræni domos quaslibet intrant, edunt, bibunt & (heu scelus) cum vxoribus aliorum libertimè commiscentur; quibus superstitibus, vti Deo amicissimis magnos honores exhibent, defunctis templa vel monumenta amplissima exstruunt, eosque contingere & sepelire fortunatissimum esse censent.

PRAETEREA qui fatuus nascitur, & in ipsâ fatuitate vsque in senectam perseuerat, sanctus apud Turcas existimatur, & colitur. In quantâ autem sanctitatis existimatione hi, cæterique Deruisij (nebulonum quos terra tulit omnium pessimi) apud omnes sint, quantâ denique veneratione stultos & fatuos Turcæ prosequantur, quoniam in Mahometæorum simulatæ sanctitatis mentionem incidimus, vno exemplo declarabimus.

CAPVT X.

Senis Mahometæi, vulgò pro sancto habiti, mores, vita, & conditio.

MORABATVR Alepi, nobis ibi degentibus, senex quidam alius septuagenarius, caluus, barbâ canus, mirum in modum corpulentus, & pinguedine ventris deformis. Is nudus totus, & (quod mireris) etiam pudendis, sedebat, stabat, obambulabat, atque indies ferè per bazarros viasque publicas mediâ etiam hieme vagabatur. Alternis diebus ad fontem Chani maioris hospitio suo vicinum accedebat, & frigidissimâ aquâ totũ se lauabat, nec abstergebat linteo, verùm ita lotus, ac madidus totus suum hospitiũ repetebat. Statim vt se lauerat, aquam illam, veluti sacram, & contactu corporis ipsius benedictâ, ad salutem corporis bibebant, vel ad suos deferebant ægrotos adstãtes

Mauri,

Mauri, Turcis longè superstitiosiores. Habebat hic hospitium in opso-polio, seu annonæ Bazarro fumo adeò obscuratum, vt horrorē intuentibus incuteret, ac atram potiùs Vulcani officinam, quàm hóminis habitaculum referret. Lecto vtebátur nullo. Humi procumbebat, storeâ suppositâ. Penulâ è pilis camelorum noctu se contegebat, & propemodum sub dio apertis foribus & fenestris dormiebat. Eleēmosynis (quas liberales ab omnibus consequebatur) victitabat. Plurimos alebat discipulos, sed vestitos omnes, idque more Deruisiorum, tunicâ nēpe strictâ & pileolo albis. His in ministerio vtebatur quotidiano. Hi hominem quàm diligenter obseruabant, assistebant assiduò, colligebant stipem, & animalium ossa congerebant: quibus lignorum loco ad fomentum ignis interdiu noctuq; in ipso hospitij medio vtebantur. Canticis adstātem populum integris ferè diebus detinebant; quo pecuniā ab adstātibus elicerent largiorem. Tacentibus discipulis ipse suum concinebat carmen, *La Illah, Illa allah*, submissâ voce, erectus corpore, ac continuâ corporis agitatione, idemque in tantum protrahebat, quoad lassus deficeret. Spatulam interim ferream, acutam, oblongam assiduò manibus voluebat. Ingens quotidie ad fores hospitij illius confluebat hominum multitudo; qui mirabundi, ac velut attoniti fixis in eum hærebant oculis, applaudebant hominis sanctimoniæ, prædicabant vitæ duritiem, & pœnitentiam asperam, summisque eum laudibus extollebant. Adcurrebant & fœminæ plurimæ, largas ei adferentes eleēmosynas. Hæ cùm propiores assiderent, manus eius osculabantur, ac genua; quædam etiam, quod se grauidas fieri exoptarent, post longas preces (pace legentium dixerim) genitale membrum, quod cùm assecutæ essent, hilares discebant, ac letæ. Cæterùm pauciloquus erat; stupidus alioquin, & stolidus, nec aliquo præconio dignus, ob nuditatem tamen rarus, & vitæ genere ridiculus. Nam & muscas, quotquot caperet, glutiebat viuas: canum oculos, à discipulis, aliisve sibi dono datos, quantūvis crudos, vorabat; imò lauti obsonij loco habebat. Quoties verò per vrbem obambulans canem conspiceret, vti venaticus canis leporem, sic ille canem insequebatur, ac capto statim spatulâ illâ ferreâ, quam semper apud se habebat, oculos eruebat. Si in tabernarios vel institores incideret, detinebant hominem, instabant precibus, vt spatulæ suæ cōtactu vel merces, vel pondera eorum benediceret; id cum faceret, se fælíciores fore in diuendendis mercibus sibi persuadebant: pōdera autem (in modum prægrandium annulorum ex ære conflata) spatulæ affigebat, & terve quaterve volutabat, quædam interim suo more submurmurans; murmure absoluto, mox ea reddebat heris; quæ illi, velut iam sacrata, osculo recipiebant, vel in signum reuerentiæ capiti imponebant. Ob hos mores, hominem licèt dementem, & insipidum, summè

ſummè venerabantur, & velut eximiæ ac raræ ſanctitatis virum, Deoq; amiciſſimum prædicabant, cæteriſque omnibus Deruiſiis vno ore præferebant.

CAPVT XI.

De religioſis Sacquatſiis nomine, aquam cuilibet obuio offerentibus. De ſtudio Turcarum in exſtruendis Imarathis, Chanis ſiue Carauanſaraiis, Pontibus, aliisq; publicis ædificiis. Deq; variis Mahometæorum eleemoſynis, votis & piis operibus.

EST & aliud genus hominum præter Deruiſios, cognomento *Sacquats* eleëmoſynis victitare ſolitum. Hi mercede à ditioribus conducti, vtres circumferunt aquâ plenos, tria item quatuórve vaſa ænea, ſpeculum quoque, ac vas aquâ odoriferâ refertum; quibus velut aſini onuſti Bazarros & plateas circumeunt, altùm clamantes *Allah acciara*, hoc eſt Deus liberalis. Obuio cuiuſcunque religionis, etiam non poſcenti vas aquâ plenum porrigunt. Quo verò clarior, lucidiorque aqua appareat, aliqui Iaſpidem, Calcidoniam, aliaſque gemmas in vas immittunt, bibenti ſpeculum exhibent, vt ſe hominem & mortalem reminiſcatur. Aliqui Poma, Piráque deferunt, quæ tamen notis tantum diſtribuunt, & à quibus eleëmoſynam exſpectant; quos etiam diſcedẽtes aquâ odoriferâ adſpergunt. Stipem nullam expetunt, vltro tamen oblatam non recuſant, aſt læti accipiunt, gratiaſque odoriferæ aquæ aſpergine referunt. Pietatem autem exercere ſe putant maximam, qui huiuſmodi ſuo ære conducunt homines, Deo gratiſſimum eſſe arbitrantes ſitientibus aquam frigidam porrigere. Hinc verò Turcæ Mauriq; ditiores labrum marmoreum ſiue lapideum aquâ perpetuò plenum ſuas ante ædes ſtatuunt, addito cochleari ferreæ cathenæ annexo, quo tranſeuntes ſitim ſubleuare commodiùs queant: quod à noſtræ quoque religionis hominibus, Ieſuatis nomine, Italiæ in primis notis, obſeruatum didicimus. Locupletiores præterea Mahometæi, maximè Turcæ, vel adhuc incolumes, vel morituri teſtamentis præſcribũt, diſponuntque, qui ipſorum nomine plateas bis térve in diem propter æſtum pulueremque conſpergant, ter item ſingulis diebus more ſuo Deum laudent. Plurimi quoque, quòd magnam facultatum partem in pios vſus conuertendam exiſtiment, ſuis hæredibus imperant, vt turres ædificent, Templa reſtaurent, vel faculas, lampadéſve ardentes ad turres appendant. Id verò quo magis hæredes obſeruent vltimis eulogiis ſanciunt. Omnes enim ſic inſtructi ſunt, vt Deum bonis operibus placari credant, eorumque magnam fore in æternâ vitâ mercedem

non dubitent: quod quia certissimò statuunt, hinc fit vt omnes quisque pro suo virili in vitâ quidem diligenter, in morte autem diligentiùs istiusmodi operibus studeant; quibus & Dei nomen glorificari, rempublicam augeri, & priuatorum cõmodis consuli existimant, Inde quoque Imperator ipse, eius Sultanæ, Bassæ, Beglierbegi, primoresque, cæteri. Moscheis, Imarathis, Carauãsaraiis, Balneis, & Põtibus exstruẽdis dant operam: reliqui etiam locupletiores, qui maximis negociis & occupationibus distracti, in varia peccata incurrunt, huic generi pietatis plurimùm impertiunt, tùm quod ad Dei gloriam, cùm etiam quòd ad hominum vtilitatem, & peregrinorum commodum eiusmodi monumenta spectare arbitrentur, nihilque gratius esse Deo credant, quàm aduenarum commoditatibus, & pauperum necessitatibus inuigilare. Horum operam formam & conditionem suprà satis expressimus, vt superfluum sit hîc eadem velle repetere: itaque id solum dicemus, in eo totos esse, vt vel vetera collapsa Xenodochia & publica hospitia restaurent, vel tenuiora annuis redditibus locupletent, vel noua exstruant: quæ quidem vel in ciuitatibus fabricata, & plurimis possessionibus dotata (vbi ali possunt bis in die non modo peregrini, sed & Sacerdotes, & studentes plurimi, qui pro fundatoris animâ quotidie precantur) vel extra vrbes in plerisque viis maximè tritis, & ad ciuitates ducentibus, passim commodo interuallo constituta spectantur: quorum pleraque, 6.8.10 12. millia ducatorum & ampliùs ex agris & fundis, vel aliis emolumentis annuatim colligunt. Vtraque maximæ capacitatis & amplitudinis sunt, ideoque inter præcipua Turcici Imperii ornamenta non immeritò annumeranda. Nam præterquam quod ad excipiendos viatores ex æquo omnes, Christianos, Turcas, Hebræos, cuiuscunque ordinis & conditionis, (qui in Imperio Turcico magno numero turmatim solẽt à ciuitatibus ad ciuitates negociorum causâ commeare) sunt destinata, nonnulla etiam itinerantibus victum gratuitò ex donatoris largitate suppeditant. Ad hæc qui loco celsiore sunt Turcæ, fontes ex locis remotioribus ad Imaratha, vel Chana, publicásve vias, in vsum commeantium, vt sit in promptu vnde se possint reficere, & sitim depellere, deriuari, vel pontes ad traiectionem fluuiorum accommodos exstrui, vel vias, quæ aliàs futuræ erant hominibus & iumentis impeditissimæ, lapidibus consterni summoperè curant. Sed & qui vel mediocriter pecuniosi sunt, hisce operibus incumbunt, ac magnam substantiæ partem impertiunt, Nihil enim est frequentius in testamentis Turcarum, quam legare certam pecuniæ summam vt riui deducantur ex longinquis partibus ad aliquod hospitale, vel templum, vel vt viæ pubicæ restaurentur; idque pietatis gratiâ, & pro salute animæ. Vt iure dixeris Mahometæos omnes publicis magis esse intentus operibus.

bus & Reipublicæ inuigilare commodis, quam propriis, aut priuatis. Atque hinc est quod inter Turcici Imperij ornamenta vel maximè celebrentur Mosqueæ, Imaratha, Carauansaraia, siue Chana, Balnea, Fontes, Pontes, & Viæ publicæ: de quibus hoc vulgare extat distichon.

Mosqueæ, Imaratha, Carauansaraia, Lauacra,
Fontes, & Pontes fluuiorum, stratæ viarum.

Neque solùm in homines hæc & alia pietatis opera exercenda, atque esse satisfactoria pro peccatis autumant, sed & si quis brutis, & mutis animantibus, puta canibus, felibus, piscibus, atque auiculis victum suppeditet, ingentem apud Deum promereri gratiam superstitiosè sibi persuadent. Præterea volucres ad victum hominum captas necare religioni habent: quas pretio idcirco à Christianis sæpè redimunt, ac pristinæ libertati restituunt. Piscibus in aquis natantibus frustula panis objiciunt. Canes item ac feles publicis in plateis, locisque ad id destinatis statis horis gregatim conuenientes, pane, carnibus, aliisque cibis pascunt. In cœmiteriis ad hæc, dum singulis hebdomadibus suorum inuisunt sepulchra fœminæ, quicquid ex dapibus secum allatis superest, auibus, canibusque deuorandum relinquunt, animis mortuorum profuturum, ac Deo id gratum esse existimantes. Immolant quoque victimas, sed plerumque votiuas: quas *Chorban* appellant. In morbo enim aut periculo constituti, ouem vel bouem pro cuiusque conditione & opulentia certis in locis se sacrificaturos voto obstringunt. Voti deinde victimas in holocaustum haud quaquam comburunt, vt Iudæi solent; sed mactato animali, siue victimâ, cutẽ, caput, pedes, & quartã partẽ carnis sacerdoti relinquunt, alteram deinde partem pauperibus impertiunt, tertiam vicinis, reliquam partem ipsi victimantes sibi & comitibus seruant, atque in cibum præparant. Si tamen qui votum fecerint è morbo vel periculo erepti nõ fuerint, se minimè voto teneri existimant. De ritibus autem eorum quibus in sepeliendis mortuis vtuntur, qualia item eorum cœmiteria, & sepulchra, restat breuiter dicatur.

CAPVT XII.

Agonizantium Mahometæorum status & conditio, eorum testamenta. Mira quædam somnia de animarum statu in diem vsque iudicij. Mos item sepeliendi mortuos. Eorum cœmiteria. Vulgarium sepulchrorum formæ, & primatum monumenta; itemq́; parentalia. Necnon Christianorum & Hebræorum cœmiteria & sepulchra.

PRIVSQVAM modum sepeliendi mortuos Mahometanis vsitatum, eorumque cœmiteria & sepulchra describamus, operæpretium duximus, nonnulla quæ ægrotantes dum se è viuorum contubernio migraturos arbitrantur curare summoperè solent; quidque de defunctorum statu ante Iudicij extremi diem sentiant, commemorare. Superiùs retulimus Mahometæos omnes lustrationibus, eleëmosynis, ieiunioque plurimùm tribuere, iisque peccata, quantumuis enormia, purgata existimare; attamen si quid vi ablatum sit, aut alteri debeatur, id etiam restituendum, & soluendum, si non verè, saltem apparenter, existimant. Hinc vicinâ laborantes morte in primis operam dant, syngraphum solutionis à creditoribus vt nanciscantur, etiamsi re verâ solutionem nõ præstiterint, restituerintve ablata, eoque velut præstitæ solutionis testimonio capiti agonizantis supposito, satisfactum debito putant: quinimò etsi quandoque morientium amici aut familiares syngrapha huiusmodi à creditoribus vi etiã & metu extorqueant, crimini hoc sibi à Deo nequaquã verti, sed proinde prodesse defuncto, ac si verè satisfecisset, putant. Si quas verò furto, latrociniis, aliisve malis artibus diuitias sibi conflauerint, & nesciant quibus reddi debeant, tum pecuniæ summam aliquam Xenodochiis legant, vel balneum publicum erigi, aut Messitam certo numero lampadum illustrari, Santonisve annuam eleëmosynam elargiri, aliáve pietatis opera (de quibus in præcedenti capite egimus) pro se fieri testamento statuunt, quod à Santonis Seriphisve plerumque conscribi solet. Quia verò per fas & nefas vt plurimùm opes cumulant, maiorem idcirco bonorum partẽ Messitis & Xenodochiis legandã, vel in vsus prædictos conuertendã satagũt, residuo hæredibus relicto; hac lege, vt vxorũ in primis dotes, seruorũ mercedes ac cætera debita soluãt, suisq; satisfaciant creditoribus. Neq; tamen hæreditatẽ statim à morte testatoris adire hæredibus liberũ est, sed eam à iure Imperatoris redimere, & à magistratibus enundinari necesse habẽt, nisi defunctus ex eorũ numero sit, qui libertate gaudeat, quiq; priuilegio Imperatoris liberè de bonis suis statuere possit. Testamẽto confecto, vbi supremum spiritum ægrotum ducere animaduertũt, Santonũ aduocant. Is Alcoranũ ei imponit, atq; ex eo Caput quoddã *Chaberet elizi* nomine, id est, Tractatum Iesu Christi septies legit: id enim animam

animam agenti viatici loco fore, ac facere ad certam salutem, credunt. quam tamen non statim defunctos consequi, sed (ita dictante eorum Zuna) in sepulchro quemque suo in diem vsque Iudicij manere, ibique prout in vitâ hac mortali se gesserit, vixeritque, vel ab Angelis consolari, vel pœnis affligi Mox enim atque sepulchro quis conditur, ad tumulũ defuncti accedere Angelos duos piceos, *Mungir & Quarequir* dictos; horum alterum clauam ferream, alterum vncum tenere, eosque iubere cadaueri vt eleuato capite in genua se erigat, induatq; animam; quam vt induit, ab vtroque Angelo interrogari, num Mahometis legem obseruauerit: quòd si bonam anteactæ vitæ reddat rationem, hos discedere, ac duos alios instar niuis candidos eam accedere. Hos sese custodes ac socios defuncto adhibere, assistere & subleuare iugiter in diem vsque Iudicij. Sin malam, remanere nigros, & hunc clauâ ferreâ defuncti caput tantis viribus contundere, vt vnico ictu vlnis quasi septem corpus defuncti in terram adigat; mox illũ pari impetu vnco ferreo defuncto vulnus infligere, eumque è terrâ eruere: atque hoc horrendo supplicio continuò miserum vsque ad extremum Iudicij diem torquere. Hinc verò linteola, quibus cadauera inuoluunt, ab imo & supremo (vt ad Angelorum imperium caput tollere, & in genua sese erigere facilius possint) non consuunt. Ne tamen huiusmodi pœnis reddãtur obnoxij, valentes profundũt vota & Præces indies, his verbis: *Libera nos Deus ab Angelo interrogante, à tormento sepulchri, & à via mala.* Cadauera priusquam ad sepulturam efferantur lauari proximores consanguinei quàm diligenter curant, aromatibus insuper, atque aquis odoriferis vngunt, odorantq; ne fœtore cubicula inficiantur. non enim capulis (vt apud nos moris est) includunt: sed feretris Italorum more imponunt: mox Thulipãtum capiti addunt, & melioribus vestibus induunt, ornantque floribus, atque ita omnibus conspicua efferunt. Præeunt viri frequentes, & primo ceroferarij cum candelis, monachi illorum, dein Sacerdotes, postremo cõsanguinei non bini vti nostrates solent, sed confusim, Pæana canentes suum, *la illah illa allah.* Feretrum post hos quatuor aut sex ad summum gestant baiuli. Subsequuntur fœminæ, Mahometęo eiulantes ritu, voce stridulâ, lugubrique. Ad sepulchrum vt ventum est, consistunt, lapidem remouent, fossam effodiũt, corpus vestibus spoliant, rursum gossypino linteo aut sindone illud inuoluunt, ac tegunt: atque ita facie ad cœlum versâ, brachijs, manibusque extensis, ac lateri admotis, non in crucis modum cõplicatis, neque pectori impositis, vt apud Italos moris est, sepulchro impositum terrâ operiunt. Interim dum hæc sedulò curantur, consanguinei, ceterique, qui proximi ad feretrũ adstant, suum *la illah* cõcinũt; idq; in tantũ protrahunt, do-

nec omnia quæ ad funus pertinēt, ritè peracta ſint. Sepiùs etiam ami-
ci cum luctu ad monumentum redeunt, & pro defuncti animâ eleë-
moſynas pauperibus diſtribuūnt. Solent quoque plerique religioſis in
funere prodeuntibus plenâ manu eleëmoſinas impertiri: quod ſi de-
functus pauper fuerit, nec habeat vnde religioſis funus comitantibus
ſatisfiat, plateatim collectæ pecuniæ in eleëmoſynam illis elargiuntur,
Cœmiteria iuxta vias publicas pleraque poſita ſunt, vt tranſeuntes ſe
mortales reminiſcantur; Deumque pro ſalute defunctorum precen-
tur; extra vrbes tamen & oppida: in vrbibus oppidiſve conſpicias
nulla; cùm id lege vetitum ſit, ne cadauerum fœtoribus vrbes infician-
tur. Eademque de cauſa etiam remotiùs ab vrbe pecora ſua mactant,
excoriant, & exenterant. Quâ in re veterū Romanorum ſecuti ſunt
morem; qui ne in vrbe ſepelirentur aut cremarentur demortuorum
cadauera, legibus ſtatuêre: quemadmodum id etiam lege Duodecim
Tabularum ſancitum conſtat: cuius verba ſunt: *In vrbe ne ſepelito, né-*
ve vrito. Cùm tamen ante id tēpus in domibus, quas ſinguli incolebāt,
dolijs, aut vaſculis cadauera, aut demortuorum cineres conderentur:
vnde Lares (quos domeſticos vocitabant Deos) colere antiqui cœpêre.
Neque Romanis tantum, ſed Hebræis quoque olim vſitatum fuit ſuos
extra oppida ſepelire mortuos, vt in viduæ Naimitanæ filio vnico à
Chriſto reſuſcitato videre eſt; idq; è Legis Moſaicæ zelo: vetuit enim
Lex, ne quis ſe cōtactu cadaueris coinquinet: in quam quo minùs quis
impingeret, voluit Synagoga ſepulturas longiùs abeſſe. Solis autem
melioris notæ Santonis, aut principibus viris, ſuis impenſis Mauſolæa
& ſepulchra intra vrbis mœnia habere permiſſum eſt: quod itē ab an-
tiquis Romanis accepiſſe vidētur. Sūt autē Turcarū cœmiteria ampla,
ac latè patentia: plebeiorum pleriq; ſub dio tumuli vnius ferè viſuntur
formæ, lapidei omnes, ac tres, quatuórve, ad ſummum quinq; pedes
longi, inſtar cunarum, ſuperficie planâ, canaliculam in medio conti-
nentes, quam terrâ implent, floribuſque, aut herbis odoriferis exor-
nant. Extrema ſepulchri latera ſupra mediam ſuperficiem quaſi ſeſ-
quipedem eminent, in frontiſpicijs demortuorum nominibus ac die
obitus, Arabicis literis inſculptis, Inter vulgaria hæc ſepulchra qui-
buſdam in locis Circaſſorum veterum, ac primatum Mauſolæa con-
ſpicias plurima, non pyramidalem, ſed ſphericam ſeu Meſsitarum for-
mam referentia: aliqua etiam Chriſtianorum monaſterijs, neque mi-
nera, nec ſtructuræ magnificentiâ ornatuque inferiora, Meſsitā, por-
ticum, clauſtra, ambulatoria, variaque cubicula continentia, in qui-
bus ditiores, Taliſmannos ſuis ſumptibus alunt: qui ſacra inibi in de-
mortuorum memoriam peragūnt, Preceſque, ac Pſalmos, humi diua-
ricatis ſedentes cruribus, quotidie ad certum numerū pro animâ fun-
datoris

l. mortuorum ff de relig. & ſumpt. fun. & l. prætor ait §. diuus ff. de ſepul. violat.

datoris iuxta eius ſepulchrum obmurmurant. Id ex marmore quadratæ tumbæ inſtar panno viridi coopertum, cui à capite defuncti Thulipantũ è lino ſubtiliſſimo contortum ſpiris candiſſimis, quo viuus vti conſueuerat, itemq; ornamenta equeſtria; galea præſertim, & acinacis ſuperpoſita ſunt. Santoni verò, cum nefas eſſe putent in Templis quemquam ſepelire, non in ſuæ curæ commiſsis Meſsitis, ſed iuxta eas ſua ſepulchra habent: quæ muro, cancellis ferreis impoſitis, preter-euntium conſpectui patent. Marmorea hęc, vel lapidea ſunt pleraque oblonga, ad quadratam tamen formam accedentia, ſuperficie planâ, duobus, tribúſve circumſepta gradibus, canaliculas in medio exciſas, ad modum vulgariũ tumulorum, licèt latiores, continentia: quas terrâ pariter impletas floribus atq; herbis odoriferis ornant. Alij Palmis, vel Oleis ſepulchra circumſepiunt; quarũ veſci fructibus ob demortui reuerentiam religioni habent. Illud verò in primis mirandum, quod nullo ferè mortis timore ducantur, neque etiam à peſtiferâ contagione ſibi præcaueant. Si cauſam ſciſciteris, Diuinæ vindictę morem eſſe gerendũ, nec eius voluntati renitendũ, neminemq; mortem poſſe effugere, nec niſi deſtinatò euenire aiunt: ideoque fruſtra vitari loca peſte infecta putant; irridentq; Chriſtianos, qui tanquam diuinæ ordinationi reſiſtẽtes luẽ peſtiferã fugiendo declinare ſe poſſe autumãt. Cæterũ fœminæ ſingulis diebus Iouis (qui Mahometęis profeſtus hebdomadarius eſt) frequentiſsimo concurſu ad ſuorũ cõſanguineorũ ſepulchra, Preces, Sacraq; pro ritu Mahometæo ibidem dicturæ, conueniunt, eaq; ramis frondentibus, & herbis odoratis, in aquã frigidam intinctis, adſpergunt; hærentq; ibi à primâ vſq; in ſeram lucẽ, pane, caſeo, carnibus, alijſq; obſonijs, quibus naturæ neceſsitati eo die ſatisfaciãt ſecũ allatis, miſcẽtes hoc modo cũ ſupplicationibus & parentalia. Chriſtiani itemq; Hebræi extra vrbes & oppida ſua quoque peculiaria cœmiteria habẽt; ſed à Mahometæorũ cœmiteriis longè remota, quæ ſaxorum formâ, ſepulchris impoſitâ; eorũq; inſcriptione internoſcuntur. Chriſtianorum namq; ſepulchra, maximè Occidentaliũ, ſaxa habent oblonga, & quadrãgula, lõgitudinis pedũ quinq; aut circiter, nominis defuncti inſcriptionẽ, atq; diem obitus Latinis verbis cõtinẽtia. Hebræorũ quadrata, & minora, ac Hebraicis characteribus inſignita. Neq; hæc cœmiteria gratis Chriſtianis & Hebræis concedi quis putet: ſed vectigal inde ſoluendum Imperatori nouerit: Vbicunq; enim ſiue Chriſtianum, ſiue Hebræum mori, ac ſepulchro condi contingat, pro cuiuſque conditione tributum penſitare coguntur omnes. Orientales Chriſtiani, itẽq; Hebræi groſſos aliquot pro iure ſepulturæ exſoluunt. Occidentales vel Europæi maius tributum dependunt: Si conſul vitâ functus fuerit, quadraginta quinque Cechinos, ſi mercator ſex, reliqui tres. Soli vero Mahometæi ab hoc tributo immunes ſunt.

CAPVT XIII.

De Bassis, Santsiacchis, & Subassiis, supremis Turcarum magistratibus: eorumq; munere, moribus conditione. Deq; variis Turcarum militibus, nec non atrocium criminum pœnis.

DIXIMVS de ius dicentibus, aliisque sacris apud Mahometæos præfectis, Sacerdotibus, puta & Monachis: superest modo, vt de cæteris magistratibus, Bassis nimirũ, Santsiacchis, & Subassijs aliqua addamus, & primum quidem de Bassis. Nomen id Turcis Caput significat, daturq; iis in primis, qui *Vezirum* titulo clarẽt. Vezires autẽ nobis Cõsiliarij sunt Imperatoris intimi, quondã quatuor, sed nũc vel plures vel pauciores, prout Imperatori visum fuerit, deligũtur: quorũ supremus *Vezirazem* Turcis dicitur: quæ prima apud Turcas ab Imperatoriâ est dignitas. Is enim cæteris præest, auctoritate superat, supremo Synhedrio siue Concilio (Diuanum Turcæ vocãt) præsidet, ac solus vniuersum maximâ cum potestate administrat Imperium, Principis præterea scrinio, gemmaque seu Sultanico sigillo potitur, & Scribis atque Notarijs regiis decreta dictat. Vnà verò omnes summum in Imperio magistratum gerunt, & grauissimarum rerum consilijs, pręsunt: per singulas verò hebdomadas quatuor continuis diebus in regiâ coëunt, supplicibus libellis respondent, lites dirimunt, ipso Imperatore nonnunquam ex protectâ velo fenestellâ cunctas controuersias, querelasque populi, ac Bassarum respõsa intentis auribus excipiente. His præter Muphtim, de quo suprà egimus, adiunguntur, & parem in sedendo locum & honorem obtinent cum ipsis Bassis Veziribus, quoties in Diuanum publicum veniunt, tres supremi militiæ præfecti, qui superbâ appellatione *Beglerbeghi*, id est Domini Dominorum vocitãtur: *Rumeli* nempe *Beglerbeg*, hoc est Romaniæ, siue Græciæ, *Anatoli Beglerbeg*, id est Anatoliæ, vel Minoris Asiæ, & *Benizi Beglerbeg*. hoc est maris. Præter hos etiam suam in Diuano publico sessionem habẽt. Supremus Portę Cancellarius, *Nissanzi bassa* nomine; qui litteras omnes, omniaque mandata, & instrumenta, quotquot apud Portam expediuntur, obsignat. Tres item *Dephterdarg*, id est pręfecti ærarij, necnon Vicecancellarius, *Rais Kiutap* dictus: in cuius manibus sunt omnes libri, commentarij res ad archiua pertinentes. In eodem quoque Diuano sedent Iasitschi, id est Secretarij, siue actuarij, numero plus minus quadraginta: qui acta Consilij in scripta redigunt, scripturas omnes summâ sedulitate conficiunt, literasque expediunt. Bassarum deinde titulo decorãtur & cęteri Prouinciarum Præsides, Beglerbegi

& ipsi.

& ipsi nominati: qui quidem triginta octo in Osmannidarum Imperio numerantur; triginta in Asiâ, tres in Aphricâ, quinque in Europâ: atque integris prouincijs, regnisque cum imperio pręsunt, nostris Proregibus nõ absimiles, auctoritate tamen & opibus longè superiores. Hos si quis adierit, ne auersus ab eorum conspectu recedat summopere cauere debet. hoc enim si fecerit, luet pœnam contemptus; negligi siquidem ac vilipendi se putant Turcæ primores, si quis in discessu faciem auertat. Plurimos sub se habent magistratus, Cadios, Sanzachos, Subassios, aliosq; inferiores duces & præfectos. In Begos item, Timariotas, Spachios, & vniuersam Genizarorum militiam in prouincijs sibi subiectis degentium, & militantium, cæterosque gregarios milites, Acanzos, Azapos, Olophagos, ad nutum ipsis obtemperantes. dominantur, & imperium habent, vt hinc non immeritò domini dominorum vocitentur: nam Sanzachi & Beghi (quibus imperant) minorum (quod aiunt) gentium domini sunt. Ne verò silentio singulorum conditionem prætereamus, paucula hæc de singulis retulisse sat erit: & primo quidẽ loco Begos ponemus; nam de Sanzachis & Subassijs postea suo loco dicendum est; de Cadijs suprà egimus. Beghi igitur apud Turcas Barones sunt, siue proceres cuiusque regionis, vel Bassarum, ac benemeritorum de Osmãnidis filij; omnes quidem stipendia merentes, non tamen ijs legibus obnoxij, quibus cæteri milites Osmãnici; nam nisi ipsemet Sultanus in expeditionem prodeat, illi in militiam proficisci non tenentur. Timariotæ & ipsi Imperatoris benemeriti sunt, atquę equestris ordinis milites: in quorum equitatu præcipuum Othomannorum robur cõsistit. Nam ad repentinum Imperatoris edictũ paucissimis diebus septuaginta amplius equitum milliâ in vnum locum à præfectis adducuntur. Vniuersis duo Magistri equitum præsunt, qui & ipsi Beglerbeghi (vt suprà diximus) appellantur. Asiaticus vnus, Europęus alter. Hic ad Sophiam Misiæ inferioris, ille ad Cutheiam Galatiæ vrbem sedes habent. Spachi vel Spachij equites item sunt prætoriani, Imperatoris custodiæ deputati; qui à dextrâ leuaque distinctis agminibus, equitantis Imperatoris, dum in expeditionẽ prodit latera præcingunt, & à pueritiâ ex delectibus prouinciarum adducti in regiam, postquam à religione Christianâ defecerint, per eunuchos literis & armis liberaliter instituti, quàm puberes euadunt, ad summos honores prouehuntur. De Genizaris suprà retulimus: vt superfluum sit hîc eadem velle repetere. Id vnum dicemus. Ex mirifico hoc inueteratæ disciplinæ genere, tanquam ducum & pręfectorum seminario, plerosque in alas prætorianas ad equum rescribi, alios ad superiores ordines traductos ad præfecturas scandere, alios nulla ferè aliâ quam testatę virtutis commendatione Sanzachos, &

quod ſupremæ eorũ fortunæ munus eſt, Beglerbegos, & purpuratos Baſſas creari. Acanzij verò vel Akenzi Turcarum ſunt pedites, ſine ſtipendio militantes, ruſticum genus hominum, Vngarorum Haiduchis non abſimiles: quicquid enim prædantur, ſibi retinent, prædarum tantum decumas Imperatori ſoluunt. Itali genus hoc militum Ventureros vocant; priſcis Volones dicti fuiſſe videntur. Azapi item Turcarum ſunt pedites peregrini, ſtipendijs conducti, quemadmodum & Olofagi, ſiue Vlefedſi, ſic dicti ab Vlefe, quod ſtipendium ſignificat. Duo autem apud Turcas ſtipendiorum ſunt genera; quorum vnum Vlefe, vel Olofe, alterum Timar vocatur, Vlefe ſtipendium eſt diurnũ, ſingulos in dies à rationalibus vel quæſtoribus militibus, vel aulicis ſolui ſolitum; quod more noſtro menſtruum, vel annum eſt. hoc qui fruuntur Vlefedſiorum nomen habent. Timar verò eſt penſio, vel ſtipendiũ, vel redditus aſſignatus in prædijs, vel poſſeſſionibus caſtrorũ, oppidorum, pagorũ, agrorum, vel in percipiendis decumis, aliiſve fructibus. Græci Timarion appellant; inde Timarijs donati, Timariotæ dicuntur: quod nomen à Græcis mutuaſſe Turcas veriſimilè eſt; nam vox ipſa Τιμὴ Græcè honor ſignificat; à quâ Timarion deriuatum videtur; quod huiuſmodi Timaria, velut honoraria, ſiue beneficia honeſtioribus, Begis nimirũ, & Spachijs, aliiſque bene de republicâ meritis, concedi ſolent: qui idcircò noſtrorũ principũ Vaſallis, ſiue Beneficiarijs (quos Feudatorias appellamus) haud incongruè cõparari poſſent: niſi in eo different, quod apud nos feuda perpetua ſunt, quæ à parentibus ad liberos & poſteros deuoluuntur, apud Turcas verò temporaria tantum, nec vltra principis beneplacitũ durantia. Nam ſi quis eorũ, qui hoc ſtipendio vel beneficio gaudent, non ritè ſuo munere functus fuerit, & diſciplinam militarẽ non obſeruauerit, à iudicibus ad hoc deputatis (qui circumeundo præfecturas ſigillatim turmas recenſent, arma, equos, & mores inſpiciunt) ſtatim notatur, & exauctoratur, aliuſque in exauctorati locum aſſumitur. Atque hæc de militibus dixiſſe ſufficiat, ad Baſſas modò, vnde digreſsũ, reuertamur. Præter Spachios, & Genizaros, quos ſibi cuſtodes Baſſæ adhibent, quique interdiu noctuque in Seratorũ portas viciſſim excubias agunt, ſuos etiã habent Chauſios, Capizilares, ac Pecos, qui nobis Præcones, Ianitores, & Curſores ſunt; Baſſarumque iuſſa ad nuta conficiunt, & quotidianum miniſterium in Seraijs exhibent: de quorum munere alibi egimus. Aliud præterea Baſſis Seraiũ eſt, in quo, non aliter atq; ipſe Turcarum Imperator, vxores ſuas, & pellices alunt, virgines etiam alienigenas venuſtiores, raptas, vel magno emptas, aut dono acceptas educant: quarũ cuſtodiæ ac curæ Eunuchos adhibent, & præficiunt, non ſolum teſtibus, ſed etiam pudendis mutilatos. Porrò Sabaſſij, cæterique

que duces & præfecti omnes, qui in regijs vrbibus, Baſſarum ſedibus deſtinatis adſunt, ſingulis diebus horum Seraia adeunt, ijs aſſiſtunt, & in publicum prodeuntes honoris causâ comitantur, deducunt, reducuntque. Licèt autem apud Turcas omnes, ac Mauros in maximâ æſtimatione ſint, diuitijs abundent, potentiâ, imperio, & auctoritate plurimùm valeant, ac magiſtratus omnes, primateſque cæteros dignitate ſuperent, atque integris regnis, ampliſque prouincijs præſint, ad vnum tamen omnes, etiamſi ipſius Imperatoris affines & generi fuerint, non deſinunt vocari, & re verâ eſſe Imperatoris ſerui, adeoque velut mancipia ab eodem haberi. Hinc verò neque oppida, neque arces, nec pagos, more Chriſtianorum, vel etiam Perſarum poſſident, imò nec paulò munitiores domos ædificant, neque etiam vt noſtri Principes, Duces, ac Comites ſolent, teſtari liberè, deque ſuis facultatibus ad libitum diſponere, & ſuis liberis, vel propinquis eas relinquere valent; ſed quæcunque ipſis exſtinctis ex eorum bonis ſuperſunt, fiſco (veluti in ius Imperatoris deuoluta) cedunt; liberis tantum poſt patrum obitum ab Imperatore tenui aſſignato ſtipendio, quo ſe & familiam alant. Rarò autem, & niſi ob maxima parentum merita regiâ liberalitate, & priuilegio liberi patris hæreditatem adeunt. Eâ propter palatia nulla exſtruunt, nec prædia, villáſve comparant, ſed publicis tantùm ædificijs, Meſſitis nimirum, Imaretis, Chanis, Fontibus, Balneis, & Pontibus ædificãdis (vel pietatis, vel memoriæ poſt ſe relinquendæ causâ) dant operam, In hoc verò omni ſtudio incumbunt, aurum, argentum, gemmaſque pretioſas vt cumulent, quo tutiùs ac commodiùs liberorum neceſſitatibus in poſterum proſpiciant. Hæc enim ſciunt faciliùs ab hæredibus recondi, & occultari poſſe. Familiam alunt numeroſam faſtu regio; & nihil ſibi honeſtius quicquam ducunt, quàm plura ſeruitia, decore militaris formæ præſtantia, pompæ modo ad decus oſtentare. In hunc ſiquidem vnum præcipuè ſumptũ omnes pænè fortunas conferunt, ac profuſiores ſunt, cum alioqui exquiſitis epulis minimè ſtudeant, nec ſũptuosè ædificent, neq; vllis omnino damnoſæ aleæ ludis indulgeant; quod ſi quandoq; latrunculis ledant per otiũ luſiſſe, viciſſeq; ad ingenij laudẽ quàm ad pecuniæ quæſtũ, nobilius exiſtimant. Splendidis equidẽ ac pretioſis vtuntur veſtibus, non tamen proprio ære cõparatis, ſed vt plurimùm à ſuæ ditionis hominibus, vel ab exterorũ principum Legatis, aut mercatoribus alienigenis dono acceptis. Hi quidẽ honoraria hæc munera illis offerunt, quo tutiùs ſua negotia exerceant, & à Turcarum Maurorumque iniurijs ſe reddant immunes; illi verò, vel vt fauorem obtineant, gratiámve aucupentur, vel criminis alicuius rei à pœnâ corporali

se liberent, eximantq; noxæ, Cùm autem regis ad arbitrium magistratum gerant, sciantque se vltra triennium in magistratu haudquaquam continuandos, in hoc toti sunt, vt diuitias quas possunt maximas, congerant, quibus exacto hoc magistratũ, alium Veziribus nundinentur, vel si noui magistratus spes prorsus nulla supersit, familiam ac seipsos pro dignitate priuati degentes sustentent. Propterea nouas sæpenumerò exactiones excogitant, subditisque imponunt, negotiatores expilant, in carceres trudunt, cathenis vinciunt, ac grauissimis tormẽtis subjiciunt, vt pecuniam emulgeant, ac quicquid possident, per vim metumque extorqueant. Si verò alienigenarum aliquis, siue mercator, siue artifex, aut alius quispiam, cuiuscunque tandem religionis existat è viuis excedat eius bona interdum etiam reclamantibus nationum Consulibus per vim sibi vsurpant, si non omnia, præcipua saltem, & pretiosiora, Par quoque conditio Saniacchis est, gradu licèt & dignitate inferioribus: vt enim illi prouincijs & regnis, sic hi vrbibus præsunt, instar Prætorum, ita tamen vt Bassæ imperium, in cuius prouinciâ sunt, agnoscant, eiusque mãdatis subjaceant. Saniach autem siue Sanzach Turcis vexillum est militari, à quo Saniacchi nomen habent: nam plerumque quùm ad expeditiones suscipiendas mandato Sultani euocantur, vexilla ante se gestari faciunt, cùm strepitu tympanorum, aliorumque instrumentorum stridulorum. Cæterum omnes hi magistratus, vt sunt pecuniæ auidissimi, ac nihil magis quàm lucrum quærunt, ita vt plurimùm iustitiam venalem habent, & plus offerenti palmam concedunt, nihilq; absque euidenti lucro agendum putant. Rarissimi quidem sunt qui se pecuniâ corrumpi non sinant, aut enormia hæc non committant crimina, & tamen iustitiæ obseruatores tenacissimi, & iudices æquissimi haberi & videri ab omnibus volunt. Eo verò liberiùs in huiusmodi incidunt scelera, suâque nequitiam atque iniustitiam faciliùs tegunt, cùm non desint è Turcis qui pretio publicè in iudicijs pejerent. Quinimo ex ipsis Seriphis inuenias plurimos, qui etsi virtute, vitę innocentiâ, atque etiam pietatis exemplo pręstare cæteris debeant, spe tamen lucri falsum reddere testimonium non verentur; atque in tantam venêre mentis insaniam, vt etiam perfidum dicere sacramentum pro consueto habeant, nec crimen esse putent, si pejerent, vt verè illis in prouerbium cesserit: Vnquam non deerit, testem qui quærit inanem. Ad hæc iniustis, falsisque delationibus (vulgus Auanias Turcicas vocat) vexare, atterere ac pessundare aduenas, quos vel diuites, vel pecuniosos nouerint, Turcis Maurisque vsitatum est. Adeò enim id vitium apud barbaros hosce inoleuit, vt perpaucos inuenias, qui malis his artibus operam non dent: non enim vitio aut crimini ducunt, si alienis

si alienis quis inhiet bonis, si ditari studeat, etiam cum damno proximi: nam quoquo modo quis lucrum quærat, per fas aut nefas, quibus denique mediis quis diues euadat, curant nihil; facile ipsis cum sit purgationis, & satisfactionis remedium. Imò & Subassij, qui tertium in ordine gerunt magistratum, & à Bassis Saniacchisve creari solent, quorum est in reos inquirere, deque sceleratis supplicium sumere, muneris sui prorsus immemores, sæpe miseros subditos circumueniunt, dolis, fraude, perfidiâ fallunt, radicitùs expilant, funestantque: vbicunque enim pecunias esse præsentiunt, eas tanquam odore canes insequuntur mendaciis, dolis, insidiis extorquere satagunt: satellitesque suos sæpenumerò subornant, vt innoxios accusent, ac crimina objiciant. Et hæc quidem eo liberiùs committunt, quòd supremos magistratus criminũ conscios, & pecuniæ iniustè à se extortæ socios habeant, eosque conniuere suis delictis certò sciant. Quare etiam si quis homicidium, aliúdve graue & capitale delictum commiserit, vnde iubente lege mortem mereatur, modò tantæ ei suppetant opes, quibus implere crumenam magistratibus queat, facilè immunis redditur, pœnam effugit, & à meritâ nece liberatur. Hinc quoque ditiores plerique in pauperiores securè grassantur, vim atque iniurias inferunt, calumniantur, & opprimunt; certi nimirum, quicquid tandem egerint, pecuniâ se pœnam composituros, debitamque punitionem haud dubiè effugituros. Inde etiam fit vt nisi in triobolares, laceros, & penulatos, seu infimæ conditionis homines, quibus nihil in bonis est, leges ipsæ locum nullum habeant, debitumque sortiantur effectum. Nam si quis horum hominem occiderit capitali plectitur pœnâ, si adulterium commiserit, Mahometæus cũ Mahometeâ, lapidatur vterque. Cum Christianâ verò si rem habeat Mahometæus, præposteræ asino impositus, caudæ manibus alligatis, per vniuersam circumuehitur vrbem, pueris, puellis, viris, fœminisque præter probra & contumelias, fœdissima quæque illi in faciem conjicientibus. Christianus autem cum Mahometæâ inuentus ignibus aut pali supplicio addicitur. In simplicem fornicatorem fuste animaduertitur. Furtum pari pœnâ plectitur: bis terve quaterve commissum manus aut pedis amputatione punitur: sepiùs autem quàm quater in furto deprehensus, gabalo adiudicatur, atque vnco suspenditur. In reliquis delictis talionis pœna obseruatur; nonnunquam tamen pro magistratuum arbitrio pœna minuitur vel augetur. Quia verò Pali & Vnci supplicium Occidentalibus incognitum & inusitatũ est; libet obiter vtrũque paucis hîc exponere. Cruces & patibula extra vrbes conspicias, in vrbibus nulla, formâ tali. Tres eriguntur trabes & æquali interuallo terræ infiguntur. His aliæ duæ trabes transuersariæ affiguntur; superior supremas partes erectarum trabium tegit, & innititur; in-

ferior medium occupat: huic Vnci ferrei tres prominentes paulò minus sesquipedem affixi sunt; superiori totidem annuli ferrei, qui subiectis vncis respondent. His funis immittitur, quo reus innectitur, & ad summitatem attollitur. In altum sublatus, mox fune laxato in subiectum decidit vncum, transfigiturque vel humeris, vel ventre, vel natibus, prout sors tulerit, atque ita hæret immobilis in tertium quandoque diem, prius quàm exhalet animam, ac mortem oppetat: cui si quis subuenire, aut mortem accelerare præsumat, eiusdem pœnè se reum efficit. Pali supplicio addictus palum ipsum vel inuitus ad locum supplicij defert, longum plerumque pedes octo, aut nouem, rotundum totum, mucrone acuminato. Vbi ad carnificinam ventum est, stipitem deponit, & vestibus exutus pronus diuaricatis cruribus extenditur. Adstant lictores, qui manus pedesque rei firmiter stringunt, ne loco se mouere vllatenus queat. Carnifex dein palum podici apponit; quem crebris mallei ictibus per hominem adigit, donec per humeros, caputvé, aut pectus erumpat. Palo hoc modo affixus erigitur: scrobique Palus infigitur: atque ita nonnunquam in tertium vsque diem summo cruciatu extremum spiritum protrahit: nec quispiam interim, pœnam veritus, misero vel aquæ guttulam porrigere, aut succurrere laboranti aliquo modo audet. Sed iam satis de pœnis. Ad magistratus redeamus Turcicos; eorumque perditos mores. Hi non solùm iustitiam omnem (vt diximus) venalem habent, sed & muneribus tam auidè inhiant, vt auxilium & subsidium omne, aut etiam fauorem muneribus venundent. Neq; enim, quisquis ille sit, siue Mahometæus, siue Christianus, aut Hebræus, si muneribus vacuus accedat se voti compotē fore speret: quinimò & aditus ei denegabitur. Dedignantur enim, & se negligi & flocci fieri arbitrantur, si quis eos sine eximijs muneribus aut donis accedere audeat. Priùs itaq; liberalē se exhibeat, & munus offerat oportet; deinde si quid velit, exponat: aliâs enim non auscultabitur. Surdas siquidem Turcici magistratus habent aures, quæ solis donis & muneribus aperiuntur. Hinc Iudiciarij Christianorū Consules, quotiescunq; nouus Bassa Alepum vrbem ingreditur, vt aditum sibi apud eum parent, splendidissima dona ei largiri necesse habēt, sicuti à Veneto Consule Alepi factum obseruauimus. Is enim fœlicem Bassæ aduentum gratulaturus, priusquā ad colloquiū admitteretur dono ei misit vestes sericas duodecim, laneas duas, candelas item cereas, ac vasa vitrea cristallina plurima. Par cæteris quoque Consulibus ratio est: nemo etenim immunis, nemo à munere præstando vacuus. Neque verò illa solùm occasione munera offerunt, sed quotiescunque nationis suæ indemnitatem vrgent, vel patrocinium aduersus Turcarum insolentiam iniurias, insidiásve, vel iustitiam exercendam in delinquen-

linquentes Turcas Maurósve Christianorum nomine postulant, præmittere dona coguntur, antequam ad colloquium admittantur. Dum verò Bassam adeunt, magnâ mercatorum stipati cateruâ accedãt oportet: id enim si negligant, ingrati habentur: opprobrio siquidem & ludibrio fieri ducunt Bassæ, nisi longo ordine comitum Consules accesserint. Non solum autem magistratus, sed nec priuati absque largitione quicquam præstare sunt soliti: oculatæ quippe omnibus sunt manus, & credunt quod vident. Hinc vsuræ immoderatæ illis quotidianæ, vt ne teruncium quidem absq; euidenti lucro alicui dent, & trigesimam quandoq; sortis partem & amplius quotannis accipiant. In summâ, pecunia (vnica Turcarum esca) nihil non apud barbaros efficit; Hac solâ allectantur, reconciliantur, placantur, & mansuefiunt. Hæc crudelitatem eorum delinit, feritatem mitigat, vindictam tollit, atque ex asperis & duris mites & humanos reddit. His dictis, cæteros eorum, itemque Christianorum in Syriâ degentium mores percurramus.

CAPVT XIIII.

Variæ quædam circa Syriæ indigenarum mores, & conditionem tam Mahometæorum, quàm Christianorum.

SYRIAE indigenę vel Mahometęi, vel Christiani, vel Hebræi sunt. Mahometæi in Turcas & Mauros distinguuntur. Turcæ vt plurimùm diuites sunt, & opibus præstant cæteris. Horum alij negociationibus incumbunt, alij Mahometææ Legis studijs addicti, vel Meschitis seruiunt, vel magistratus obeunt: alij vel ampla, vt Genizari, Spahi, vel Timariotæ, ab Imperatore merent stipendia, vel nobilium, seu primatum dignitate gaudentes, Begi titulo clarent. Mauri contrà numero præstantes (nam qui ruri degunt, oppidaque & pagos incolunt, ferè omnes Mauri sunt) mechanicis plerimq; artibus dediti (quarum omniũ opifices assequuntur egregios) manuum laboribus viuunt. Homines etenim industrij, laboris minimè pertæsi, atque inediæ patientes, sudorem ocio potiorem ducunt. Plurimi tamen vel mercaturam, vel agriculturam exercent, vel Meschitis inseruiunt. Reliqui vel Imperatori militant, vel seruilibus operibus sibi victum queritant, vel stipe emendicandâ vitam transigũt. Ad vnũ verò omnes imbelles, effœminati, inermes, molles, ac timidi vitam agunt inglorij, & Turcicum iugũ inuiti licèt, ferunt. Arma illis nulla, arcu, sagittis, & curuo ad latus pugione (quem *Cugnaram* vocãt) exceptis. Quo verò pugnaciores atque audaciores appareãt, dum iter agunt pectore & brachio dextro

nudi

nudi incedunt, indusio vesteque ad tergum reiectis: quo corporis habitu sibi mirè applaudunt, ac se viros putant, & bellatores egregios. Turcæ verò otiosam plerique agunt vitam, laboris pertæsi, & mechanicarũ artium osores, & rudes, commessationibus, otio, lusibus, potationibus, aliisque rebus friuolis integros dies absumunt. Nobiliores venationibus vt plurimùm dant operam, vel armorum exercitationibus equitationibus, hastarũ concursibus, vel latrunculorum lusibus tempus terũt. Hinc marcescentes otio, voluptatibus omnifariam immersi, nihil ferè præter Mercurium & Venerem tractant: quinimò, quòd in Venerem sunt ardentiores, eò se Mahometi gratiores esse arbitrantur; tantumq; Veneri tribuunt, vt etiam in carnis desideriis, ac cõmessationibus dies festos agi debere existiment. Cęterùm in familiari colloquio, ac mutuis officiis, & quotidianâ conuersatione satis humanos & ciuiles se exhibent: frequentibus namque honoribus se mutuò prosequuntur, & salutant sedulò, ac comiter. Minor maiori citò loco cedit, transeunti assurgit, caput inclinat, non aperit, sed manu dextrâ ad pectus applicatâ, vel capiti impositâ, capite inclinato honorem exhibet. Vulgaris autem Turcârum salutatio hæc est *Salam aleck*, id est, Saluet te Deus, vel Pax tibi: cui respondet alter *Alecieme Salam*, quasi dicat: Tibi quoque Pax, vel Reddat salutem tibi Deus, qui me saluum iubes. Maurorum hæc; *Sabalcheir*, quod nobis est, Fœlix sit tibi dies vel bonum manè: subjicit alter *Sanacheir afia*, hoc est, Et dies & annus vterque sit tibi fælix vel Tibi bona sanitas. Christianis salutem non imprecantur: hac enim illos indignos existimant. Obuio tamen, & maximè noto, aut cùm eius accedunt ædes, *Marchabà*, dicunt; quod nobis est Benè venias, seu Faustè adsis. Cæteroquin Turcæ omnes hospitalitate plurimùm gaudent, aduenas ad capiendum cibum sepenumerò liberaliter inuitant: pretiũ si quis exigat, rusticitatis maximæ loco ducunt: cuius rei & nos in itinere sæpè experimentum fecimus: nam ad cibi comestionem & communionem frequenter inuitati, assentientes eis grati fuimus: renuentes verò despecti. In eo quoque laudandi, quod nullus tam durus casus eis cõtingit, vt fracti impatientiâ redigantur in blasphemias; id quod (proh dolor) apud Christianos nimis commune est. Verum quicquid Turcis Maurisque euenerit, non stomachantur, vt plerique apud nos solent, sed illud habent in ore *Suphan allah*. hoc est Laus Deo. Vulgare Syrorũ idioma Arabicum est: in vrbibus autem oppidisq; primariis etiam Turcico vtuntur, maximè Turcæ, primatesque viri, & Milites Genizari: qui & Arabicam quoque callẽt linguam, quam quidem maximi æstimant, nec in minori pretio habent, ac nos Latinam: nullumque ferè inuenias Turcam, nobilem præsertim & honestiorem, qui Arabicum ignoret idioma, etiam extra Syriæ prouinciam: quinimò adeò omnibus cordi est,

est, vt eo passim instrui liberos curent, quò doctiores euadant, Legisq; sui Mahometis incumbere studijs cōmodiùs queant. Hac enim linguâ sacrâ ipsis volumina conscripta sunt, hac preces publicæ, & priuatæ, Psalmi item, Cantica, hymniq; in Meschitis fiūt. Publicæ idcirco per vrbes passim spectantur Scholæ, vbi pueri Arabicis literis dant operā. In hoc autem toti sunt, vt à primis annis ad verbum ediscant Alcoranū, & infigant memoriæ librum, quē nō intelligunt. Neq; verò vllis in Scholis hîc comparet codex; sed ludimagister è memoriâ depromit pensū, & in tabula ligneâ describit: id puer reponit in animo, & postridie alterum scribitur pēsum: donec anni aut biennij spatio totū ediscat Alcoranū; ideoq; multo plures reperias qui teneant sic Alcoranū, quàm qui ipsum habeant domi codicē. Post hunc ad verbum ediscunt libellum, in quo præscriptæ sunt gentis cremoniæ: nec tamē eis quippiam declaratur, nisi quantū assequuntur commercio sermonis vernaculi, qui tametsi distat multū ab ea ratione quæ conspicitur in libris, tamē magnum adfert aditum ad percipienda pleraq; vocabula. Hinc iam pergunt ad Grammaticā, quæ mille distichis composita est. Hunc versuum Chiliadē tabulis suis commendant memoriæ, & quotidie apud præceptorē pensum reddunt: nā in Scholis nullus compâret codex. In hac Grammaticâ fermè biennio aut triēnio versantur. Inde ad altiora pergūt alijs in scholis. Sūt namq; & alij in vrbibus Ludi Literarij, quos doctiores, & in Grammaticâ iam versati frequentāt, in ijsq; Mahometis sui atq; Imperij ciuilibus politicisque Legibus student, & doctoribus scholasticis insudāt, vt postea ad magistratus obeundos digniores reddātur. Liberalibus studijs nullā nauāt operam: neq; enim Philosophiā, aut Medicinam, vel Mathesim, aliasq; artes liberales quicquam curāt, sed negligunt prorsus, atq; inutilia studia putant. Pauci saltem Dialecticam, Rhetoricam, & artes reliquas attingunt. Etsi verò inuenias aliquos, qui Medicinam calleāt, profiteanturvé; quam ex Auicēnæ, Hippocratis, & Mesue libris Arabicè conscriptis hauriunt, rarissimi tamen eam exercēt, manēte interim Medicinæ studio vt plurimùm apud Hebræos; qui vbiq; ferè locorum apud Turcas & sub Turcicâ ditione eam profitentur, & exercitant. Hi namque linguarum peritiæ studiosiores quàm Turcę, Mauriq;, Hebræorum, Græcorum, atque Arabum scriptis adiuti, luculentiùs Medicinæ artem addiscunt, doctiores & peritiores euadunt cæteris Orientis populis: adeò vt & ipse Imperator eorum operâ in re medicâ, cæteris posthabitis, vtatur. Versibus autem cōponendis vtraq; linguâ & Turcicâ & Arabicâ multi cū Turcæ tū Mauri tempus omne impendunt: quibus egregia & præclara suorum Imperatorū, ac Ducum, & fortium virorum gesta factaq; enarrant, laudesque sui Mahometis decantāt. Typographos nullos habent, prælaque ignorant.

rant. Hinc libri eorum non typis excusi, sed à publicis Scribis cõscripti prostrant: ideoq; & rariores & cariores habentur. Magni autem laboris est hîc aut emere codices, quòd nullæ sint tabernæ librariæ, aut hinc istas merces auehere; ideoq; difficillimum parare supellectilem librariam. Eâ verò ratione calcographos nullos admittunt, quòd perniciosos & Reipublicę & Fidei esse autument: Hinc enim Fidei nostræ scismata & hęreses pullulare aiunt. Scribarum pleriq; supra genua scribunt, non pennis anserum, vt nos, sed calamis, more veterum. Chartâ verò vtuntur non è membranis, aut linteis nostro more confecta, sed gossypinâ, eaque candidissimâ, & leuigatâ, quam supra asserem complanatum, cote, seu dente, aut conchyli aliquo mirificè poliunt, & nitidã reddũt. Mos hic scribendi & chartæ vsus omnibus passim Orientis populis communis est; Scribis præsertim & Chiecagijs, qui ingẽs eo munere sibi lucrum comparant. Chartas autem Occidentalium more haud quaquam complicant, sed in longũ protensas conuoluunt; conscriptas ad alios vsus non accommodant, sed religioni habent, & crimini vertunt si quis id faxit: putant enim Dei nomẽ despici si fortè in ijs descriptum fuerit. Pleriq; syngrapho non suâ manu subscribunt, sed sigillo æreo (cui nomen cuiusq; proprium insculptum est) atramẽto madefacto id firmant. Sigillis tamen Occidentaliũ more vllis in literis non vtuntur; sed contenti nudis literis, si nomen adsit mittentis, vel syngrapha, cætera vana reputant. Cæterùm cuncti matrimonium ineunt, & vxorati sunt etiã Ecclesiastici, exceptis Drauisijs: quibus cõnubia licèt vetita sint, adulteria tamen, & stupra, ac nefanda cõtra naturã peccata impunè committunt. Neque vnâ contenti, etiam duas, tresvé & plures sibi copulant Mahometæi vxores. Mahometæa siquidem Lege quatuor cuiq; legitimas simul ducere vxores permissũ est. Has etiã prout libet dimittere, aliamq; in locũ missæ subrogare liberũ est: eâ tamen lege, vt quaternũ repudij numerũ non excedãt. His pellices, & mãcipia, quotquot volunt, atq; alere possunt, adiungũt, quæ illis velut vxores secũdę notę sũt. Lex enim Mahometęa emptas aut bello captas tot habere cuiq; permittit, quot quis nutrire præualet: illasq; pro voto vti, & reuendere pro arbitratu, modò steriles fuerint, haud quaquã grauidas: quã enim herus ex se grauidã agnoscit, hæc seruitutis excusso iugo libertatẽ perpetuã adipiscitur, neq; ampliùs seruituti obnoxia reddi, aut reuendi, sed donari tantùm potest. Neq; solùm extraneas fœminas, sed agnatas quoque & affines ducere vxores Alcorani edicto conceditur, quod eâ ratione institutum dicunt, vt genus vniuscuiusq; propagetur, & ex duplici coniunctione amicitia inter eos firmior reddatur, mutuaq; beneuolentia commodiùs conseruetur. Nec mirum cuique videri debet Mahometæos omnes tantoperè intemperantiæ

perantiæ & rei venereę esse deditos, ac velut bruta pecora solam carnis voluptatem, solam libidinem spectare, cùm & ipsum Mahometem eorum Prophetam, effrenis licentiæ hominē, & planè belluinū sexdecim aut septem supra decē vxoras habuisse auctores tradant, tredecim saltem Chronicon Turcicū ei fuisse vxores non dissimulet, quibus & cōcubinas plurimas adsciuisse, atq; etiā aliorum vxorum adulterio se polluisse scribunt historici. Quæ tamen omnia sua adulteria, scortationes, & libidines Deo adscribere, ac tantæ fœditatis Deum ipsū auctorem constituere, ac iactare patronū nō est veritus. Deū enim hæc sibi omnia concessisse, & sibi vni decē aliorū prophetarū in coëundo virtutem & fortitudinē tribuisse audacissimē ausus est gloriari. In contrahēdis verò nuptijs non nostratium more Sponsæ à parentibus dotatæ Sponsis offeruntur, sed Sponsi, siue Turcæ, siue Mauri, dotē Sponsæ constituunt, & propemodùm à parentibus emunt, quæ quidē cōsuetudo apud omnes Orientis Christianos etiā viget, eamq; veteribus vsitatā fuisse sacræ produnt Literæ. Noua nupta, pridie quàm cum viro congrediatur, solemni pompâ numerosâ propinquorum comitante catervā, accensis prælatis cereis, ad balnea procedit. Postero die Sponsus dona Cadio mittit, petitq; de dote iam solutâ dotale sibi confici Instrumentū. Hac vestes, & ornatus omnis muliebris, cæteraq; ad vsum Sponsæ necessariâ comparantur. Mox Sponsi Sagosius, nos Paranymphum rectè diximus, plurimis comitatus Sponsi conuiuis, instrumentisq; musicalibus ædes Sponsæ adequitat, & sumpto cum suis in ipso vestibulo, aut impluuio domus ientaculo, Sponsam euocat, quàm à patre sibi traditam, equo imponit, atque ad ædes Sponsi ducit, egregio apparatu. Præcedunt tibicines, & tympanistæ: subsequūtur varij generis vtēsilia, omnis supellex Sponsæ, omnisq; ornatus muliebris, equis (qui à Sponsi Sponsæq; mancipijs manuducuntur) imposita. Inter hæc media sub vmbellâ equitat Sponsa, velata facie, ac telâ gossypina tenuissimâ obuoluta, cuius vtrumq; claudunt latus Sponsæ pedissequæ, & nutrices plurimæ, pedites omnes, luctuoso vlulatu & voce stridulâ hæræ deplorātes virginitatē. Illa interim cuicunq; obuio, noto maximè honorē exhibet, capite nonnihil inclinato, quod aliàs fœminis nō licet. Accedēs ad limē Sponsi ex equo deponitur: cui obuiam Sponsus occurrit, gratulabūdus excipit, & ad penetralia introducit; nuptiasq; eo die cùm amicis celebrat, fœminis à viris separatim epulantibus. Cœnâ completâ choreas ducunt, & tripudijs terunt tempus. Post horas aliquot à Sagosio ad Sponsi thalamum ducitur, traditurq; Eunuchorū custodiæ: mox ab accedēte Spōso deuelatur: quæ si ipsa exuere se vestibus recuset, aut differat, à Sponso eiusvé à cubiculis exuitur, & lecto imponitur. Postridiè rursū cū suis balnea repetit, minori tamen ac consanguinearū tantum comitatu; lota denique ad domum mariti læta reducitur. His quidem

Gen. c. 34

ceremonijs nobiliores fœminæ nuptias celebrant, cætere non item. Id vnum ab omnibus obseruatur, vt dotatæ priùs ac lotæ maritis tradantur. Quòd si quandoque Turcarum Maurorúmve quispiam tædio, vel leuiori quâuis causâ, imò nullâ, ex primarijs aliquam sibi ampliùs habere vxorem nolit, solutâ vel parentibus vxoris, vel ipsi vxori dote, Cadij accedente auctoritate, dimittere eam, atque aliam ducere pro arbitratu potest. Fit enim sine vllâ culpâ diuortium, modò dotem certam initio pactam maritus dimissæ coniugi persoluat; concessâ interim dimissæ alteri nubendi facultate. Neque semel tantùm vnam eandemque repudiare coniugem cuique fas est, sed & tertiùm dimittere, ac denuò recipere, modò alteri interim nupserit, permittitur, vltra nequaquam, nisi infamiæ notam subire quis velit. Hinc facilè videre est non magis firma esse apud Turcas virorum & mulierum coniugia, quàm impuros vulgò prostitutarum & scortatorum amores. quinimò æquè leuibus de causis matrimonia dissolui, vxoresq; à viris rejici, quàm apud nos morosi & imperiosi domini dominæve suos ex ædibus famulos famulasq; sibi non ad nutũ seruientes expellunt. Adeò vt ob tantam diuortiorum crebritatẽ, & vxorũ leuissimis de causis mutationem, eò spectare Turcarũ matrimonia iure dixeris, non vt pietati, sed spurcitiæ, nõ spiritui, sed carni, nõ vni Deo cœli, sed Ventri, & Veneri, & Cupidini seruiatur, hominumq; impotentiũ immoderatæ intẽperantiæ quàm laxissimè remittantur habenæ. Plures autẽ cùm alant vxores, quibus singillatim quotidie victũ distribuunt, auaritia immẽsa, summa discordia, contẽtiones, rixę continuæ, illos torquẽt, quas demũ diuortia plurima, & de repudijs controuersiæ ferè infinitæ (vt diximus) sequũtur. Vtrisq; enim & viris & fœminis vel quauis datâ occasione, etiã nullâ interiectâ causâ, quouis tẽpore diuortiũ petere cõceditur. Hinc verò filij quandoq; parentes, ijdemq; filios suos non cognoscunt, ac nullo idcirco amore se mutuò prosequuntur. Christiani Orientales, itemque Hæbræi, vnicâ vxore contenti, polygamiam non admittunt. Fœminæ tamen, lotæ priùs & dotatæ à viris, vti & Turcę, matrimonia ineunt. Cæterùm Christiani Syriæ indigenę (qui quidẽ per vniuersam Syriam plures sunt quàm quis credat) ob diutinã cũ infidelibus cõsuetudinẽ (ex cõuictu enim vt author est Seneca, mores formãtur) plurimi immersi vitijs, nihil præter nomẽ Christianũ præ se ferũt, peiores quãdoq; ipsis Turcis, ac Mauris. Non tamen omnibus eadem conditio est: sunt enim multi vitæ sanè exemplaris, synceri admodùm, simplices, & hęreseos nescij, Christo in primis deuoti, ac carnẽ ieiunio macerantes, quibus & Mũdus mortuus est, & ipsi mũdo, adeoq; virtutibus dediti, vt etiã quandoq; moribus & vitæ sanctitate nostræ religionis monasticos lõgè superẽt. Licèt autẽ varijs, exactionibus, oppressionibus, iniurijs, &

oppro-

opprobrijs à Turcicis Magiſtratibus, lucro plerumque inhiantibus, indies vexentur, deprimantur, & affligantur, vilipendanturque ab omnibus cùm Turcis tùm Mauris; ſub iugo tamen viuere aſſueti, ac libertatis commoda prorſus ignorantes; ſecum optimè agi putant, ſuamq; cæterorũ gentium conditioni longè præferunt, ac ſe ſolos fælices arbitrantur; quinimò ſe longè beatiores Occidẽtalibus prædicant, quod fæliciores ac tẽperatiores regiones inhabitent, cùm tamen omnium miſerrimi atque infæliciſſimi habendi ſint, quibus ipſa miſeria pro ſolatio eſt. Quid enim acerbiùs quid calamitoſiùs euenire alicui poſſit non inuenio, quàm per tyrannidẽ ſepenumerò bonis ſpoliari, ſtuprari filias, abduci filios, eoſq; in auitæ fidei ac proprij sãguinis perniciẽ educari; denique vapulare innoxios, & quibuſvis barbarorum exponi iniurijs; neque tamen vel hiſcere quidem audere. Atqui his, alijſque malis calamitatibuſq; premi pleroſq; Orientalium manifeſtum eſt: neminem tamen reperias, qui de illatâ iniuriâ, aut vi, vel damno accepto apud magiſtratus Turcicos conqueratur, cum nulli tutus ad iudices pateat acceſſus: id enim ſi quis facere præſumat, priùs omnem conſumat ſubſtantiam, vitæ etiam incurrat diſcrimen, quàm ſuis rebus afflictis auxilium ferat, vel maximè verendum eſt: fraude nimirũ & potentiâ Turcarũ omnia confundente. Interim hoc vnicum miſellis in hac lernâ malorum ſolatium ſupereſt, quod publicũ Religionis Chriſtianæ exercitium impunè omnibus permittatur. Habet namque ſua quæque natio & Templa & Oratoria, vbi ſacra peragere, & conuenire religionis ergo libere poſſunt. Lex enim Mahometæa Chriſtianos cuiuſcunſque generis ſub Imperio Turcico degentes non attigit, niſi vſque eò vt neminem à Lege Mahometis dehortentur, cæterùm omnibus liberum eſt ſuæ quibuſque Eccleſiæ parere decretis. Hinc heri famulos, parentes liberos, & Epiſcopi ſubditos quotidianis exhortationibus admonent, excitantque, vt in ſuâ quiſque Fide conſtantiſſimè retinendâ ad mortem vſque perſeueret. Licèt autem Patriarchæ vel Epiſcopi Chriſtiani ſub Turcâ degentes Romam quandoque ſe conferant, vt à Pontifice Romano vel vngantur in Epiſcopos, vel ab alijs iuncti confirmentur, vel ſuam Eccleſiæ Romanæ ſubiectionem, & cum eâ cõmunionem confiteantur; nunquam tamen quiſquam illorum damnum aliquod eâ de re paſſus eſt. multò minùs à magiſtratibus Turcarũ vel in carcerem coniectus vel ſupplicio affectus eſt. niſi prætextu relligionis aliquid contra Rempublicam eos egiſſe conſtiterit, aut eâ de causâ apud Magiſtratus Turcicos fuerint accuſati. Quinimò nec religioſos Romæ in academijs educatos, literis imbutos, & ſacris initiatos, cùm in patriam reuerſi ad dignitates eruditionis ergò promoti fuerint, vllâ iniuriâ vnquam à Turcis acceptos, aut detrimenti

 menti

menti quicquam hactenus à magistratibus Turcicis sustinuisse quisquam intellexit. Præter publicum autem religionis exercitium etiam arcum ligneum, ac tela, sagittásve Christianis Orientalibus, cùm iter faciunt, gestare, ædificare domos, agros colere, vineas plantare, armẽta possidere, propriaque re vti omnibus liberũ est. Neque tamen hæc gratis concedi quis putet, sed soluto à singulis tributo annuo, alijsque præstitis & angarijs & vectigalibus, fisco pensitari solitis, quibus omnes nemine excepto redduntur obnoxij. Sunt autẽ varia apud Turcas tributa, vt vectigalia publica: pro cuiusq; tamẽ magistratus arbitrio modò maiora modò minora. Ordinaria, vti accepimus, hęc sunt. Quotãnis singuli patresfamilias pro cuiusq; capitis redẽptione Cechinũ siue Sultaninũ aureũ soluunt. Si parentes soluerę nequeant, ad liberos suos in seruitutẽ vendendos compelluntur. Alij cathenis vincti ostiatim obãbulant, vt stipem emendicent. Quod si nec ita quidem soluendo sint, perpetuis carceribus mancipantur. Adhæc pro Oue, Caprâ, aut Vitulo Maidinos quinque: pro Boue, Equo, aut Camelo tria Saiata: quartã item partem fructuũ, quos colligunt, in publicum inferre horreum, aut ære redimere coguntur. Mechanici quoque de suo quæstu quartas dependunt. Pro domo, si quis propriã habeat, pretio domus ęstimato, certùm annuũ tributum publico exactori pendit. Cùm nos Alepi hæreremus, inter cætera maximum à Bassâ Alepino Christianis vrbis incolis impositũ fuit vectigal: quo taxatis domibus pro cuiusque valore, quisque semestris locationis pretium soluere cogebatur. Publici exactores seu Publicani, *Emini* vulgò appellati, vt plurimùm Hebræi sunt, gens exationibus & vsuris supra mortales cęteros dedita. Hinc *Scifut*, id est Cornuti per ignominiam dicti, odio ab omnibus, cùm Christianis, tùm Mahometæis habentur, quùm ipsi etiam Turcæ paulò syncerioris homines cõscientiæ, nolint audire publicani; non aliter ac si cũ infamiâ coniuncto propter aliorum nequitiã nomine virũ bonum appellari nefas sit, etiamsi præter officium nihil ipse faciat.

CAPVT XV.

Variæ Turcarum monetæ: earumq; genera & pretia.

FREQVENTEM suprà Turcicæ monetæ mentionem fecimus, pretiũ tamen nullibi expressimus. Locus idcirco hic postulat vt nummorũ Turcicorum valorem breuibus explicemus, quo singulorũ pretium lectori innotescat, colligique possit qui nostrorum Principũ nũmis respondeant. Varia sunt apud Turcas Maurosq; Syriæ indigenas monetæ genera, argenteæ præsertim, vt æreæ, vnicum aureæ. Hanc Turcæ

Turcæ *Altumler* Mauri *Dahab*, Itali *Sultaninum* indigitant: respondet autē Venetorū Cechino, seu Ducato Vngarico; eiusque pretiun ratione tēporis, vel ab bellorū grauamina, vel alias ob causas Bassarum edicto modò augetur, modò minuitur. Cùm nos Syriā peragraremus valoris erat Maidinorum nonaginta; licèt paulo antè minoris extitisset pretij. Diximus hanc valore æquare Cechinum Venetum, & Ducatū Vngaricum: sunt tamen qui Gallica quoque atque etiā Hispanica scuta aurea iusti ponderis (etsi minùs apud nos valeant) pro Sultanino expendant. Monetæ argenteæ plura sunt genera: vel enim Sajat vel Maidini, vel Aspra, Turcicè *Achtsi*, nuncupantur. Asprum minus cæteris valet: id Turcis etiā *Osman*, Mauris *Atmene* dicitur. Duodecim Aspra decē Gazettis, vel viginti Marchettis, aut Solidis Venetis æstimātur: quæ nostris stupheris octo respōdent. Maidinus verò Asprum cum dimidio facit, ac nostrum Stupherum æquat: quinque Maidini; vel octo Aspra vnū Saiat conficiunt: quatuor Saiat duas libras Venetas cū dimidiâ, seu nostros Stupheros viginti valent: Saiat octo Ducatum Turcicū valoris quadraginta Maidinorū constituunt, duo Ducati cū semisse Sultaninū efficiunt. Præter Turcicos hos omnes Christianorū quoque Principum nummos argenteos admittunt plurimos; Ducatos argenteos Venetos, Taleros Germanicos omnis generis, Batauicos itē; & Regales Hispanicos; qui omnes eodē æstimantur pretio, valentq; singuli Maidinos sexaginta quinque, licèt apud nos pretio multùm inter se differāt; adeò vt talerus vnus cum semisse Sultanini aurei valorē ęquet. Ob tamē euidens atque ingens lucrū Taleri pręsertim Batauici eò plurimi aduehūtur, Cechini verò Veneti nulli penitus, aut rari, cùm pluris æstimentur Venetijs. Habent & Syri æneos nummos varij pretij; Zibit, Mangurem, Direm, & Nuccaros appellatos. Nuccari sex Maidinum efficiunt, Mangures item sex Asprum valent, vnus verò Nuccarus duobus constat Diribus, duo item Zibit vnum Direm faciunt. Hierosolymis, perque vniuersam Palæstinam Damascū vsque Maidini Cairenses in pretio sunt: valentque duplo plus cæteris Syriæ Maidinis. Hinc Cechinus siue Sultaninus aureus dum nos moram Hierosolymis traheremus, quadraginta quinque tantùm Maidinis ijs in partibus constabat, Talerus verò triginta estimabatur. Damasci nobis istac iter facientibus Cechinus centum & sexdecim Maidinos valebat; Talerus sexaginta quinque. Alepi sub discessum nostrum Cechinus ad centum & viginti Maidinos, Talerus ad sexaginta octo excreuerat. Cæterùm Turcicæ monetæ argēteæ pleræque adulterinæ sunt, vt etiam ipsi mercatores ijs recipiendis assueti probas ab improbis vix discernant. In Cypro insulâ Venetæ monetæ nummi & argentei & aurei indigenis in primis grati sunt, magisq; expetuntur

expetuntur quàm Turcici: quinimo Saiatos & Maidinos Syriacos omnino recusant, solaq; admittunt Aspra. In Cretâ cæterisque Veneti iuris insulis sola Veneta moneta in vsu est, eaque cum lucro expenditur; cùm majoris ibidem sit pretij, quàm Venetijs.

CAPVT XVI.

Priuatorum in Syriâ ædes, & habitacula. Variam ijs supellex, & circa domestica cultus.

DIXIMVS hactenus de varijs Turcarum Ritibus, Ceremonijs, Templis, Religiosis, Magistratibus, Publicis ædificijs deque priuatorum in Syriâ moribus, vitæ instituto, ac monetæ genere, & pretio: superest modò vt de Ædium in Syriâ qualitate ac conditione, Ciborum, item & Vestium genere aliqua subjiciamus; ac primùm de Ædibus Syriæ dicendum, & Supellectili variâ. Hæ vnius ferè contignationis sunt, paucæ duarum, paucissimæ trium, lapideæ pleræque: tecta non cuneatim coëuntia, sed plana, & pauimentis subdialibus ex contusâ testâ fistucatâ operta: quę transuersis trabibus sustentantur. Sacra Scriptura Domata vel Solaria vocat, nostræ leges etiam Solariâ vel Meniana appellant: suntq; vt plurimùm corona cincta, ne facilis in præceps lapsus sit. Ianuę ita humiles & angustæ, vt quisquam nisi incuruato corpore ingredi nequeat. Introitus aliqui profundi adeò atque obscuri, vt specus ingressum potiùs, quàm Domus putes. Frontispicia plateas adspicientiâ nullas fenestras habent, aut raras. Impluuijs pleræque ditiorum exornatæ; quibus lumen deorsum cubicula capiũt. Quadratæ præptereà formæ continent diætas, hieme ad Solem, æstate ad vmbram admittendam percommodas, magnifico sanè & fornicato operè constructas. patent ab vno latere, & nonnihil eminent, ternis quaternísve gradibus marmoreis, vel lapideis adscensum aditumq; præbentes: parietes marmore incrustati, pauimentum è marmore versicolore est; id tapetibus insternunt, quibus (calceis in ipso aditu relictis) more suo insident. Hic conuiuantur, latrunculis ludunt, confabulantur, ac quosvis illos conuenire volentes admittunt. Seris clauibusque vtuntur ligneis, non ferreis, vti apud nos moris est. Claues palmares, quadratæ, oblongæ, digitum crassæ; quarum alteri lateri extremo infiguntur claui ferrei quini, vel seni, aut septeni, pluréſve, prout seræ exigit ratio: qui certò spatio seiuncti quasi vnciam eminent. Claues hæ serarum foraminibus insertæ clauis infixis, illos (qui in serâ occuluntur mobiles & oppositi) eleuant: atque ita sera reseratur. Rara in his ædibus supellex, nullus aulæorum splendor,

1. Reg. 11. Prouerb. c. 21. 25. Leo Imper. Constat. vlt.

pictarum

pictarum tabularum varietas nulla, nullus insuper cathedrarum aut scamnorum vsus: non mensæ, non mappæ, non quadræ, non mãtilia, imò nec fulcra, nec capsæ, aliáve cubiculorũ ornamenta nostratibus vsitata. Ditiorum quidẽ cubicula tapetibus insternũtur, culcitris è bysso vel holoserico superpositis. Culcitris adduntur puluinaria, ceruicalia, & coopertoria serica, lintea nequaquam: eorum namq; vsum minimè cognoscunt. Arma pendent de parietibus. Cysta hîc tantum vna, atq; altera, eaq; viminea, & corio tecta. Rarissimi præter Bassas, scamna cathedrásve in vsu habent, easq; deauratas & holoserico vestitas. Plebeij vnicâ culcitrâ contenti, storeâ tãtùm suppositâ, humi decumbunt; tegumento autem gossypino, aut lineo depicto, & gossypio suffulto noctu se contegunt, & superioribus tantùm exutis vestibus, subuculâ, caligisque gossypinis induti, dormiunt. Mensa illis est corium rotundum, *Sofra* dictum, humi extentum: cui panem, obsoniaq; imponunt. Huic assident more suo, & velut bruta animantia, capite inclinato, auidissimè simul & immundissimè vorant. Ante cibum preces præmittunt. Panem non scindunt, sed frangunt. Tribus aut quinque digitis cibum sumũt, nunquam duobus: Diabolum enim hoc modo vesci stolidè nugantur: quem nequaquam imitandum censent. Honestiores tabulam rotundam, pediculo palmaris altitudinis affixam (quam *Tubaccam* vocitant) mensæ loco habent; eamque corio pro mappâ insternunt, & substratis storeis, vel tapetibus, aut paruis puluinaribus insidentes, cibum sumunt. Cœnâ peractâ, aut prandio, spongiâ madefactâ corium abstergunt, ac lauant: mox fune extremis infixo oris, veluti marsupium contrahunt; cui panem reliquum, ac cochlearia includunt, & in angulo cœnaculi suspendunt. Tenui autem victu contenti, non eos ciborum apparatus, nec tam varias dapes habent, neque ea celebrant conuiuia, quæ nostrates solent. Fœminæ cum viris nunquam aut rarò prãdent; sed separatis in cubiculis prandia sumunt, ac parcè admodùm victitant. Seruis duodecimum annum egressis mulierum ingredi habitacula non permittunt: sed minoris ætatis pueros adhibent: qui illis inseruiant, & necessaria quæq; deferant. Seruæ seu captiuæ vxoribus cohabitant, ijsque inseruiunt, & domi continuò latitantes manuũ operibus incumbunt, nec seruorum vti consuetudine, aut colloquia cum ipsis miscere vllo modo illis liberum est. Quinimò nec domo egredi, aut in publicum prodire conceditur: nisi cùm vel heras ad balnea progredientes, vel extra vrbem, orationis vel recreationis ergò exeuntes, comitantur. Inter empticios seruos seruasque matrimonium quidem permittitur: sed geniti ex illis vernæ fiunt, & vtriq; separatim ab heris cibum sumunt. Sed de ciborum genere nunc disserendum.

CAPVT XVII.

Varia apud Turcas ciborum genera, & coquendi modus: ac potiones variæ.

SIMPLICIBVS Turcæ Maurique, ac Mahometani omnes, & naturalibus cibis famem pellunt, nec curiosum conuiuiorum apparatum (vt diximus) vllatens curant; sed quàm diligētissimè fugiunt; quinimò epulæ eorum adeò simplici, adstrictaque apparatione fiunt, vt parciùs vel frugaliùs peragi nequeant: cùm & ipsæ Bassarum & Procerum lautissima conuiuia longè absint à communibus ditiorum apud nos mercatorū & nobiliū cœnis & conuiuijs. Nullæ enim secundæ mensæ, nulla bellaria, nulla hîc irritamenta gulæ, nullæ vini cōpotationes; adeò vt tātâ suâ frugalitate, tantaq; in esculentis & poculentis simplicitate non obscurè nimiam nostrorū luxuriam, nimiā epularum lautitiam taxare videātur. Quæ (eò proh dolor) creuit, vt non solū nobiliū & mercatorum mensas opiparas, variisq; dapibus instructas, sed etiam infimæ plebis ad epulas ac delicias parandas immoderatam suprà suas facultates profusionem vbiq; spectes. Quæ enim omnium ferè mentes de optimis cocis parandis, de venatu, de aucupio, de caponum saginatione, quæ ventri, luxui & libidini seruiant, inuaserit cura & sollicitudo, nemo non nouit. Neque his cōtenti, etiam vini generosi copiâ studiosissimè mensas instrui curant: certant cyathis, nimioquè potu se ingurgitant; & dum certatim Principum, aliorumque vitam & salutem propinant, ac magnos plenosq; cyathos epotant, propriæ sanitati officiūt, morbos sibi accelerant, nimiaq; vini ingurgitatione seipsos quandoque necant. Nec enim quis satisfecisse conuiuis putat, nisi cyathis & numina & amicos lædat, exemploque suo cogat alium, cui propinauit, alienæ fauere valetudini, vt suam mergat: à quibus omnibus Turcæ vel maximè abhorrent.

Quotidianus autem Turcarū Maurorumq; cibus panis est vt plurimùm frumentaceus, optimus Alepi, & Damasci: qui pondere vbique diuenditur, & plerūq; recens pistus. Caro item veruecina elixa, vel assata; quam minutim secāt, ossibusq; detrahunt, mox in proprio adipe, non additâ aquâ, lebetibus impositam coquunt, vel verubus affixam, & in minutulas partes concisam ad ignem torrent, assántve: vel concisam, adipe immixto, manibus subigunt, & artocreas conficiunt. Esculenta hæc in publicis opsolijs apud fartores & coquos in maximâ prostant copiâ: qui & omnis ferè generis legumina decocta, pulmētaq; ex Farre, Hordeo, vel Oryza, suo more præparata venalia habēt. Hîc quoque Pistores, Furnarios, Laniones, Oenopolas, & simile genus hominū, suas habentes officinas, cōspicias plurimos. Ab his minutula plebs victū quotidianum emere est solita: domi namq; cum nulla ferè vtensilia

silia ad coquendũ necessaria humiliores habent, ad publicas hasce culinas, quo cibos emant, se cõferant necesse est. Nullæ enim hic tabernæ hospitijs designatæ, aut publica diuersoria; in quibus indigenis aut viatoribus exteris cibus præparetur, vt in nostris videre est partibus; sed publicè in plateis prostant cibaria omnia. Caro præterea veruecina, salita, vel siccatta. Placentæ item ex Saccharo, Nucibusq; cõpositæ, Mala citrina melle condita, Mustum ad spissitudinem mellis coctum, Vuæ passæ, Caseus, & Butyrũ (quod quidem prius coctum animaliũ vtribus seu pellibus caprinis in vsus necessarios condunt.) Turcis Maurisque in cibũ cedunt. Herbis quoq; hortensibus fructibusq; Amygdalis, nẽpe Nucibus, Auellanis, Pistaceis, Pyris, Pomis, Ficubus, Vuis, Musis, alijsq; vescuntur vt plurimùm. Licèt autẽ in maximâ hîc reperias copiâ omnis ferè generis volucres, & domesticas & siluestres, Turtures præsertim, Perdices, Coturnices, Colũbos, Turdos, Gallinas, Anseres, Anates, Melagrides, aliasq;; raró tamẽ eas comedũt, cùm religioni id habeãt, & crimini ducãt. Patinæ, Lãces, Paropsides, Cucumæ, Ollæ, Cacabi, Caldaria, Sartagines, aliaq; vtensilia culinaria ænea sunt, stanno obducta: Cochlearia lignea, depicta vt plurimùm, formâ oblongâ & præacutâ. Mauri humiliores cochlearia nil curãt, sed digitis vtendũ & cibum sumendũ putant. Dum enim liquidi quippiã edent, & præsertim Oryzã coctã, digitis insimul cauè cõtractis, cochleare efficiunt, ijsq; pulmentũ sumunt, oriq; admouẽt, atq; ita cibo inter digitos per barbã defluẽte, vt sunt barbari, barbaro planè more vorant, deglutiuntque. Mauris aqua est potus, vino ipsis lege interdicto. Turcæ & maximè milites Genizari lege hac neglectâ, bibunt auidiùs vinũ quàm Christiani: quorum nocturna cõuiuia cupidè sectantur, & quandoq; integras noctes vino epotãdo absumunt. fœminis suis legẽ hãc prohibitoriã (licet fortè inuitis) seruandã relinquentes. Vinũ propterea siue rubrũ siue album) vtrũq. enim Syria producit) apud Turcas Maurósve vẽditur nullum: sed solis Christianis id venale habere, solisque Christianis diuẽdere, non Turcis Maurísve fas est. quòd si quis contra faxit, pœnam incurrit pecuniariam. Vtribus more veterum vina vrbibus inferunt, ac testaceis vasis sub terrâ defossis recondunt, conseruantque diu. Nonnulli etiam (vti Amanti obseruauimus) vitreis vasis in vsum necessarium lõgo tempore asseruant. Rotulam (mensura est Venetam æquans vini libram, ac sesquipoculum nostrum) Maidinis octo aut decem, nobis in Syriâ moram trahentibus, vẽdebant. Turcæ nobiliores, ditioresque aquam Saccharo dilutam vel succo Citrinorũ mixtã (*Zerbetã* liquor is vulgò vocatur) bibunt, eaq, sitim subleuãt. Vinum quidẽ negligunt, nõ vt legi obtẽperent, sed vel ideo abstinendũ ducunt, quòd ad multa mala impellere, ac cerebro in primis noxium esse cognoscant. Hinc illud

Memoriæ Mortē, & pestem, ac letale venenum appellant. Neque verò (vti apud nos moris est) potum cibo intermiscent; aut inter edendum bibunt, sed remotis vel absumptis iam cibis potant, ac veluti post diu neglectā sitim, pleno se vase proluūt. Sunt præterea aliæ potiones Turcis Maurisque vsitatæ, ex Melle & Vuis passis aquâ mixtis, quā *Hassap* vocant: ex hordei quoque & Frumēti farinâ in massam coactâ & aquâ decoctâ. Posco vel poscet appellata, nec non ex Musto cocto aquâ di luto: quibus æstiuo tēpore Niuem injiciunt, vt magis refrigerent. Adeò verò hisce potationibus publicis in diuersorijs quandoque indulgent, ac in tantum eas protrahunt, vt non minùs inebrientur quam nostri Zythopotę ac vētres cereuisiarij ceruisiâ. Ad hæc quotidianâ quâdam vtuntur potione, quam *Cahua* Arabicè indigitant. Itali *Cauo*. Aqua hæc instar atramenti nigra, gustu amara, in herbæ cuiusdam semine (cui *Cahua*, vel, vt alij volunt, *Bunnu*, seu *Bunchi* nomen est, & in Ægypto copiosissimè nascitur) decocta, stomacho prodesse, corroborare cerebrum, ac noxium expellere humorem fertur. Semen id molâ trusatili priùs cōtusum vel cote contritum, aquâ decoquitur, in hunc ferè modum. Sesquilibram seminis viginti libris aquæ immiscent: quàm ad dimidiæ partis consumptionem bullire sinunt; eamque calidissimam, ac ferè bullientem fidelijs Indicis vulgò Porcellanis bibunt, vel potiùs guttatim sorbent, sibique inuicem propinant, tam lentè vt interdum integrâ horâ vnā fideliam vix epotent, exhauriántve: quòd quidem eâ se ratione facere asserunt, ne simul & feces, quæ paulatim sidunt, ebibant: eas siquidem, vti noxias, absorptâ aquâ abjiciunt. Sunt ex plebe quam plurimi qui Bazarros viasque publicas, matutino præsertim tempore percurrunt, aquam hanc venalem circumferunt, & foculo supposito calefaciunt, calefactam poscenti porrigunt, nec nisi calidissimam præbent. Nulli siquidem vitio vertitur, aut dedecori, cuiuscunque demum conditionis aut religionis sit, si eam in publico bibat. Ad publicâ verò diuersoria singulis ferè horis aquæ huius (cuius sunt appetentissimi) potandæ causâ infiniti conueniunt, & confabulationibus terunt tempus. Adsunt præterea in vrbibus plurimi, qui Capras circumducunt, ac caprinum lac publicis in vijs diuendunt, & modò mulsum ac tepidum cuique poscenti porrigunt. Sed iam satis de cibis ac potionibus, vt de vestibus nonnihil dicamus.

CAPVT XVIII.

Vestes Turcarum, Maurorumq́: itemque Christianorum & Hebræorum habitus: & in quibus ab inuicem secernantur.

TVRCARVM Maurorumque vestes eandem referunt formam, talares

lares ferè omnes, non concisæ, sed integræ, manicis in terrã defluentibus: in eo solũmodo differẽtes, quòd aliæ alijs laxiores splendidioresq; sint, pro cuiusq; cõditione. Omnes quidẽ bysso & serico se vestire, quocunq; colore tinctis, excepto viridi, liberè ac licitè possunt, modò vires suppetãt. Præter sericas, ac laneas, gossypinasq; etiã ex panno cymatili seu vndulato (Zambellotam vocant Itali) vestes habent. Is ex caprarum pilis cõtexitur &, Ancyræ præsertim (quæ vrbs Galatiæ est, hodie Angori vulgò dicta) egregiè laboratur, atq; omniũ præstãtissimus habitus per vniuersum ferè orbẽ abundãtissimè distrahitur. Supremã vestẽ vulgò *Spahi* appellatã, nonnulli pellibus magni pretij suffultã, alij simplicẽ tãtùm, lineâ vel gossypinâ telâ subplicatã, oblongis, strictisq; manicis, ad talos vsq; pendẽtibus (quas in humeros aliquãdo rejiciũt) gestãt. Vtuntur & aliâ superiori, nõnihil à priori differente quã Dulimannũ appellant, medijs manicis cubito tenus largioribus. Interiorem vestẽ, vulgò Iubã, (quam gossypio pleriq; sufficiunt) alioqui talarẽ, quidã ad mediam vsq; tibiã descendentẽ gerunt, posticâ nõnihil excedẽte anticã. Hanc fluxiore cincturâ, siue Zonâ byssinâ, vel gossypinâ leuiter stringũt, discincti cætera. Humiliores pleriq; pecuniã Zonis inuoluũt, veteres sequuti, quibus in more positũ fuit, vt pecuniã Zonis cõderẽt, quod & sacra pagina testatur, Domino ibidẽ Apostolis prohibẽte ne aurum néve argentum aut pecuniam possideant in Zonis suis. Interior *Matt. ca 10.* hæc vestis, vt superior, integra, nullas cõcisuras habet, vtraq; collariis caret: collũ propterea dum iter agunt, cõtra solis æstum linteolo vel sudario cingunt. Sunt autẽ Turcarum vestes siue sericæ, siue laneæ, lineæve, aut gossypinæ, coloris omnigeni, vnico excepto atro colore, cuius nullus apud eos Maurosq; est vsus. Hunc enim vti funestũ, & turpẽ contemnunt, vilipenduntq;, ac solis idcirco Christianis Occidentalibus vtendũ reliquunt, cùm etiam Orientales Christicolæ eum abhorreant. Thoracẽ nostratibus vsitatum prorsus ignorant, eius tamen loco laxâ vtuntur subuculâ vmbilico tenus, quam ab anticâ duplicato cõplicant. Brachas caligis adhærentes, iis non absimiles, quas vulgus Italûm apostolicas appellat, induũt, easque ligulis astrictoriis subuculæ non alligant, vt nos thoraci nostras, sed leuiter tantum gossypinâ fasciâ stringunt, firmãtque. Caligas verò etsi laxas fluxasque gerãt, nullâ tamèn fasciâ crurali (vti nobis vsitatum est) subcingunt. Æstate subligacula ex gossypinâ telâ laxiora, & ad talos dependentia gestant. Calceos simplices è corio cæruleo, vel flauo caligis assuunt. His crepidas *Babus* dictas, subtus ferratas, atque in fronte acuminatas superaddunt. Indusia pleraque gossypina sunt, sine collariis, manicis duplo laxioribus nostris, ditioribus è telâ gossypinâ tenuissimâ, pauperioribus ex viliori materiã: quorum extrema humiliores aliqui non subligaculis

cõdunt, ſed ſupra femoralia pendula relinquunt. Dum verò iter agunt, aut obequitant, ocreas induunt genuum tenus. Tulipantho etiam pluuio maximè cœlo, acuminatum pileum prçaltum, plures habẽtem plicas, ex rubrâ vel albâ materiâ imponunt. Tunicis adhæc & aliam ſuperinjiciunt veſtem, *Gepenecam* vel *Iamurluchion* appellatam, à prioribus non multùm diſſimilem, laxiorem tamen, longioremque, ad arcendas pluuias, niues, gelu, cæteraq; aëris incõmoda aptiſſimam: quâ & noctu in Chanis ſtraguli loco vtuntur. Pauperiores plerique cùm capſarum vſum prorſus ignorent, ſi quas habent veſtes, diſtentis funibus ſuperextendunt, ditiores ciſtis vimineis corio obductis includunt. Capitis velamina apud Turcas varia. His enim optimates à plebeis, militibuſq; diſtinguuntur: his & optimatum inter ſe diſcrimen dignoſcitur. Baſſæ namq; & Saniacchi Tulipãthum ferunt ex telâ Indicâ tenuiſſimâ, arachnidis telis tenuitate cõferendâ, & candidiſſimâ, varijs circumflexionibus & gyris mirâ arte contortâ, formâ oblõgâ potiùs nonnihil quàm ſphæricâ. Muphtis, Cadileſcheri, Dephterdarij, ac Cadij omnes ſphæricum ac Baſſarũ Tulipantho longè maius, ex ſexaginta nonnunquam & amphùs goſſypinæ telæ tenuiſſimæ conſtans vlnis, ſpiris aptatum cãdidiſſimis, Primates cæteri, Chelibegi nuncupati, Santoni, Seriphi, Hoggij, & Taliſmanni eiuſdem ferè formæ habent tegmina, ſed paulò minora: Seriphi ex goſſypinâ telâ viridi, cæteri ex albâ, Mercatores, ac reliqui ciues, & incolæ, inferiorẽ Tulipanthi partẽ nonnihil planã habent, ſuperiorẽ in rotunditatẽ deſinentẽ, multiſq; gyris ſinuoſam, viginti vt plurimùm vlnarũ lõgitudinis; in reliquo prioribus nõ abſimile, minori tamen formâ. Reliquus populus ſeu minutula plebs pileolo cineraceo, è camelorum pilis, vel rubro è lanâ caput tegũt: quod ſpirâ ex telâ goſſypinâ circumuinciunt, apice eminentiore, & intecto. Chiauſij Imperatoris aulici, Baſſarũ item & Saniacchorũ, qui prçconũ munera, ſubeunt, inter cæteros Tulipãthi formâ emicant. Eminens enim ſupra lineum velamẽ inſtar diadematis geſtant pileolũ, ex holeſerico rubro, goſſypio ſuffultum, & confarcinatum; quod in rotundã deſinens formã Tulipãtho ſummũ addit decorẽ. Genizari, dum Zarculis non vtuntur, (quod prçcipuum illis eſt capitis tegmẽ, cuius formam alibi deſcripſimus) purpureo ſtrictoq; pileolo, quam Tachiã vocant, caput operiunt: quod candidis tenuiſſimæ telæ inuoluunt ſpiris, vt tamen cacumẽ nudum ſupereminеat Genizarorum ſerui, atq; Bedoini, & Arabes plurimi pileolum nigro & vel rubro vittarũ volumine contegunt. Cæterùm Mauri tenuiores, à pueris inediç & laboribus aſſueti, nec caligis vtũtur, nec ſubligaculis, nec frigus metuunt, nec æſtum maiorem; autem vitæ ſuæ partem nudis peragunt pedibus, niſi frigus nimis intenſum ſit, vel via cœnoſa; tunc enim vel crepidas, vel calceos induunt. Hinc plurimi

calca-

calcanea callo obducta, rimisq; scissa habent. Vilibus verò è lanâ amicti vestibus, surarum tenus (quas *Gabà* vocant) manicis vt plurimùm carẽtibus, superiorem discinctam ferunt, interiorẽ vix ad media genua protensam, longâ lataq; Zonâ è corio cingunt, quã tamen indusium longitudine superat Neq; enim (vt supradictum est) indusia aliqui subligaculis condunt (vti apud nos moris est) sed pendula ferunt, quorum manicæ adeò laxæ sunt, vt vrgente frigore manus per eas ad nudum pectus facillimè complicent, ac calefaciant. Ex pannis laneis *Meska* vulgò appellatis, quos ex caprarum seu asinorum pilis rudi modo texunt, limbis nigris albidisq; diuisim interuenientibus, Mauri cæteriq; tenuioris fortunæ homines non solum vestes, sed & saccos conficiunt, in quibus commeatum omnem per vias deferunt, & Muchari animalium pabula condũt, eorumq; tergoribus supernjiciunt: cuiusmodi idcircò antiquis Hebræis cæterisque Orientis populis & cilicia & saccos fuisse putauerim: quibus dum vel mortuos lugerent, vel crimina sua plangerẽt aut pœnitentiã agerent, se induisse sacra Scriptura memorat. Christiani Orientales, etiã opibus afluẽtes, vilibus & sordibus pleriq; induuntur vestibus, eiusdem tamen formæ, cuius & Mahometæi. Plurimi tunicã gestant superiorẽ è lanâ manicatam duplam genu tenus, cuius suffultura candida est, exterior verò pars colore infecta: aliqui pelliceam arietinam & candidam & rubram habent, interiorem ex lino gossypio suffultam: vel ex lanâ coloris ciner acei talarẽ. Occidentales verò necnon Hebræi eadẽ vti & Turcæ ferunt genera vestiũ, soloq; capitis tegmine à Turcis Maurisq; distinguuntur. Orientales Christicolæ vt plurimùm Tulipãtho è gossipinâ telâ versicolore, non tamẽ candidâ, simplicem in modum complicatâ caput tegunt. Armenij Pileum acuminatum pellibus suffultum, vel cerulei coloris Tulipãthum formâ communi capiti imponunt, Occidentales Christiani vulgarem Italicum nigri coloris Pileum ferunt. Hebræi rubrum prææltum in rotunditatem desinentem, atq; alis carentem. Iam verò de fœminarum amictu ornatuq; aliqua referamus.

Gen. c. 37. Ioan. c. 3. Luca c. 10.

CAPVT XIX.

Turcicarum ac cæterarum in Syriâ fœminarum habitus, ornatus, ac mores.

TVRCICAE fœminæ, magnatũ prę sertim vxores, & pellices, superbè ac sumptuosè vestiuntur. Harum indumẽta nõ solũ serica & byssina sunt, sed auro quoq; & argento intexta, gemmis micãnt, formâ tamen viris vsitatâ. Vestibus autẽ quas plurimæ ad talos nonnullæ ad suras dependẽtes ferũt, vbi in publicũ prodeũt (quod rarò accidit, cùm vel ad balnea, vel ad propinquorũ tumulos procedũt) vtũtur simplicibus, nullamque osten-

ostentant pompam, nullam lasciuiam. His indusium albidum superinduunt, vel tenuissimæ telæ linteo sese inuoluunt, extremamque lintei oram (vti nos pallium) in humeros rejiciunt. Caput prætereà linteo tegunt, faciemque velant, oculis reticulo ex equinis setulis tenuissimis contexto, vel fasciâ sericâ transperante & nigrâ adhibito, vt spectare illæ commodiùs alios possint, & ab alijs ipsæ spectari nequeant: idque ex legis præscripto: cauetur enim Alcorano ne fœmina in publicum prodeat apertâ facie: quod adeò studiosè obseruāt, atque ita diligenter se obuelant, & operiunt, vt nedum proximi & familiares illis occurrētes, sed nec ipse maritus vxorem suam possit internoscere. Si quos obuios habeāt, etiam notos, neminem salutant, neminem alloquuntur. Vix etiam etsi centies aliqua maritum obuiū habeat, vel semel eum alloquentē reperias: quinimò adeò fugiunt virorū colloquia in publico, vt etiam monstrum habeatur virum & mulierē in aperto sedere aut simul equitare. Quo sanè modo, quemadmodùm omnis prorsus ad adulteria & illicitos amores sollicitandi præciditur occasio, ideoq; multo rariora apud Turcas sunt adulteria quàm apud Christianos, ita etiam simplicitate vestium publicè prodeuntes nostrates fœminas nobiliores præsertim longè superant: quæ prodigiosa vestiendi inconstantiâ, & sumptu, ac varietate adeò lasciuiunt, vt histriones in scænâ magis repræsentare iure dixeris, quàm matronas. Brachatæ omnes per vias plateasque publicas obambulant, subligaculis è telâ gossypinâ ad talos vsque pendentibus, & subter corrugatis, longioribus ipsis vestibus, quas superinduunt. Nonnullæ ocreatæ, quædam caligatæ, quæ & calceos crepidasque ferunt viris vsitatas. Plebeiæ ac vulgares fœminę eodem quoque vtuntur genere vestium, sed vilioris materiæ: gossypinis etenim, aut lineis, laneisve amiciuntur. Brachatæ insuper atque ocreatæ, vt cæteræ, lineo indusio superinduto incedunt; vnaque omnes, etiam vetulæ, & deformes, faciem velant. Porrò nobiliorum fœminę nō solum splendidis, & sumptuosissimis, ac insigni arte elaboratis vtuntur vestibus, sed etiam Torques, Armillas, Pedalia, Brachialia, Dextralia, Periscelides crurum, Monilia, Inaures, atque Annulos aureos gerunt; vulgares argenteos. Nonnullæ etiam nobiliores cùm domi hærent quo proceriores appareant, magisque placeant viris, palmaris altitudinis calopodijs argenteis deauratis vtuntur. Oculos pænè omnes depingunt, fucantque stibio, quod venustatem addere putant, veterem in hoc seruātes Orientis morem; de quo apud Ezechiam & Hieremiam passim fit mentio. Digitorum etiam vngues ceromate quodam ex puluere herbæ (quæ illis *Alcanna* dicitur) aquâ admixtâ illiniunt, ac rubros efficiunt. Turcarum Maurorum & Christianorum Orientis filiolæ fasciâ sericâ frontem

tem ornant, & ex quâ iuxta vniuscuiusq; opes plurimi pēdent nummi, vel aurei, vel argētei. Hebręorū verò Vscufiam argenteam, vel æneam deauratam ornamenti loco capiti imponunt, quâ & grandiores natu vtuntur, capillis arte compositis, ac in byssinâ vel holostericâ fistulâ inclusis per dorsum ab occipitio pendentibus. Puellis quoque teneræ ætatis, ditioribus tamen, cuiuscunque tandem religionis sint, non minus quàm grandioribus Armilla, Pedalia, Monilia aurea siue argentea vsitata sunt. Dum per vias nuptæ obambulant, suos sæpenumerò secum ducunt infantulos; quos non brachijs Occidentaliū more, sed humeris diuaricatis tibijs impositos circumferunt, aut mancipiorum operâ in gestando vtuntur. Cæterùm Orientis fœminæ rudes, insulsæ, ineptæ, ac malè moratæ sunt, incessum habent incompositū. cursitant pleræque, ventilantque brachia, agresti planè modo, nullūque prorsus (vt nostrates) obseruant decorem. Neque solum Mahometęæ (vt diximus) sed & Christianæ, Hebreæque omnes velatâ incedunt facie. His etiam & eadem vestium forma, & mores passim. Nonnullæ tamen Christianæ Dulimanno laneo pro superiore veste vtuntur, cùm in publicū prodeunt, nullo superinduto indusio: lineo atq; in eo in primis à Turcicis differunt, quòd manibus detectis incedāt, cùm Turcicę eas linteo condant, atque inuoluant. Ad vnum verò omnes balneis delectantur, frequenterque vtuntur. Bassarum ac Magnatum vxores ac pellices priuatas balneas habent, reliquæ publicas accedunt, bis vt minimùm singulis hebdomadibus. Dum verò eò pergunt, non solæ sed comitatæ vt plurimùm commeant, præcedunt seruæ, seu pedissequæ: quæ cistulas linteis sudarijsque refertas capiti impositas deferunt: sequuntur heræ plures quandoque, quandoque singulæ. Humiliores sua ipsæmet conferunt sudaria, lauantque se mutuò. Honestiores ab ancillis lauari se curant; quæ postquam heras lauerint, ipsæ quoque se mutuò lauant. Hinc corpore mundissimæ Occidentales munditie longè superant: nec enim putent, aut fœtent; quinimò adeò corporis munditiem colunt, vt etiā quotiescunque earum aliquæ opera faciunt, quæ natura fert (pudor vetat dicere) pudenda lauent. Eam verò ob causam tam frequens illis est balneorum vsus, quod id sanitati in primis prodesse, ac eo speciē sibi addere se putent, quâ se gratiores viris fore cōfidunt; vel quòd honestā aliquam exeundi occasionē quærant, cùm alioqui perpetuò ipsis domi hærendū sit. Zelotypi enim cū sint mariti, nō ita facilè fœminis exeūdi veniā cōcedūt, nisi vel balnei, vel parētaliū occasio id postulet. Id autē mirandū quod altera alterius, etiā diuersæ religionis, aut cōditionis cōsortiū in balneis nō euitet. Siue enim Christianæ, siue Turcæ, vel Hebręæ sint, à se mutuò haudquaquā abhorrēt, sed simul omnes balnea frequentāt, seq; inuicē

Qqq nudas

nudas conspicere, & attrectare non verentur: quapropter maxima inter eas necessitudo viget; seque inuicem intensissimo amore prosequuntur. Mauræ inopes, nec non & Bedoinæ Arabes, Cinganæ Italis dictæ, gossypinis vt plurimùm indutæ vestibus, velatæ pariter incedunt, sed pedibus & cruribus nudæ: vt verò ornatiores appareant, labra, frontes, palpebras, genasque colore cæruleo subfusco fucant; digitorũ etiam vngues colore quodam subrubro tingunt. Armillis, Monilibus, Pedalibus, Annulisque non minùs ac cæteræ Mahometææ vtuntur, sed æneis, stanneis, ferreis, vel chalybeis. Aliquæ æneis, vel ferreis circulis, quinis, vel senis brachia onerant potiùs, quàm ornãt: nonnullę testaceis vario colore depictis. Faciem insuper characteribus cæruleis inurunt, vel genas leniter cultello incidunt, & vulnere obducto cicatrices relinquunt. Auricularum quoque torulos Mauræ perforant, æneosque vel stanneos Annulos in ijs ferunt, Nasi item extremũ puellis perturant, & foramini æneos Annulos inserunt. Indecentiùs me vidisse quicquam haud memini: putant tamen illæ sibi speciem addere, ac nihil eo esse elegantiùs. Quo exemplo quàm vanè ruat gens humana in sui cæcitatem, quamque fallamur omnes, edocemur. Existimat Æthiops nigrum colorẽ candido pulchriorem, putat & candidus aliter, detonsus capillato, barbatus imberbi se credit esse spectabiliorem. Hinc tam varij, sibique contrarij apud Orbis incolas & mores & habitus, Oriẽtales vniuersi imberbes ac glabros exosi, rasis nouaculâ capitis pilis, barbam intonsam relinquunt. Occidentales contrà comam nutriunt, barbam tondent; & vitiũ putant, si quis barbâ incomptâ procedat, aut in publicũ prodeat. His succinctæ, illis longæ placent vestes. Hi variam vestium concisuram ornatum vestimentis addere existimant; illi id detestantur, ac meram stultitiã putant. Sic alter alterius ridet ineptias, & suum cuique pulchrum videtur. Est enim (vt ille ait) amor & rerum cunctis tutela suarum. cùm tamen interim appetitu potiùs vrgente quàm ratione suadente vanitati studeamus, stultitiasque sectemur omnes.

IOAN-

IOANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARII HIEROSOLYMITANI ET SYRIACI

LIBER QVINTVS.

Antiochię, aliarumque Syrię Vrbium lustrationem, ac reditum per mare in Italiam, Vrbisque Venetæ breuem descriptionem continens.

CAPVT I.

Genizarorum in vrbe Alepina seditiones, & aduersus Baßam, Castriacosque milites motus.



PAVCOS ante dies quàm de abitu ex Alepo cogitaremus, Vrbs intestinis tumultibus exagitari cœpit, maximâ inter Damascenos Genizaros, & Alepini castri milites, Castriacos vulgò appellatos, subortâ seditione. Quæ res originẽ inde traxerat, quòd Bassa propensiore erga Castriacos animo pro horũ potiùs, quàm illorum partibus staret. Neglectis enim Genizaris Damascenis, ijsq; inuitis, Castriacos in eorum locũ ad Occidentaliũ Consulũ custodias subrogauerat: cuius auctoritate fulti Castriaci, Damascenorum infringere iura, & occupare sedes nitebãtur. Obsistebãt Damasceni, neq; vnquã se suo cessuros iure, tot annorũ longissimo vsu confirmato liberè profitebantur. Admoditi verò à Bassâ, vt publicis edictis obtẽperarent, vel statim vrbe excederẽt, suæq; militiæ sedẽ Damascũ repeterent, quando eorũ præsidio se diutiùs nõ indigere diceret, nõ solùm dicto nõ fuêre audiẽtes, sed insolescere indies in Castriacos, ijs insidias struere, affligere iniurijs contumelijs proscindere, atq; ipsius Bassæ spernere dignitatẽ magis ac magis cœperũt. Eapropter irâ atq; odio mutuo accẽsi milites, per multos dies inter sese fœdis cædibus, & quotidianis ferè contentionibus, &

conflictibus certârunt. Bassa verò indignè ferens auctoritatem suã pro nihilo æstimari, vt tantam Damascenorũ insolentiam, rebellionemq; compesceret, sedaretque tumultus, ac Castriacorum in primis saluti consuleret, edictum in Damascenos promulgauit, quo quemq; illorum tanquam hostem Imperij & perturbatorem publicæ quietis impunè interimere cuilibet liceret. Proceres insuper, Begos, cæterosq; milites omnes Alepinos armatos ad se vocat; imperatq; vt sibi ad reprimendam Damascenorum audaciã celerrimè adsint: qui statim Bassæ iussis obsequentes, maximâ suorũ collectâ manu, ad Bassę Seraiũ aduolârũt. Id vbi resciuere Damasceni, vim maiorẽ & periculũ veriti, vt rebus suis consulerent, consiliũ de occupandâ Vrbis portâ Damascenâ inierunt: eo quidem intuitu, vt si qui in eos irruere vrbe expellere, & inferre vim tentarent, impetum hostium sustinere commodiùs possent, & haberent, si quid aduersi accideret, quò se tutò reciperẽt. Erat ea amplissima, & turribus munitissima, vt vel maximè Damascenorũ afflictis rebus videretur oportuna, ne vrbe excedere cogerentur, sed viribus hostium tantisper resisterent, dum vel pax componeretur, vel Sardarius (id est militię dux) & Agà (quod supremum tribunum denotat) iam paulò ante Damasco euocati sibi cum auxilijs adessẽt. Res hæc etsi factu ardua, fæliciter tamen & ex voto Damascenis cessit: portam namq; summâ celeritate, nullâ acceptâ clade occupârunt, & in tutum sese recepere omnes. Eam statim, quà vrbem respicit, ita muniuerũt, vt omnem aditum exitumq; præcluderent. Dum hæc geruntur, custodias Consulũ relinquere sunt coacti, Castriacis à Bassâ ipsis substitutis. Hoc vrbis statu nunciatur naues Venetas è portu Alexandretæ breui soluturas, & si vnà proficisci animus esset, abitum pararemus: nos etsi abire vel maximè optaremus, quos tamen nobis securitatis causâ comites, Castriacósne an Damascenos adhiberémus, anxiè dubitabamus. Vtrosq; enim euidenti periculo ac damno nobis futuros hoc rerũ statu intelligebamus. In Damascenorũ siquidem proficisci comitatu non licebat; minusque tutum erat, quippe quos Bassa, vti hostes ac perduelles proscripserat, & edicto cauerat ne quis Occidentaliũ eorum comitatu ampliùs vteretur, pœnâ additâ non obtẽperãti. Castriacos verò adsciscere è re nostrâ futurum minimè arbitrabamur, ne Damascenæ militiæ hostibus fauere videremur: atque id mercatores Veneti quoque summoperè dissuadebant. Quandoquidem Antiochiam profecturis (vti iam primùm institueramus) quò Damascenorum plurimi tanquem ad azylum è vicinis oppidis profugerant, haud parum verendum erat, ne illi in nos tanquã hostiũ suorum fautores hostile quippiã patrarent, omnesq; res nostras diriperent, aut prędæ suis exponerẽt. Expectare verò incertum dissensionis exitum præsens atq; vrgens nauiũ occasio nullo mo-

lo modo permittebat: cùm maximè nulla affulgeret spes, quando tandē sedatis militū animis motibus hisce finis imponeretur. Militū enim animi semel in furorem concitati non facilè ad tranquillitatē reducūtur: nec potest talis furor nisi temporis diuturnitate ac lapsu exstingui. His difficultatibus Consul. Venetus oportunissimè subuenit: suasit enim neutros admittendos, sed orandū Bassam vt nobis de comitatu prouideret. Nos vt id nostrâ causâ faceret, rogamus. ille negotium suscipit, & publicum nationis suæ interpretem ad Bassam mittit, vt nostri itineris causam ac iustum timorem exponat, petatq; ab eo vt Capigiū nobis è suis, qui comitetur, permittat. Bassa re intellectâ perhumanè statim annuit, atq; è Capigijs vnum ad se vocat, Venetorū adire cōsulem, eiq; obsequi iubet. Nec mora, Capigius ad consulem venit, operam fidemq; suam pollicetur. Consul gratijs ei actis, itineris nostri rationem aperit, quo minus Damascenos Castriacósve milites nobis adhibeamus comites, exponit: ideoq; à Bassâ Capigium petiuisse, qui nobis Alexandretam vsq; præsidio sit: cumq; benignè ille assensisset, ipsiq; id negotij demandasset, petere vt nostri tutelam suscipiat, & quid mercedis habiturus sit, enunciet. Ille se sedulò & ex animo negotium curaturum spondet: de mercede autem nihil cōstituturū: esse se Bassæ ministrum publicum, non mercenariū respondet. Consul cognitâ Barbari superbiâ, vera esse quidem omnia quæ diceret, eaq; se optimè scire, verùm nostrum esse illius operā, & itineris sumptus, ac incōmoda liberaliter rependere Moris esse apud Venetos merita meritis cōpensare, ac benefacta benefactis cumulare: ideoq; certò sibi constare tam grato & liberali animo haudquaquam nos ingratos fore, sed condigna largitione promptissimum eius adfectum compēsaturos. Atque his dictis barbarum dimisit: quem, de itinere nobiscum ineundo datâ fide, in tertium diem exspectauimus. Interim cōmeatum omnē itineri oportunum coëmimus, equos, mulosque conduximus, ac sarcinas nostras componentes, diem recessus auidè exspectauimus.

CAPVT II.

Ex Alepo, Capigio comite, discessus. Iter Antiochiam vsq; & Antiochenæ vallis, lacusq; descriptio.

IPSIS Nonis Martij, anno à partu Virginis 1599. necdū orto Sole, nostrum accedit hospitium Capigius, duobus comitatus militibus, atq; iter arripiendum admonet: nos verò in procinctu iam stantes, paratisq; omnibus, quæ in itinere necessaria ducebamus, singuli singulos equos mulosq; cōscēdimus, & præeūte cū suis Capigio per vrbē ad portā Occiden-

talem equitamus: quâ egressi, rectà Occidentem versus per arida, inculta, & deserta pleraque loca eo die proficiscimur; humiles modò colles, ac mitia montana, modo apricas atq; vmbrosas superantes valles, Terebinthis, Esculis, Alaternis, & Andrachnis arboribus vestitas. Circa vesperum Damam venimus. Pagus is est in vigesimo quarto ab Ale positus lapide, latissimæ ac pulcherrimæ vallis occupans vmbilicum, situs amœnitate, solique feracitate nobilis, cultioris sanè omnibus, quæ eo die in itinere occurrerant. Amplũ, quandoq; ac frequens fuisse oppidum, templorum ac veterum ædificiorum docent plura & perampla vestigia: quæ ex dolatis & miræ magnitudinis saxis, æquâ mensurâ quadratâ formâ incisis constant, & regiam planè magnificẽtiam ostentant. Ea olim Christianorũ fuisse delubra, vel à Christianis exstructa, non leui argumento sunt salutaris Crucis signa, superis portarum liminibus insculpta. Magnatum quoq; sepulchra duo eximia, ac regij operis monumenra in quadratam formam exsurgẽtia ibidem videre est: quorum alterum testudo tegit quaquà versũ in crucem fornicata, atq; tota ex marmore pulcherrimo, quaternis fulta columnis ex ophitico mormore, marmoream tumbã in medio continens. Alterum marmoreũ item totum, eiusdemq; formæ, sed tumbâ vacuum: quã ab indigenis ablatã, aut confractam putauerim. Haud procul inde & alia conspeximus vetustissima sepulchra, rupi incisa, formâ quadratâ oblongâ, quorum vnum Grȩcâ inscriptione insignitum: literis tamen tẽporis iniuriâ corrosis legere haudquaquam datum fuit. Cumq; nullum hic adesset Chan, sub veteris ædificij tecto recepti pernoctauimus.

Octauo Eid. Martij, primo diluulo carpentes iter, per loca deserta, ac squalida viâ admodum abruptâ, saltuosâ, ac difficili gradũ fecimus. Circa meridiem amplissimam ingressi planitiem, oppidum mox (cui olim Heirim vel Seiriũ fuisse nomẽ putatur) præterlegimus. Id eminẽti situm loco, rupiq; impositum, desertum licèt & habitatore vacuum, non spernendum propugnaculum refert, habetq; in proximo præterfluẽtem dulcium aquarum riuulum. Oppido ad læuã relicto, in proximum nemus Adrachnis & Alaternis arboribus consitum, declinauimus; ibidemque per horam vnam atque alteram, vt equi & nos longo & difficili itinere fatigati vires resumeremus, substitimus. Inde paulo post viâ modò accliui, modò decliui continuauimus iter, nec quicquam præter summas vastitates vsquam conspicati sumus. Sole ad occasum vergente, in colle quodam eminenti, atq; Antiochenæ valli imminenti subsedimus: cumq; nullus in proximo esset pagus, aut Chan, quò diuerteremus, aut tuto nos reciperemus, angusta quædam Maurorum magalia, mapaliáve, seu animalium potiùs stabula intrare coacti sumus; vbi colligatis equis, sarcinisq; depositis, dato pretio, post

aliquas

aliquas preces, hospitati sumus, & noctis incommoda effugimus. Septimo Eid. Martij orto iam Sole, Mauro quodam ductore vicinam ingressi planiciem, inceptum continuauimus iter: solus quippe Capigius absque ductore ignotam sibi viam ingredi non audebat: vel eò magis, quod paludosam, atque præcedentium dierum frequenti pluuiâ iam valdè vliginosam multis in locis intelligeret. Id verò oportunè nobis & vtiliter cessit; vix enim etiam experto & perito itineris duce præeunte pericula effugimus. Cœnosa quippe mirum in modum erat via, fossas insuper, lacunas, paludesque plurimas, & profundas non sine summâ difficultate & vitæ discrimine superare cogebamur. Longissimo denique iuxta Orontem fluuium (rapidissimo cursu mediam perlabentem vallem) cõtinuato itinere, per lapideum tandem vetusti operis pontem quinis innixum arcubus, flumen impetuosissimum traiecimus. Tum adlæuam, Austrum versus flectentes, perque vberrima ac læta pratorum pascua pergentes, quartâ demum postmeridianâ horâ Antiochiam necdum pransi accessimus. Occurrebant in itinere plurima passim per vallẽ dispersa pastorum tuguriola, seu tentoria pileata, certo ordine disposita, ac numero quandoque pagos referentia. Hæc secum deferunt pastores quocunque pergunt: sæpiùs enim pascua vberiora quærentes sedem mutant, vallemque totam peragrãt. Opiliones hi nullas domos vel possessiones præter tentoria, hæc & greges armentorum possident. Pascunt autem camelos, mulos, equos, boues, oues, capras. Ex lacte caseum conficiunt, itemque butyrum, quod more nostro non saliunt, sed coquunt ac pellibus caprinis condunt quò diutiùs conseruetur. Lanam præterea tondent, inde penulas conficiunt & diuendunt. Omnes autem decimas animalium quotannis natorum Imperatori dependunt. Est autem planities seu vallis hæc Antiochena amplissima maximaque, quâ vel vberiorem vel maiorem in vicinâ regione vidimus nullam. Lacum habet piscibus abundantem, & in primis optimis & prægrãdibus anguillis copiosum, distantem ab vrbe sex millia passuum; vnde & Antiochenam nonnulli quandoque appellatam volunt; quem olim stagnum Meandriopolis dictum fuisse multi putant. Longitudiue latitudinem superat, continetque in ambitu sexaginta circiter millia passuum. Onocrotalos & Ciconias iuxta hunc lacum videre est plurimos.

CAP.

CAPVT III.

In urbem Antiochiam ingressus. Discrimen à Genizaris Damascenis. Cadij intercessione sedati milites. In urbe mora, eiusq; lustrationes.

VRBEM ingressi per Occidentalem portam, nullo prorsus impedimento dato, aut incommodo accepto, secus vrbis muros ad publicum Chan seu diuersorium, ad meridionale vrbis situm latus, pedites perreximus, vbi & hæsimus in sequentem vsque diem. Ædificium id est magnificum sanè, & amplissimũ, Mesitâ fonte, & latissimâ areâ ornatum. Dissolutis autem atque in diuersorium conditis sarcinis, mox vbi Frangios aduentasse percrebuit, aduolant Genizari Damasceni, & in comites inquirunt. Vbi Bassæ Alepini Capigium esse cognôrunt, pleno ore inuehuntur in hominem, lacessunt iniurijs, adduntq; minas, mirari se aiunt eius audaciam, impudentiã, temeritatéque, quod Damascenorum infringere iura audeat: spectare ad se huiusmodi emolumenta, non ad alios: quòd cũ probè sciret, non debuisse alienis se immiscere rebus, militumque lucris inhiare: licèt autem huc vsque comitatus fuerit, non tamen passuros se vt institutum prosequatur iter. Itaque si suis rebus consultum velit, suadere vt ad Bassam redeat, neque longiùs Frangios comitetur. Ille vt eorum iratos animos nonnihil placaret, nihil sibi negocij cum Castriacis esse, neque ab ipsis stare, abhorrere potiùs & execrari hominum vilitatem. Bassæ se esse ministrũ & Capigiũ; inuito sibi iniunctam hanc à Domino prouinciam, tamen cepisse eam, quia fugere non licebat. Neque de Damascenorum emolumento sibi vsurpando vnquam cogitasse; imò deuinctum se esse Damascenis, ideoque omnia illis fælicia & prospera imprecari. Quòd si imperent vt Frangios deserat, obtemperaturum ilicò: precari tamen ne dum suis studeant commodis, alijs exitio sint. Si enim eos comitari desistat, neque Bassæ iussa exequatur, nunquam ausurum sub Bassæ adspectum redire: seuerum esse, neque parsurum sibi, etiamsi coactu ipsorum Frangios à se desertos intelligat. Sedatis his verbis nonnihil Damascenorũ animis, dimittitur, disceduntque Genizari. Ille nouas veritus militum insidias, comite interprete nostro, vrbis Cadium adit; quid in mandatis habeat, exponit; vtque nobis subsidio sit, Bassæ nomine petit: in primis autẽ Genizarorm primores aliquot ad se accersiri vt mandet, moneatque ne damno vlli nobis sint, aut iter impediant: sed saluos nos, nostrasq; res omnes esse iubeant, & ex satellitibus suis qui Baulacium nos deducant, atque ab insidijs tueantur, adhibeat. placet hæc

cet hæc oratio Cadio. Aduocantur Genizari, ijsq; Bassæ mandatum exponit. Hortatur etiam ac suadet à vi vt abstineant, supremoque magistratui obtemperent, atq; id ipsum cæteris militibus iniungant, ne rem suam deteriorem faciant, néve ipse, si quid damni Frangijs inferatur, eorum culpâ immeritas pœnas luat. Ipsi contrà de iniuriâ sibi à Bassâ illatâ expostulant, violari sua iura, sibiq; debita lucra ad indignos transferri; iniquum eum esse, & inhumanum, ac aduersum planè eorum cōmodis: inultam propterea tantam iniuriam non esse relinquendã. Cadij tamen verbis libẽter assentire: eiusq; causâ innoxios nos dimissuros, maximè quod Venetos esse mercatores erga Damascenã militiã optimè affectos intelligant. Liberè itaq; discedamus, atq; timore omni soluto quibuslibet itineris comitibus ac ducibus vtamur, aiunt. Hæc Capigius itemq; interpres ad nos reuersi læto animo retulêre: atq; vt quã celerrimè abitum paremus, suaserunt. Successus rei benè gestæ exhilarauit quidem omnium animos; sed perturbauit nonnihil tam repentinus ab vrbe discessus: cùm enim circumvicina quæque, & præcipuè celeberrimæ amplissimæq; vrbis vetusta monumenta peruestigare vel maximè nobis in votis esset, tempus ad id dari optabamus: sed moram dissuadente Capigio, obtemperandum duximus.

Postridie itaq; summo diluculo itineri nos accingimus: priusquam tamẽ vrbe egredimur, à Capigio impetramus, vt saltem Diui Petri Cathedralis Ecclesiæ vestigia, & Diui Pauli fontem celeberrimum adire atque inuisere liceret: quod cùm permisisset, per hortos atque vrbis viridaria, Moris albis nigrisque ac Loto exculta, Christiano quodam Syro duce, iuxta vrbis muros, ingentibus veterum ædificiorum transcensis ruderibus, ad portam vsque vrbis orientalem pedites pergimus, quam à fonte vicino Diui Pauli portam appellant. Fons hic ex rupe vrbis muris inclusâ, ac portæ contiguâ, ingenti prorumpit hiatu, atq; in subiectum vas quadratæ formæ opus peramplum & profundũ limpissimas & saluberrimas aquas effundit: quæ inde per deductas arte canaliculas vicinos hortos irrigant, sata lætificant, ac longè lateque excurrunt. Ex eo loco rupem præruptam & adscensu difficilem Ortum versus adscẽdimus: in cuius ferè medio æquo quidem & plano loco peringentes collapsi delubri reliquiæ nobis ostensæ fuere: Chori in primis pars extrema, arcuato opere hemicycli formam referente. Delubrum id quõdam fuisse primarium, ac Diuo Petro (cuius ibi sedes extitit) dicatum asserunt incolæ. Haud procul inde Meridiem versus in costâ alterius montis huic contigui, à circumducente ostensa nobis fuit cauerna amplissima, triplici patens aditu, viuæ rupi incisa, instar spatiosissimi templi elaborata, plurimisque columnis ex ipsâ

rupe cæsis suffulta: quam Diui Pauli cauernam Christicolæ vocitant; quorum vsui ac sacris celebrandis in hunc vsque diem seruit. Alteram quoque priori non absimilem, in tertiâ rupis costâ mediâ excisam eminus in transitu conspeximus, cùm cominus intueri & adire eam non liceret. Hæc Diui Georgij spelunca ab incolis appellata, deserta omnino & neglecta iacet, & ab hominum commercio remotissima, atq; accessu perquàm difficilis, latronum & nefariorum hominum latibulum est: neque tutus ob id ne ipsis quidem incolis ad eam patet aditus. His ita cursim conspectis, per ingentes ædificiorum ruinas, lapidumque aceruos, atque immensa rudera, ad Capigium nos exspectantem properauimus. Cæterùm quę de hodierno vrbis situ & facie animaduertere licuit, paucis subjiciamus.

CAPVT IIII.

Descriptio vrbis Antiochiæ.

Strab. lib. 16 Zach. 9. 2. Reg. 24.

ANTIOCHIA à Seleuco Nicanore condita, & à patris sui nomine sic dicta, priscis temporibus Hebræis Emath, & Reblata fuit, ad quàm Zedechias rex Iuda cum filijs ante Nabuchodonosor Babyloniorum regem deductus & oculis priuatus est; in patris præsentiâ filijs eius occisis. Posteà à Theophilo quodam septimo eius vrbis Antistite Theopolis appellata, Hodie Turcis Maurisque *Antac* dicitur. Hæc Syriæ quondam caput, ac sedes regia, sex aut septem suo ambitu millia passuum continēs, in amœnissimâ & fertilissimâ sita valle, ad ripam Tiphonis fluuij, postea Orontis (ab eo qui primus in eo pontem fecit) nunc Far vel Pharphar dicti. Vberes circa irriguosque salubribus aquis campos habet, montibus altissimis vndique ferè circumdata. Situ partim plana, partim montosa est. Duos quippe montes, seu colles altissimos profundissimâ sed angustâ valle ab inuicē separatos, per quam torrens demissus à montibus ingreditur & vrbem mediam perfluit, suis mœnibus comprehendit: in quorum alterius (qui celsior est) supremo vertice vetusti operis Arx deserta tamen & ruinosa iacet: quàm Syriæ quondam reges, & postmodùm Mahometęos, dein Christianos Principes Antiochenos dictos, incoluisse opinio est. Vrbs hæc Daphnidis fonte, à quo & Epidaphne dicta est, tribus ab eâ distante milliaribus, Apollini dedicato, eiusque oraculis claro (quem Iulianus apostata Pithonē consulturus de belli Persici euentu, accessit) itemque asylo Apollinis, & Dianæ delubris, quæ in proximo erant, quondam celebris fuit. Postea Christianâ in Syriâ clarescente religione, Patriarchali sede insignis, multis temporibus sub Christianâ fide

fide in veri Dei cultu claruit. Hîc primùm à Patribus Concilium celebratum. Hîc primùm Christi cultores Christiani appellati, cùm Discipuli anteà & Nazaræi dicerentur. Ex hac Theophilus & Lucas Euangelista oriundi. In hac Petrus Apostolorum princeps cathedram obtinuit sacerdotalem, & Pontificali primùm hîc functus est dignitate. Trecenta & sexaginta Christianorum templa magnifica in eâ olim extitisse, eiusque Patriarcham viginti prouincias in suâ iurisdictione habuisse scribũt historici, quarũ quatuordecim singulos habuisse metropolitanos cum suis suffraganeis, sex verò reliquas duobus subfuisse primatibus: adeoque centum & quinquaginta tres Episcopos illi subiectos fuisse narrant authores. Hac autem tempestate diruta & prostrata penitus, solo aratro proscisso, suisque maximæ ruinis sepulta, nulla priscę magnificentiæ, & splendoris, ac veterum ædificiorum indicat vestigia. Quâ parte in plano est, portas quinque continet: quarum tres salutaris Crucis signaculo insculptas conspeximus: quæ ad Orientem est Diui Pauli, à fonte vicino, quæ ex aduerso, Diui Georgij à Christicolis appellatur. Inter has duas vrbs in longum protenditur, longitudine (quæ plusquam duo millia passuum cõtinere dicitur) latitudinem superante Ab eo autem latere quà Aquilonem respicit, tres visuntur portæ: Superior Tanis dicitur, ponte munita, per quem palus muris contermina transitur: media Ducis appellatur: inferior à ponte lapideo vicino, quo Orontes fluuius trajicitur, Pontis nomẽ obtinet: Si veteribus creditur, qui amnem eam per fluxisse volunt, dicendum est eam solito nunc contractiorem esse, cùm is extra vrbis mœnia iam fluat. Exteriorem muri formam si contempleris, pulchriorem, aut politiorem, altioremque, vel munitiorem te vnquam vidisse negabis. Sunt siquidem mœnia ipsa ex quadratis saxis miræ maguitudinis, turribus (quæ quadringentæ & septuagintâ esse dicuntur) altissimis, validissimisque quadratæ formæ intersecantibus, atque æquâ inter se proportione distantibus exornata, latissimâ, profundissimaque ambiente fossâ; quæ ad singulas ferè portas versatilibus pontibus trajicitur. Eo autem ordine composita sunt, vt per menianum, quod in summitate est, inter eminentes vtrimque pinnas, quasi per viculum circumire vrbem liceat, vbi enim eleuare se muri incipiunt, gradibus lapideis ad proximam quamque turrim adscenditur, atque ita de gradu in gradum ad superiora tenditur, donec ad supremum ad Ortum positi montis verticem venditum sit, Ibi denique eminentiorem montem Occidentem respicientem (qui præsidium, eminentissimo & insuperabili quondam muro turribusque circundatum, continet) ambiendo, ac rursum declinando, ad alterum vrbis latus, imamque partem descenditur. Res equidem admiran-

Act. 11.

Tyr. Bel sacr. 4.c.9. Herod. Contin. Bel. sacr. lib. 2. c. 2.

Plin. lib. 5. c. 21.

admiranda, mœnia integra & illæſa toto ferè vrbis ambitu videre, cùm intra mœnia omnia ædificia, etiamſi maxima fuerint, ita planè in cinerem abierint, vt vix vllum veſtigium reperias, aut ſolum plurimis in locis ædificijs quondam ornatum aut tectum fuiſſe aduertas: Neque enim præter hortos, vineas, & egeſta rudera, ac lapidum aceruos, quicquam adſpicias. Pars quæ ad Occidẽtem vergit (reliquâ habitatore vacuâ) Turcis, Mauris, Chriſtianiſque vtcunque habitatur; quorum caſæ humiles ſunt, atque vnius contignationis, non pauimento ſubdialis vti cæteræ totius Syriæ ædes, ſed tegulis noſtratiũ more cuneatim coëũtibus tectæ: quod ſanè vti rarum ijs in partibus, omnibus admirationis cauſam præbuit, Morantur prætereà à multo iam tempore in vrbe hac quinquaginta circiter Damaſceni Genizari, quò alij item, cùm nos illac iter faceremus, ex vicinis oppidis confluxerant, vt ab Alepini Baſſæ vexationibus tutiores eſſent. Omnes equidem prædiuites plurimos Genizarotos (vt vocantur) ſub ſe habent. Vrbem hanc, poſt mortem Alexãdri Macedonis Antiochus occupauit, eiuſq; poſteri Syriæ reges, in eâ ſedem regni conſtituerunt. His deuictis in Romanorum poteſtatem venit. Dein declinante Imperio, ſub Heraclio Cæſare in ius Mahometæorum ceſſit, nunc Arabibus, nunc Perſis, nunc Ægyptijs ſubiecta: quorum iugo circiter 490. annos oppreſſa, à Chriſtianis tandem duce Godofredo Bullionenſi anno à nato Chriſto 1098. tertia Iunij, poſt nouem, vel (vt alij volunt) ſeptem menſium obſidionem, operâ cuiuſdam *Emirferri* Chriſtiani Armenij capta, & Boëmũdo Principi Tarentino tradita fuit: qui primus inde Princeps Antiochenus dictus, eã ſibi longo tempore poſteriſque ſuis ſubditam habuit: donec tandem Chriſtianis Syriâ pulſis, rurſum à Mameluchis occupata, deniq; à Turcis poſt debellatos Mameluchos anno ſalutis 1517. Oſmannico Imperio addita eſt; cui etiamnum paret. Præeſt vrbi in iure dicundo Cadius, itemque Subaſſius; alij præterea magiſtratus nulli. Cæterùm territorium circumvicinum, etſi (vt diximus) vberis ſit ſoli, incultum tamen maiori ex parte iacet, ob hominum, vt puto, infrequentiam: quorum pleraq; pars alendis Bombycibus, ac Moris excolendis (quibus regio illa vel maximè abundat) victum ſibi quæritat. Montes autem vicini (qui eam ex latere vallans vtroque) etſi ſublimes ſint, ex ijs tamen dulces & perſpicuæ manant aquæ, & vſque ad ſuprema ferè culmina in cliuis & lateribus ſuis agriculturæ aptiſſimi ſunt; & in primis Cocco Alaterno, Andrachne, Stolcade, & Stachi abundant. Sed de Antiochiâ iam ſatis: ad iter noſtrum redeamus.

CAP.

CAPVT V.

Ex Antiochiâ discessus. In montem Amamum adscensus; eius conditio, & situs: ac Bailani Chani omnium maximi descriptio.

AD nostrum tandẽ Capigium reuersi, duos eum sibi adiunxisse præsidij loco Cadij satellites, arcubus, sagittis, & acinace instructos, inuenimus. Vrbe egressi, per portam Pontis superato suburbio, inter steriles, opacasque, ac miræ altitudinis platanos perreximus: mox Orontẽ amnem haud procul ab vrbis muris præterfluentem ponte superauimus. Is vnius diei ab Vrbe itinere in mare labitur, suasque iuxta Soldinum oppidum in sinum Issicum effundit aquas. Flumine transito rectâ ad Aquilonem per vallem latissimam herbidamque iuxta ripam Antiocheni lacus continuamus iter. Vallis hæc (cuius partem Vrbs ipsa occupat) agrum habet optimum, & glebam vberem, estque riuis & fontibus tota pænè irrigua; extenditurque ab Ortu in Occasum, longitudinis milliarium quadraginta, latitudinis pro diuersitate locorum sex vel quatuor. Circa meridiem ad Bailani montis radicem venimus. Is veteribus Amanus fuit, Italis mons ater *Monte negro* dictus, præceps nimium & adscensu difficilis, atque omniũ quos vnquam adscenderim altissimus. Inde alta petentes, ad Occidentem fleximus. Septimo dein lapide, in ipso montis adscẽsu à læuâ arcem vetustam, desertam, & habitatoribus vacuam, turribus licèt mœnibusque munitam (quam Saramellam olim dictam putant) præteruehimur. Hinc per densas vmbrosasque syluas, in quibus Platani, Larices, Abietes, Cedri, Ilices, Lauri, Myrti, Esculi passim occurrebant, accliui semper viâ & cœnosâ, difficili præcipitique multis in locis tramite, maximo cum labore & tædio ad altiora perreximus, & ferè sex horarum spatium in ipso montis adscensu cõsumpsimus. Vbi ad summa montis iuga venimus, (quæ Cedris, Iuniperis, & Andrachnis scatẽt) magnâ cum voluptate & admiratione omnem circumquaque regionem longè lateque lustrauimus. Cœlo namque sereno (vti tunc erat) in planitiem vniuersam, ac totam circumiacẽtem regionem liber prospectus patet. Ab Ortu latissimum lacum, vallemque amplissimam, atque vrbem ipsam Antiochiam, colles ac montes omnes circumvicinos spectauimus: ab Occasu humiliores colles, fertillissimas quoque valleculas, densasque syluas, ac Mare ipsum Mediterraneum eminus conspeximus. Ab Aquilone adiacent, spectanturque hinc inde circumcirca horridi admodùm & inculti montes, saxeæque crepidines, & rupes, & vastissimæ syluæ: idemque ferè & aduersi lateris montium situs est, & conditio. A Septentrione

trione enim in Meridiem altissimorum montium contin uaseries, quæ Tauri montis pars est, atque Amanus dicitur, instar muri eminentissimi per longissima spatia sese extendit & Ciliciam à Syriâ distermināt. Vesperi Bailanum Chan, seu Imaretum amplissimum appulimus. Id in decliuitate montis situm, loco satis eleganti; & amœno, atque aquis irriguò, rupibus à Meridie & Aquilone cincto altissimis, ab Ortu & Occasu in proximas valles, ac densa & frondosa nemora, atque in ipsummet Mare Mediterraneum, siuesinum Issicum prospectum prębet. Chani seu Imarathi ædificium lapideum est totum, formâ quadrangulari, omnium quæ in totâ viderim Syriâ maximum, plumbeis tectum laminis, plurimisque ornatum cupolis, seu fornicibus sphericis, à Selymo Osmannidarū Imperatore eius nominis secundo à fundamentis erectum; cui & Mesita satis amplâ, & egregij operis Templum additum est. Opus sanè augustum & Imperatore dignum: quodque elegantiâ, magnificentiâ, ac sumptu quicquid est in Syriâ admirandum, non solùm exæquare, sed & superare videtur. Quibusvis istac iter agentibus, cuiuscunq; demùm conditionis ac legis sint, triduò victus suppeditatur gratis, modò expetant. Ædificij valuis fons adhæret, qui intrantibus à dextris est, è viuo prorumpens saxo, ac triplici eurîpo aquam limpidissimam non sine grato murmure in subiectum lapideum labrum maximâ copiâ effundens: quæ dum summâ cratêris labra continuo gurgite excedit, per effossam canaliculam medium præterfluit pagum, & habitantibus vel ad lauandos pannos, vel adaquanda iumenta, irrigandosque hortos summo vsui est. Iuxta ipsum Xenodochium plurimæ spectantur vnius cōtignationis domunculæ, Maurorum habitacula: quæ sanè haud contemnendum constituunt vicum. Sub tecto Imarathi recepti hîc satis commodè pernoctauimus. Turcarum tamen cibos non gustauimus.

CAPVT VI.

Iter Alexandretam versus. Eius situs, ac tam veteris quàm noua descriptio: ibidemq; mora.

QVINTO Id. Martij, orto necdum Sole, ex Bailano discedimus, Alexandretam pergentes, viâ semper decliui, quam post virentes & frondosas Laricum atque Abietum transitas syluas, in quibus & Myrti, & Lauri, Smilaxque aspera, & Platanus passim occurrebant, quartâ diei horâ attigimus. Est autem Alexandreta Curopalato Alexandrona, hodie *Scanderona* à Turcis Maurisque appellata in differentiam

Alexan-

Alexandriæ Ægypti quæ *Scanderia* vocatur, olim Alexandria minor, aut Syriæ dictæ (quamuis in Concilio Constatinopolitano Ciliciæ asscribatur) ad Issicum sinum situm oppidum; in medijs nempe paludibus, haud procul à littore maris, non hominum sed ranarum hodie & serpentum habitaculum: adeoque deuastatum vt nullæ ferè illius aut paucæ saltem supersint reliquiæ. Præter minimam enim collapsi muri partem, ac lapidum aceruos aliquot, lacunis pænè sepultos, nihil est quod cernas. Haud procul inde vetustissima visitur turris lapidea quadrangularis, ampla quidem, sed ex parte ruinosa, & à nemine habitata; quam olim in ore portus, nunc clausi aut exaggerati conditam nonnulli putant. Cùm verò antiqua Alexandreta in cinerem ferè (vt diximus) abierit, nulliusque vsus sit, Veneti mercatores & gens nautica, annis abhinc octo aut circiter, in ipso maris littore, altero ab illius antiquæ ruinis lapide nouam condiderunt. Huius ædes, duabus tantum lapideis exceptis, pleræque ligneæ sunt, plurimæ etiam ex arborum ramis rudi modo contextis constant: quæ quidem omnes paulò antè quàm eò venissemus, pręter lapideas, casu quidem conflagrauerant. Hanc interfluit riuulus nigri coloris producens aquam planè insalubrem & palustrem; quæ in mare mox se exonerat. Riuulus hic Alexandretam ab Ortu adeuntibus ponte sublicio transitur, locumque ab eâ parte nonnihil munit. Etsi verò solùm omne vicinum sterile & incultum sit, & habitatore vacuum spectetur; annonæ tamen ibi nulla caritas; nam præter pisces, quibus vel maximè abundat, pisculentum cùm habeat mare, & optimis varij generis ac prægrandibus piscibus copiosum, qui exiguo admodùm emuntur pretio; carnes quoque, & frumentum, leguminaque ac cætera ad victum necessaria vicinum oppidum Aiassum abundè suppeditat. Id antiquitùs Issus dictum, vnde & Sinus nomen sumpsit, in littore situm Ciliciæ, Alexandretam è regione habet; distatque ab eâ quasi septem millia passuum; celebre Alexandri Magni contra Darium Persarum regem victoriâ. Nihil verò Alexandretæ carius vino est, quod aliunde à nautis, maximè ex Cypro aduehitur. Iniqua autem soli sedes, pestiferi ac corrupti aëris ob cœnosos vapores inclementia, habitatores breui, æstate præsertim, reddit inualidos, ac morbidos, imò non apparente vllo adhuc morbo, liuidos efficit, aut pallidos, vt antè tempus sæpenumerò plurimi inteveant: quocirca nautarum vulgò sepulchrum ac cœmiterium à Venetis appellatur. Cæterùm præcipua ac totius Syriæ omnium maxima scala est, & cõmodissimum emporium, tàm ad exponendas, quàm auehendas terrâ camelorũ operâ merces aptissimum. Scalã autẽ cùm Græci tùm Veneti vocant, locum, quo naues adpellunt, & in terram exitur.

exitur. Quotquot enim ex Occidente naues Syriam adnauigant mercium adferendarum, aut asportandarũ causâ, hoc loco subsistunt, & stationem habent. Aderant cùm istic moram traheremus, in proximâ statione, fundo vtique ad iaciendas anchoras apto, nitidoque, onerariæ caueatæ omnes, cùm Gallicæ, tùm Venetæ, ac Genuenses vigintiquatuor; quæ vel merces exoneraturæ, vel in Europam onustæ mercibus renauigaturæ erant. Mercium auehendarum cura, vbi è nauibus in littore expositæ sunt, nationum Proconsulibus, eâ de causâ ibidem commorantibus, demandata est: quorum quisque suæ nationis hominibus imperat, ius dicit, consulit & opitulatur, prout occasio postulat, atq; exigit necessitas. Scala hæc à Tripoli Phœnices vrbe (quæ ab hominum memoriâ mercatorum occidentalium ac Proconsulum præcipua sedes fuerat) annis abhinc octo Venetæ nationis operâ ac studio, ob immensas Tripolitani magistratus exactiones, & tyrannidẽ, eò translata est: quos denique cæterarum nationum Occidentalium negociatores euidẽti lucro ac commodo allecti; sequuti sunt, cunctasque naues Syriam adnauigaturas ad hanc stationẽ adpelli statuerunt, ibique velut loco tutissimo, libero, & ab omni prorsus vectigali immuni, vniuersas Syriæ negotiationes stabilierunt. Hinc nullę fere naues, perpaucis Anglicis, Gallicisque exceptis, Tripolim Syriæ hodie adnauigant: reliquæ hoc loco suas merces exonerant: quæ postea camelorum dorsis impositæ, Alepum (vti præcipuum ac maximum totius Orientis emporium) deferuntur, minori vtique pretio, faciliorique; viâ, quàm Tripoli solent, cùm hæc septem dierum iter ab Alepo distet, & pro singulo cameli sagmate taleros ad minùs octo soluere necessum sit: ab Alexandretâ verò Alepum vsque trium tãtum dierum sit iter, atque singula sagmata quaternis ad summum taleris expediantur.

CAPVT VII.

Ex Alexandretâ discessus. In nauem adscensus. Horrida mox in ipsâ statione tempestas, & discrimen maximum. Sinus Issici descriptio; & in Cyprum appulsus.

HAESIMVS Alexandretæ toto octiduo, mercatores quosdam Venetos nobiscum in Italiam nauigaturos indies exspectãtes. Interim in littore conchylia miræ dispositionis, lapillosque versicolores collegimus; commeatu quoque comparato oportunum nauigandi exspectauimus tempus.

Decimo quinto tandem Kal. Aprilis circa vesperum nauem Venetam, cognomento *Siluestram* Venetias nauigaturi conscendimus: proximâ

ximâ namque luce se vela ventis daturum, modò temporis ratio ferret, ac tuta esset pelago fides, promiserat Nauarchus. Is *Peregrinus de Rubeis* nomine, Scribam sibi habebat *Lucam de Sanctis* cognominatum: Venetijs vterque Oriundus.

Decimo quarto Kal. Aprilis, aduersantibus ventis anchoras extrahere non licuit: quinimò magis magisque crescentibus ventis, & exasperato vehementiùs mari, ingentesque voluente iam fluctus, adeò sæua mox atque horrida suborta est procella, vt ventorum vi atque impetu agitati ac conquassati mirum in modum, de salute desperaremus, cùm etiam in ipsâ licèt, statione, post quatuor iactas anchoras vixdum subsistere daretur: parumque abfuit quin in proximum littus Gallica quædam nauis (quæ ruptis rudentibus anchoras duas amiserat) illideretur: cùm & cæteræ eius anchoræ vndarum impetu reuulsæ & loco motæ essent. Cessit tandem sub occasum Solis radibus ventus, placidumque mox se reddidit mare. Pelagus hoc loco sinum efficit, patentem ambitu ducenta circiter millia passuum, figuram referentem amphiteatralem, Pamphyliam cum Ciliciâ & Syriâ coniungentem. Hodie ab oppido Aiasso nomine littori vicino, Aiassicus *Golfo di l'Aiasso* appellatur, quem prisci ab Isso Issicum dixere. Nullas in eo videre est naues, si exteras demas, nec etiam actuarias, cùm vicini accolæ nec mare frequentent, nec nauigia vlla possideant.

Decimo tertio Kal. Aprilis spirante Cęcia, nobis vtcunque secundo, vela ventis damus; portuque egressi altum petimus. Quatuor tum aliæ securitatis causâ se nobis adiunxere naues, & Venetæ, & Gallicæ: quas idcircò nautarum vulgus Conseruas appellare solet. Postero die itemque tertio, quiescente vento parum aut nihil profecimus, nocte verò subsequenti, crescente vento, adeò fælici cursu sulcauimus vndas, vt proximâ luce Cyprus se nobis conspiciendam daret: extremum namque orientale insulæ promontorium (cui extrema Clides antiquitùs nomen fuit, hodie Caput S. Andreæ vulgò indigitant) nobis oppositum esse animaduertimus. Circa meridiem ad Africum flans obstitit quo minùs progrederemur: quinimò ad læuam vertere proram coacti, rursum insulæ prospectum perdidimus. Ad vesperum denuò vento propitio extremam Clidem superauimus, atque inde Cyprũ ad nauigantes, sub Solis occasum Famagostam nobis aduersum esse cognouimus. Nocte sequenti vento placido littus legentes, sub auroram promontorium Pedalium vel (vt Strabo vult) Pedasium, nunc Caput Græcũ *Capo de la Grega* eminùs cõspeximus, idemq; horâ quasi meridianâ superauimus. Vento tamen paulò post nonnihil aduerso, ac terrã petere cogente, cùm in altũ ducere necessum esset, quo faciliùs scopulum Clidem nomine superare daretur, vertere, ac flectere, & com-

mutare vela oportuit. Sole tandem ad Occasum vergente, Monasterium sancti Nappæ, in ipso littore maris conditum, lento pede prætérlabimur. Nocte proximâ placido à terrâ spirante vento satis prosperè littus legimus, ac promontorio Trono, nunc Pilâ cuspide superatâ, Salinas versus nauigauimus. Solent autem naues Venetæ, cum nullus est ventus, vt plurimùm littus lambere, quo citiùs iter peragant: valles namque, & littora, & insulæ, quantacunq; sit malacia, semper aliquem ventum emittunt; quo spirante iter aliquatenus prosequi datur.

CAPVT VIII.

E naui descensus. In Cypro mora, & in eâ lustratæ vrbes.

VNDECIMO Kal. Aprilis, qui Annunciationi Beatissimæ Mariæ Virginis sacer erat, ad Salinarum tractum appulimus. Verùm cadente mox vẽto, ad stationem progredi haud datum fuit. Nautæ itaque nauẽ duobus lembis seruitorijs alligant, atque adminiculantibus alterius Venetæ nauis in portu hærentis nautis, ad solitam nauium stationem remulco protrahunt. Vbi tandem iactis anchoris, ac veniâ ab Emino obtentâ, in terram descendimus, pedite sque omnes Arnicam, distantem à littore mille circiter passus, Franciscanos inuisuri fratres, perreximus: apud quos ad decimum inde diem moram traximus: atque interim Leucosiam & Famagostam vrbes primarias, aliaq; circumuicina loca (de quibus suprà meminimus) perlustrauimus.

Decimo namque Kal. Aprilis Arnicano quodam duce & interprete conscensis equis noctu ad euitandos nimios æstus Arnicâ discessimus, rectâ Nicosiam pergentes: quam distantem ab Arnica 24. millia passuum circa quartam horam sequentis diei attigimus: vnde paulò post perlustratâ vrbe, & refectis nonnihil viribus, Famagostam discessimus: quò postero die sub prandium peruenimus. Hæc à Leucosiâ quadragesimo posita est lapide: plurimique in eâ visuntur fornices Aquæductuum celsi sublimesque, sed magnâ ex parte vetustate exesi, collapsique. Reliqua quæ ad hanc vrbem itemque Leucosiam pertinent, suprà recensuimus. Ad ducentos circiter passus à Famagostâ Sacellum est subterraneum, Diuæ Theclæ sacrum, aliquot gradibus descensum præbens. In eo fons visitur aquæ optimæ, & febricitantibus (vt fama est) salubris.

CAP.

CAPVT IX.

E Cypro digressus. Iterum mari discrimen maximum, & procella horrenda. Nautæ obitus, & sepultura Methone tandem conspecta.

PRIDIE Non. Aprilis, atque ipso Palmarum festo die, nauem rursum conscendimus: sed vento haudquaquam propitio, in sequentem diem abitum distulimus. Circa prandium tandem, spirante Subsolano anchoras eruimus, & è statione soluimus, dolone tantum proræ erecto, ne longiùs quàm in votis esset à littore seiungeremur. Tabellio siquidem nauis (qui aqud Eminum discessum procurabat) exspectandus erat: cui diutiùs remoranti displosione tormenti bellici, vt maturaret significatum est. Quo in nauem recepto, seruitoriâ quoque scaphâ, seu lintre (*Fregatam* vocant Veneti) quâ scriba vehebatur, funibus attractâ, nauique imposita, artemonem laxauimus, ventoque in puppim flante fæliciter per horas aliquot nauigauimus. Circa vesperum, subsidente paulatim vento, in malaciam incidimus; quę in sequentem vsque diem nos detinuit ociosos, vt toto eo tempore, postquam è statione solueramus, quadraginta tantùm milliaria percurreremus. Declinante iam die Limisum pagum, itemque Phrurium & Zephirium promontoria fælici cursu præternauigauimus.

Quintò Id. Aprilis, sub prandium S Epiphanij cuspidem, antiquitùs Acamanta promontorium, eminùs conspeximus, eoque prætereito, paulò post vento euronoto spirante, ac magis magisque crescente, vela in altum mare protendimus, ac priusquam ad vesperasceret, insulæ conspectum perdidimus. Satalicum ingressi mare, ab alto iter peregimus, & in tertium vsque diem continuato cursu, ac vento satis prospero nauigauimus. Iuclinante iam die, mutato vento, Caurus se nostræ nauigationi opposuit, & impetuoso suo flatu nos Africam versus abegit. Ad quartum inde diem inquietissimo feruescente motu pelago, furibundus Boreas (iniquus sanè nobis ac sæuus admodùm) tanto impetu ac maris fremitu erupit, adeoque horridam non ita multò post excitauit tempestatem, vt fluctibus pænè obruti & sepulti, non sine ingenti vitæ discrimine, & summâ molestiâ, animique angustia diem noctemque integram transigeremus. Sæuiebant venti intumescebant vndarum cumuli, mugiebat à profundo pelagus: superabant salientes vndæ, instar montium eleuatæ, non solum vtramque nauis spondam mediam, sed & proræ puppisq; castella obruebant, ac quasi deglutire videbantur. Nec erat quicquam in superioribus nauis,

quod non fluctibus vndique irruentibus perfunderetur, ac pænè operiretur, vt iam iam absorptam aquarum voragine dixisses nauem. Media præterea nocte, malo nauis maximo terribilem edente fragorem, casus hîc mala metumque auxit, imò magis gubernator ipse, qui victam vi artem fassus, & malum disruptum existimans, oratione concisâ & tristi inclamitat, quisque se fatis paret, ad meliorem abiturus vitam. Quâ vehementer perculsi, ad preces tanquam ad sacram anchoram confugimus. Fit gemitus, & comploratio: in genua prouoluimur: manus ad cœlum & Deum tendimus, ac vt ex manifesto naufragio nos eximat, sin minùs animas nostras ad se recipiat, feruentissimè precamur. Nec inanis fuit oratio: nam Diuinâ in primis opitulante gratiâ, eò nautarum insuper accedente diligentiâ & solerti curâ, tam euidenti & præsenti periculo erepti sumus. Malum enim palis trabibusque circùm admotis firmiter colligauerunt, stabilemq; breui tempore reddidernt. Hoc facto Nauarchus rursum monet ad Deum Opt. Max. supremum in periculis refugium, nec in necessitatibus se implorantes deserentem recurramus, precibusq; eius numen imploremus; communibus quoque votis vocibusque Deiparam Virginem inuocemus. Obtemperatum illicò. Precibus incumbentibus cunctis, ille votum omnium nomine, ter in sublime manibus cum clamore porrectis, nautico more emittit, & donum Diuæ Mariæ templo Episcopio nomine in Zacyntho miraculis claro offerendum promittit. Exaudite mox preces, & vota. Circa auroram namque quiescente aliquantulum venti rabie, & sedatâ paulisper tempestate, metum omnem adueniens dies ademit. Actæ deinde Deo gratiæ, quod de tanto nos liberasset periculo. Cessante iam Boreâ, paulò post rursum Caurus spirare cœpit: quo spirante gyros per altum agere, modò puppim, modò proram opponere vento, nunc flectere, nunc velâ commutare, atque obuertere vento necessum fuit. Interim è nautis quidam vitâ defungitur. Corpus Nauarchi iussu stragulo inuolutum, ac lapidibus appensis, vt subsideret, grauatum, à nautis in mare injicitur. Dum id fit, omnes preces pro animâ defuncti (vt moris est Catholici) Deo exsoluimus.

Decimo quarto Kal. Maij, cùm iam per duodecim dies nusquam conspectâ terrâ nauigassemus, Methonem Peloponnesi seu Inachiæ vrbem maritimam nobis aduersam esse cognouimus.

CAP.

CAPVT X.

Maris discrimen tertium. Ragusæa nauis occursus: nautarum mutua salutatio. Piraticæ nauis nos insequentis effugium, aut prægressio. Malacia maris.

VETVS est dictum, quod nos verissimum probauimus, calamitatem calamitati succedere. Vix enim vno liberati periculo, in alterum priori non leuius incurrimus. Circa vesperum siquidem, Peloponnesiacum nobis præterlegentibus littus, à quo plus minus duodecim millia passuum aberamus, ad Aquilonem vento stationem mutante, turbo violentus ex improuiso erupit: increuit ventus, simul & fluctus intumuere, pluit vehementer, cœlum obtenebrescit, crebræ coruscationes, & tonitrua horrenda mortem minantur: timor itaq; non modicus omnium animos incessit: nauis enim plerumq; fluctibus inferior, imbrẽ marisq; recipiens procellas, tota ferè nobiscum operiebatur: mox fluctibus eam demergere volentibus, quasi & ipsa periculũ timeret, enatabat Sed quia misericordiæ Domini multæ nimis, Diuino sanè auxilio, quod laborantibus ille benignè suppeditat, velis summâ celeritate demissis periculum effugimus: mox etiã nimbo euanescente procellosa tẽpestas conticuit. Dolone itaq; rursum erecto, atq; vno duntaxat expãso velo, cœptum carpimus iter. Paulò post iuxta scopulum. *Venetibos* vulgò dictum, se nobis adiungit nauis oneraria Ragusæa, frumẽto onusta, quæ Constantinopoli Anconam versus nauigabat: cumque propiùs accederet, pro more nautico se mutuo clamore sublato salutârunt nautæ; vnde venirent, quóve tẽderent sciscitantes. Atq; his verbis vix fine imposito, rursum à nobis diuulsa est. Paulò post artemonem denuo distendi, & vela in altum dirigi iubet Nauarchus: atque ita vastum mare sulcantes, ocyssimo cursu Conseruam nostram breui præter nauigauimus.

Decimo tertio Kal. Maij, primo diluculo, spirãte Zephyro retrouertere vela coacti, terram versus nauigauimus Dum verò caueam nauta speculator (vt moris est) adscendit, nauem quandam passis plenisque velis citato cursu ad nos properantem videt; eamque ex nauis formâ Anglicam esse animaduertens, piraticam ratus, prædones in proximo esse inclamitat, ne tamen frangeremur animo, esse eam nostrâ multo minorem, addit. Arrectis ad hanc vocem omnium animis, singuli suis locis prosiliunt. Nauarchus verò ænea tormenta præparari, armaque in promptu esse iubet, vt si propiùs accedant, propulsare hostes, ac vi vim repellere commodiùs daretur. Etsi verò turgentibus velis, ac summâ

mâ celeritate nos insequeretur, assequi tamen nauem nostram non valuit: quinimò post horas aliquot longè post terga relictâ, rursum alta petijt, ac procul se à nobis seiunxit, nec conspecta est ampliùs. Sole ad Occasum vergente, Sapientiam scopulum, seu Sfragiam ad occidentalem Peloponnesi situm angulum, detegimus,

Duodecimo Kal. Maij, ob malaciã parum aut nihil profecimus: tanta quippe ad vesperum vsque æquoris vndique erat tranquillitas, vt immobile & planitiei persimile dixisses. Sub vesperum placidum nacti ventum, Sapientiam scopulum præteruehimur. Nautæ verò cautes, quæ illic plurimæ sunt, veriti, bolidem demittunt, vt quantum à fundo scopulisq; abessemus, experirentur: repereruntque profunditatem passuum viginti. Mox iterum atque iterum fundi altitudine tentatâ, lentè admodum, & testudineo (vt dicitur) gradu cautes præterlabimur, periculumque tandem euadimus. Nocte proximâ ad læuam vertentes proram, rupes nimirum scopulosque veriti, rursum altum petimus.

CAPVT XI.

Pueri in mare casus, & interitus. Delphinorum conspecta copia. Belluæq; eius descriptio breuis.

ALTERO die vento Aphrico paulisper increbrescente, satis prosperè nauigauimus. Interim ex pueris vnus (quos vulgus nautarum *Mozzos* vocat) velum puppis soluturus, antennam conscendit: cumque ad summitatem peruenisset, ac veli soluisset ligamina, nescio quo infortunio ex antennâ procidens, in mare labitur miser: ea propter retineri cursum nauis, ac retrouerti statim vela iubet Nauarchus, vt commodiùs periclitanti opem ferre possent: nec sibi deerat puer, sed nunc infra nunc supra fluctus enatans, summo conatu adnitebatur vt euaderet; natanti siquidem & dolia & asseres projiciebantur, quo substentare se, ac superare vndas faciliùs posset. Cùm verò puerum projecta non posse apprehendere, sed summis viribus adnatantem schaphæ appropinquare animaduerterent, seruitorio attracto lembo, nauique admoto, se in eum demisere. Descendentibus nautis, atque inter alios pueri patre, qui Pedota nauis erat (Index is est itineris interdiu noctuque, â vulgo nautarum Pilota nuncupatus) iam penè lembo proximus periculum euaserat. Veruntamen dum manibus rudentem (quo lembus naui alligatus erat) arripere tentat, & frustra bis terve è mari cum impetu exilit, lembo caput impingit, atque illicò in omnium oculis, frustra conantium opitulari, submergitur, ac miserum rapidus vortex hausit.

Deci-

Decimo Kal. Maij, sub auroram Striuales insulæ deteguntur. Ingentem paulò post Delphinorum instar rotarum se volutantium, nauemque præternatantium conspeximus numerum; quod multi aliquod infortunium portendere suspicabantur. Est autem Delphinus piscis marinus, seu potius Oceani bellua, omnium non modo marinorum, sed etiam terrestrium animalium velocissima, pernicitate pænè volucrem æquans, & nisi multum infra rostrum illi os foret, medio ferè in ventre, nullus piscium celeritatem eius euaderet: sed moram adfert ei naturæ prouidentia, quia nisi resupini non corripiunt quicquam. Lingua illis est, contra aquatilium naturam, mobilis, breuis atque lata, haud differens à suillâ: pro voce gemitus, humano similis: dorsum repandum, spinæ dorsi cultellatæ: rostrum simum, vnde & nomen Simonis agnoscere dicuntur. Mulcentur arte musicâ, præsertim symphoniæ cantu: hominem non expauescunt, obuiam nauigijs veniunt (vt de Arione citharœdo produnt historię) puerorumq; ducũtur amore: id quod Appion se vidisse Puteolis scribit: idẽ & Theophrastus tradit: Raro capitur hoc animal: & si capiatur, vix edule est, & palato ingratus cibus. Captum concremare solent quidam, & oleum ex eo effluens ad varios vsus hominum in vasa recondere.

Dum verò iuxta vtriusq; insulæ littus lentè preterferimur, Calogeri aliquot Græci ritus, & monasticæ vitæ homines, Strophadum incolæ, cymbâ remis actâ ad nos properãt, munuscula pro more adferẽtes, Hydriam nimirũ dulci recentiq; aquâ plenam, aurantia & citrina aliquot poma, lacticinia item, lactucas, & endiuias: quibus in nauem receptis, & largâ eleëmosynâ compensatis læti, hilaresq; fuere dimissi.

CAPVT XII.

Insularum Strophadum descriptio.

STROPHADES, teste Plinio, in mari Ionio ante Zacynthũ positæ, *Lib. 4. c. 12.* priùs Plotæ, post Strophades dictæ fuere: cui nomini originem dedisse Harpyiarum fabulam authores volunt. Natrãt enim Phineũ Arcadię, siue (vt alij putãt) Paphlagoniæ regẽ liberis suis superinduxisse nouercã, quos cũ vxoris instinctu necasset, iratos ob eã rẽ Deos oculos ei sustulisse, & Harpyias adhibuisse, cibos ei vt abriperẽt. Sed cùm Iasonem cũ Argonautis propter vellus aureũ Colchos petẽtẽ hospitio suscepisset, eisq; dedisset ductorẽ, tanto beneficio illectos Argonautas Zetim & Calaim filios Boreæ & Orithyę, alatos iuuenes, ad pellendas misisse Harpyias: quas cùm strictis gladijs persequerentur, pulsas Arcadiâ, peruenisse ad insulas Plotas, atque hîc etiam eas insequentes Boreades admoni-

admonitos ab Iride, vt desisterent ab insequendis Iouis canibus, suos volatus conuertisse, & ad Argonautos rediisse: eorumque reditum seu conuersionem, id est Strophen (στροφὴν) nomen dedisse insulis fabulantur. Meminit harum Virgilius.

Æneid lib. 3.

---- Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno
Harpyiæq; colunt aliæ: Phineia postquam
Clausa domus: mensasq; metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit vndis.
Virginei Volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

Sunt autem Strophades (hodie *Striuales* appellatę) planitie nobiles, salubres, amœnæ, clementiâ cœli, ac glebâ fertilissima fortunatæ: portu ditatæ satis commodo, littus habent ab Ortu scopulis rupibusque purgatum. Estq; vna maior altera: quæ Ortum respicit, quatuor millia passuum suo ambitu complectitur; quæ Occasum, duo. Vtraque à Calogeris habitatur: qui numero quadraginta iamdudū ibi sedem posuere, & in maiori insulâ Monasterium incolunt satis commodum, turri quadratæ formæ validissimâ, & sex tormentis bellicis instructâ munitum; quæ contra vim hostilem, præcipuè piratarum & latronum excursiones, ac deprædationes tutum monachis præbet receptaculum. Solent vt plurimùm piratæ Fustis suis (naues expeditiores, reiq; piraticæ magis idoneas sic vocant) latére hoc in portu, quo commodiùs faciliusque pręterlegentes naues ex improuiso adoriantur. Abundat vtraque insula vitibus, oleis, citrinis, aurantiis, punicisque malis; pecudum copiam alit ingentem: frumento item & leguminibus cultissima est; ac mare habet mirâ piscium copiâ pollens.

CAPVT XIII.

Æ naui in Zacynthum descensus: ibidem mora; atque abitus. Aduersi venti, auraq; demum fælix. Cephaleniæ, & Corcyræ, totiusq; tractus Maris Adriatici, Quarnarium vsque nauigatio.

CIRCA meridiē medio nobis apparet fluctu nemorosa Zacynthos, vt ait Poëta. Mox vento placido Nauarinum Peloponnesi oppidum maritimum præterlabimur. Paulò post Zacynthi orientale promontorium

torium præternauigamus. Sub occasum Solis insulæ portum (quem à fano littorali Diui Nicolai appellant) intrauimus. Mox tribus explosis tormentis æneis (quibus pro more nautico templum Mariæ Episcopiæ eminus salutauimus) anchoras in portu iecimus. Cũ verò per tempus à magistratu exeundi nauem veniam impetrare non liceret, in alterum vsque diem exitum distulimus. Tres hîc Hierosolymitani itineris comites substiterunt, vt primis triremibus (quæ indies exspectabantur) Corcyram trãsfretarent, & inde ad euitanda maiora maris incommoda in Apuliam nauigarent: solus ego è Peregrinis cum mercatoribus, qui in naui aderant, Venetias petij. Hæsimus in portu lenis diebus, ventis aduersis abitum impedientibus Interea temporis voti nostri in summo periculo facti memores, D. Mariæ Episcopiæ templum altissimæ rupis vertici impositum, quarto ab vrbe situm lapide vnâ omnes accessimus, votum inibi soluturi. Munere itaque oblato, vitamque deprecationibus Virginis debere testati debitas Deo optimo maximo eiusque Matri reddidimus gratias. Insulam suprâ descripsimus, vt superfluum sit eadem hîc repetere.

Tertio Kal. Maij, Sole occidẽte anchoris eleuatis è portu soluimus, cumque aliquamdiu vento secundo fæliciter nauigassemus, labentibus paulatim ventis in malaciam incidimus, ac tantâ maris tranquillitate laborauimus, vt parum aut nihil eâ nocte proficeremus.

Pridie Kal. Maij, promontorium seu verticem Lasinicam (quẽ hodie nautarum vulgus Caput Nattæ, *Capo Natta* vocat) præterlegimus. Inde Echinadibus insulis, ac freto (quod Zacynthum à Cephalenia diuidit) superato, in altum vela direximus Mox tamen obstitere venti, quo minùs prosequi iter liceret, primum Cauro, dein Fauonio, vtroque nobis aduerso spirante: cumq; processisse nos proximâ nocte putaremus, magis retrogressos esse cognouimus: atque in tantum aduersi hi venti nos detinuere, vt sequentibus quinque diebus vix quinquaginta milliaria prorepere datum fuerit. nam quinto demum die vix Cephaleniam superauimus Nocte verò proximâ, Euro spirãte nonnihil profecimus. Clarescente iam die vẽtus à puppi exoritur, & tumido impletur carbasus Austro; quo paulatim inualescente, Corcyram, & Aërias Phæacum arces eo die fæliciter preterlegimus. Nocte subsequenti continuato cursu, ac vento prospero Merleris insulis & Fanaro scopulo à tergo relictis, prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta, libet enim tot ac tantis periculis defuncto aliquantum poëtari.

Ipsis Nonis Maij, prospero continuante ventorum flatu, fugimus spumantibus vndis quà cursum ventusque gubernatorque vocabant; tantumque secunda nauigatione profecimus, vt Saxonem (hodie Saseno vel Sasonem) scopulum eo die præternauigaremus.


Octauo Id. Maij prosequitur surgens à puppi ventus euntes : mox Sinum siue Culphũ Lodrinũ ingressi, turgidis velis sulcamus vndas, volat vncta carina, ac portus nobis vrbesque recedunt; fæliciſſimoq; cursu Dalmatiæ Croatiæq; superauimus littora : atque tantum eo die secundissimo vento profecimus , quantum antea nunquam.

Altero die Quarnarium attigimus Sinum. Potuissemus quidem nocte proximâ Ruigni portum appellere : verum vicinos Istriæ scopulos veritus Nauarchus, ne per noctis tenebras naufragij periculum incurreret, auersâ prorâ retrouerti vela iussit. Hinc obliquantes cursum summâ cum molestiâ ac tædio noctem totam traduximus.

CAPVT XIV.

Ad portum Ruigni appulsus : atque aliâ conductâ naue Venetias vsque nauigatio.

PRIMO diluculo Istriam versus nauigantes, haud multò post ventis propitijs ; & in puppim spirantibus Ruigni portum læti admodùm appulimus. Substitimus in portu per diem integrum, dum veniâ ab oppidi magistratu obtentâ, in terram descendere liceret ; neque enim terram petere vlli permittitur nisi priùs nauis tabellio veniam à magistratu impetrauerit. Actuaricam mox à tabellione conductam nauem , nonnullis comitantibus mercatoribus Venetis , proximâ nocte Venetias nauigaturi conscendimus : rebus nostris in nauem transpositis quartâ noctis horâ placido vento portu egredimur , velaque ventis dantes Istriæ littus lento pede legimus. Sub meridiem sequentis diei, inualescente vento , eoq; prospero ab alto iter perigimus: nec multò post Diui Marci turris altissima, mox & cæteræ Venetæ vrbis turres, ac templorum cacumina , atque alta palatia se nobis conspicienda dedere. Tunc læti, quod ærumnarum finem tandem Deo duce nacti essemus ; summâ cum animi hilaritate eminus vrbem salutauimus : secundâ demum ante occasum Solis horâ Venetiarum portum, Castrorum dictum , atque vrbem desideratam exultantes intrauimus. Inde rectà per interiora æstuaria Marcianam plateam præteruecti , ad Forum piscatium (iuxta quod est Salubritatis Senaculum, vbi Prouisores Salubritatis suum tribunal habent) substitimus. Hoc enim inconsulto magistratu nulli peregrè aduentanti , ne quidem patritio Veneto egredi in terram licet. Eos verò cùm publicis negotijs occupatos inuenissemus, ante primam noctis horam veniam exeundi obtinere nequiuimus. Egressi quisque ad suum diuertimus hospitium.



CAPVT XV.

Venetæ vrbis breuis descriptio.

De celeberrimæ huius vrbis situ, conditione opulentiâ, magnificentiâ atque splendore, eiusque potentissimæ ac florentissimæ Rei publicæ formâ, multa dicenda forent: sed nostri instituti non est ea hîc persequi, cùm iustum volumen requirant: quæ vel ideò linquēda duximus, quòd ab alijs locupletissimè explicata cognouerimus. Interim ne tantæ vrbis gloriam silentio prætereamus, id vnum dicemus admirabilem esse eius situm, mundi miraculum: non vrbem, sed orbem potiùs dicendam, cùm in eam vniuersi pænè orbis gentes confluant; in quam item innumeræ merces ex omnibus terrarū oris ac regionibus perpetuo quodam ac constanti tenore inuehuntur, atq; inde in longè diuersissimas gentes terrâ mariq; euehuntur, vt communem orbis emporium non immeritò dixeris. Nullis autem licèt munita sit muris, sed aperta vndique, ad quam noctes atque dies liber omnibus patet aditus, non vrbem, sed pagum veriùs amplissimum appellaueris.

 Est

Est tamen quâuis vrbe etiam munitissimâ tutior firmiorq; ; cui mare ipsum pro muro est. Sedet enim in medijs aquis,& ex vna parte pro mœnibus littora habet;quæ prouida natura velut firmissimum vallum marinis fluctibus atq; procellis obiecit,ne iratum mare aperto liberoq;aditu in mediam vrbem irrumpat,ex alterâ verò Continentis oram, quæ quâ proximè vrbem attingit, vt minimùm quinq; millia passuum abest. Etsi verò interiora æstuaria, paludesque , & stagna (quæ magno circuitu littora & Continentis oram lambunt,ipsamque vrbem vndequaque cingunt , marisq; fluxu & refluxu sextâ quaque horâ aguntur) septem ostijs nauibus accessum ad interiorem stationem, vrbemq; ipsam præbeant;non tamē nauibus omnibus(maioribus presertim & caueatis)liber est aditus:quinimò nisi leues admodùm sint , vel actuariæ naues,in locis vbi vada occurrunt,extra littora consistant necesse est; & nisi tranquillâ tempestate loco se mouere,aut capescere portum nō audent vlli nauium patroni ; sed accersitis peritis vadorum exploratoribus . qui angustâ quadam & implicatâ viâ , vbi altior vnda est , ad internam stationem , atq; vrbem naues ipsas remulco deducunt. Hinc fit vt terrâ mariq; obsidione cingi vix queat, nullamq; idcirco vim hostilē Veneti extimescant. Ob situs autem rationem ad cuiusque rei copiam siue ex Mari , siue ex Continenti ciuibus suggerendam , atque ad cōmercium omnis generis mercium cùm omnibus pænè nationibus aptissima est : & , quod mirandum maximè , etsi nihil eorum quæ ad vitam pertinet in eâ proueniat , omnia tamen satis superque abundāt. Ambitus in septem millia passuum extenditur. In septuaginta autem paruulas distincta est insulas , pontibus siue lateritijs siue sublicijs coniunctas : quorum Riuoalti pons amplissimus , totusque lapideus , atque ex vnico constans arcu , instar montis eleuato , triplici plateâ , ac geminâ ædium serie in primis spectabilis , amplitudine suâ , & mirandâ mole, operisque magnificentiâ, & splendore primas sibi partes iure vendicare videtur. Intus per fossas nau culæ aguntur , vulgo *Gondolæ* dictæ , mirum in modum expolitæ , & ornatæ : quæ ad numerum quatuordecim millium adscendere dicuntur. Sumptuosissima & magnifica vbique assurgunt palatia , cùm publica tùm priuata ; quæ peregrinum spectatorem detinēt , & in admirationem rapiunt. Templa & sacrę ædes apparatissimæ , & auro , picturis , statuisque nobilissimis ornatissimæ occurrunt plurimæ : quibus insignes atque eximiæ altitudinis turres adiunctæ sunt. Multa præterea amplissima , opulentissimaque cernas Xenodochia , Oratoria item Sodalitatum magnifica , sumptuosa , & superbissima , ac regij planè operis ædificia , celeberrimorum artificum picturis , & statuis decorata , ornamentisque ex auro & argento splendidissima. Relinquo viridaria

amœ-

amœnissima, & miro odore fragrantia, herbarum exoticarum, ac florum varietate ridentia, ac mirificè exculta: quæ Muriani & Zuecæ (adiacentes sunt insulæ) visuntur plurimæ, omni delitiarum genere plena. Amplissima adhæc Monasteria, in oppidorum speciem toto stagno circumiacentia, mirum in modum vrbem exornant. Inter publica autem ædificia principem locum tenent Diui Marci Basilica, Ducarium, seu Aula Ducalis, Armamentarium. Illa Diui Marci reliquiis, subarâ maximâ conditis, in primis venerabilis, operis sui magnificentiâ, splendore, & superbâ mole vel maximè admiranda est. Marmoreis namque, porphyreticis, ophiticis, leucophæis, alijsque peregrini lapidis columnis innumerabilibus intus forisque exornata est. Fornices ac quicquid à columnarum epistylijs ad summa vsque fastigia assurgit, auro mussiuoque ac tessellato opere fulgent: quod inde ad pauimentum vsque subiacet, marmore varij generis opertum est. Pauimentum quoque ipsum tessellato opere decorum, mirificam præbet speciem. Adeoque miranda hæc opera varietate suâ omnium animos atque oculos detinent, & morantur, vt etiam in stuporem spectatores adducant. Ducarium autem, quo nihil vsquam spectari datur magnificentius, nihil ornatiùs, aureis intus coruscum laquearibus, aulæis sericis auro intertextis ornatum, & clarissimorum hominum statuis & picturis, ac Principum omnium imaginibus, cum elogijs rerum quas optimè pro republicâ gesserint conspicuum, foris variò marmore ornatuque nobili decorum est. Frontispicium, qua parte aquis incubat è candido Istriano marmore, in adamantis speciem fastigiato, constat: quà verò Forum spectat, triginta septem innixum columnis, Porticu & Meniano nobile, quod autem supra Menianum ad tectum vsque assurgit, ex rubri candidiq; marmoris crustis, quadratâ formâ compositis, intectum atq; elaboratum cernitur. Natale denique seu Armamentarium mœnibus turribusque vndiq; munitum, tantæ amplitudinis est, vt insignis oppidi eminus spectantibus præbeat speciem: cuius ambitus duo & amplius millia passuum continere dicitur. Præter minora nauigia, triremes hîc cernas omni numero absolutas, vltra ducentas. Variæ hîc officinæ, in quibus opificum ingens numerus suã quisq; artem affabrè exercent. Taceo immensam cuiusq; generis armorũ copiam, atq; omnifarium belli apparatum, miro ordine in spaciosis domibus officinisq; ad stuporẽ disposita. Marciana adhæc area, *la Piazza di san Marco* vulgò dicta, amplissima, ac toto terrarũ orbe celeberrima, sumptuosis, superbissimisq; è marmore ædificijs vndiq; clausa: quorum præstantissimum, & stupendâ symmetriâ, ac magnificentiâ, sumptu, ornatuq; anteferendũ cæteris in vrbe ædificijs, illud, quod è regione Ducarij est, atq; à duabus è Phrygio solidoq;

 marmore

marmore columnis, altitudine stupendis, mare ipsum spectantibus, ad vsque Diui Marci turrim eminentissimam, inde verò angulo effecto ad alteram areæ faciem in passus ferè octoginta protenditur, Ærario, seu Monetario, *Zeccha* vocant, Bibliotheca, Statuario publicis, itemque augustalium Diui Marci Procuratorum Senaculis, ac domicilio in primis spectabile, summum addit vrbi decorem. Denique vt verbo dicam nobilissima hæc vrbs, vt magnificentiâ, diuitijs, potentiâ omnes Italiæ vrbes facilè antecellit, ita inter cæteras Orbis vrbes, tanquam Regina Maris, & Domina Continentis caput extollit, & omnibus meritò summæ est admirationi. Formam autem regiminis, ac Magistratuum ordinem vt paucis hîc attingamus, SYNOPSIN eâ de re in calce duximus addendam. Cum verò iam itineris nostri difficillimis laboribus defuncti, ac rude, vt ita dicam, donati, in vrbe hac florentissimâ aliquamdiu morati, eaque tanquam libertatis azylo, tranquillitatis portu, communique patriâ multo tempore vsi simus, hîc tandem sistemus ratem & ITINERARIO nostro finem imponentes, narrandi quoque finem faciemus. Debitas interim agentes gratias Deo Optimo Maximo, vni & trino atque in æternum benedicto: qui Diuinâ suâ potentiâ ac misericordiâ in omnibus nostris angustijs, ærumnis, periculis, laboribus, & necessitatibus cœlestem semper nobis præstitit opem, è barbarorum manibus nos eripuit, seruauit incolumes, & tandem post tot pelagi terræque superata pericula, & tolerata incommoda, saluos non solum Venetæ vrbi, sed & patriæ charissimæ restituit. Cuius ineffabilem atque immensam misericordiam quam obnixè precamur, vt gloriosam vrbem, & supernam Hierusalem, cœlestemque patriam anhelantibus nobis, post hanc miseram, caducam, & fragilem vitam concedere dignetur; per eum qui vitæ mortisq; habet imperium, Christum Deum, & Saluatorem omnium, in secula benedictum. Amen.

FINIS

Libri QVINTI & vltimi Hodœporici Hierosolymitani & Syriaci.

APPRO-

APPROBATIO.

Hoc Itinerarium Hierosolymitanum & Syriacum Clarissimi Domini Ioannis Cotouici V. I. Doctoris & militis Hierosolymitani est iucundũ lectu, & passionis Dominicæ nos memores reddit. Quare dignum iudico vt in publicum prodeat, ad plurimorum hominum animos & in hac magna & graui tempestate oblectandos. Dedit 13. Octob. 1618.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, Diplomatibus suis sanxerunt, ne quis præter *Hieronymi Verdussij* voluntatem imprimat librum cui titulus est *Ioannis Cotouici Vltraiectini I. V. D. & militis Hierosolymitani Itinerarium Hierosolymitanum & Syriacum,* aut alibi terrarũ impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, cõfiscatione librorum & alia graui pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xvj. Octobris M. DC. XVIII.

SIGNAT

Steenhuyse.

SINOP.

INDEX

ITINERARII HIEROSOLYMITANI

ET SYRIACI CLARISSIMI D. D. IOANNIS COTOVICI I. V. DOCTORIS

ORDINE ALPHABETICO DIGESTVS.

A

B

C

F

G

H

I

Maronitæ

N

T.

V

X

Z

FINIS.

ERRATA.

f.2. l.41. obſtpuit : lege : obſtupuit. *f.*11.*l.* mamaior l. 8. maior. f. 17.l.6 dele ſcilicet. f. 17.l.42. Cranoſa l. Granoſa. f.19 l.31. deliniatio l. delineatio. f. 21.l.12. octuaginta l. octoginta, f.26.l.25. teſtò l. teſte. f,31.l.13. Melalima l. mezalima f. 31.l.21. apparata l. apparatu. f.33.l.4. propugnacula l. propugnaculo f. 25. l. 39. Aleſtim l. Aleſtini. f.39 l. 5. miliaria l. militaria. f. 41. l.6 reliquas l. reliquias, f.45.l.17. aotem l. autem fo.47.l.5. Cuſolares l. Cuzulares. fo.49.l.10. aut l. eod. linea 11. vicmio lege vicino. eod. linea 26. id lege in. fol, 57. linea 5. Capieiam l. Capreram. eod. l. 14. prouinciæ l. prouincia. f.59.l.17. Hauarino l. Nauarino. f.60.l.28. Caprerum l. Capreram. f. 61. l.22. leactrum l. leuctrum. f.72.l.2. Inſulæque l. Inſulæ. f.77.l.17. Alexum l. Alepum. f.90.l.31. Marmocam l. Marmoram eod.l.37. rari l. ruri. f.93.l.40. meſſicam l. meſſicam f. 97.l.40. agendis l. augendis. f.98.l.3. colore l. colere: eod.l.4. fraudelentias l. fraudulentias f. 100.l.32. Eraphram l. Epaphram. f.103.l.3. vindidit l. vendidit eod.l.32. etiam l. etiamnum f.707.l.3. Otima l. Θtima f. 108. l. 4. leſteros l. lefteros eod.l.5. Parihi l. Pariki eod.l.18. Leſteri Elefteri l. Lefteri Eleſteri. f. 110.l. 34. Zaabelota l. Zamabelota. f. 111.l.9. vt l. &. f.116.l.28. Candmo l. Cadmo. fo. 123. l. 7. Balduinis l. Balduinus fol. 125. lin, 9. Sandalinum leg. Sandalinam fol. 129 l.39. adileuam lege ad leuam fol. 141. l.19. permittur leg. permittitur fol. 144. l. 3. concedant l. concedunt. fol. 149,l.14. & l. ex. f.158.l.21. ſuffeceras l. ſuffecerat. f. 161. l. 26. Quæ l. Qui. f. 171. l. 7. ferreris l. ferreis f. 10. l.11.& 12. Heyden l. Hequen. eod:l. 20 od. l. in eod. 23. imittit l. immittit. eod. l. 36. abducta l. obducta. f. 181.l.22. vbi l. vti. f. 184 l. 5. Regij l. Regi. eod. l. 15.. miſeriam l. miſeram. f. 187.l.8. turcis l. turris. f. 189. charectere l. charactere. eod.l.9. Chriſtiano l. Chriſtiani. f. 198. l. 29. ruiturum l, fruiturum. f. 204.l, 5. Antiſtis l. Antiſtitis. f. 216.l.7. cum l. eum. f.228. l. 20. teſſellata l. teſſellato. f. 241. l. 31. Sacræ l. Saræ. f. 270. l. 2. Antiochæ l. Antiochiæ. eod.l. 27. mormoreis l. marmoreis. f. 275. l 33. hoſpito l. hoſpitio. f. 277.l.18. ficibus l. ficubus. f.283. l. 22. ſprema l. ſuprema. f.286.l.9 compulſus l. compulſas. f. 288. l. 17. mon. l. mons. f. 291. l. 25. deteſtenda l. deteſtanda f. 312.l.31 quinquaginta l. quingenta f.319. l.6. Baſtarum l. Bazarum. f. 337. l. 3. milliarum l. meliarium. f.343. l, 35. tozatel l. rozatel.